Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johannes Gottfried Grimmaeus

Syntagma Iuridico-Politicum Johannis Gothofredi Grimmaei Susatensis Westfali. : Utilissimam, Et Ad Praesentem Imperii nostri Romano-Germanici, materiam accommodatissimam exhibens ; In ... Rostochiensi Academia ... ICtorum ordine permittente & approbante ... propositum ac congestum ...

Rostochi[i]: Pedanus, 1624

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730917185

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

XXVI

SYNTAGMA IURIDICO-POLITICUM

JOHANNIS GOTHOFREDI GRIMMÆI SUSATENSIS WESTFALL

UTILISSIMAM, ET AD PRÆSENTEM IMPERII nostri Romano-Germanici materiam accommodatissimam exhibens,

In Inclyta, antiqua & celeberrima Rostochiensi Academia

Magnifico & Amplissimo JCtorum ordine permittente & approbante, in gratiam studiosæ juventutis propositum ac congestum,

EX IURE DIVINO, CANONICO, NATURALI, Gentium, Civili, Aurea Bulla, Recessibus & Constitutionibus Imperij, Capitulationibus Cæsarum, JCtorum sententijs, Oratoribus, Philosophis & Historicis,

---

JCtus Pomponius in l. 20. ff. de fideicom. libere.

DISCENDI CUPIDITAS OPTIMA VIVENDI RATIO EST.

I. D. 93. 2.

ROSTOCHI

Typis exscripsit JOACHIMUS PEDANUS, *Acad. Typograph.*

ANNO M. DC. XXIV.

1624

R. U. - jur 1624 Grimmaeus, Johannes G.

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,
Clarissimis, & Prudentissimis Viris,

Dn. CONSULIBUS ET SENATORIBUS INCLYTAE Reipublicæ Susatensis.

Dominis meis Patronis, Mecœnatibus ac Promotoribus perpetuò observandis.

S. P. P.

ANnus jam agitur quintus Viri NN. AA. CC. cum à Parentibus meis filialiter colendis, è Vestro Gymnasio tum florentissimo, ad celeberrimam Academiam Giessensem, quæ est Illustrissimi Principis ac Domini, Dn. LUDOVICI HASSIÆ LANDGRAVII &c. studiorum continuandorum gratiâ transmitterer: ibi cum ex consilio Clarissimorum Virorum, humanioribus in artibus fundamenta quæ potuerim, jecissem, præ Facultatibus alijs, etiam non contemnendis, ad Juridicam animum appuli, inq; Juris studio per Dei Ter Opt. Max. gratiam, licet non absq; damnosis satis interruptionibus (quæ & Vobis prob dolor magis quam par est, notæ) sedulus hactenus permansi. Ut autem hujus mei cœpti studij decumas licet

cet exiles, tum vobis, Viri AA. meis Dominis ac patronis omni observantiæ cultu suspiciendis, tum charissimis meis Parentibus exsolverem, omnem qualem potui opellam in id contuli, ut publico quodam documento dd. decumas expromerem. Cum verò Excellentiss. & Præstantiss. Vir Dn. ANTONIUS AFFELMANNUS, concivis meus honorandus, studiorum promotor summus, amicus candidus, non ità pridèm specimen Juris Privati ediderit, ego inter exercitia alia de jure publico, altera juris parte, cogitavi, & ex eo Syntagma quale quale sit præsens collegi. Quod ipsum cum & multis gratum acceptumq; fore cognoscerem, Typographorum prælo committere & publici juris facere, differre etiam ulterius, quamvis mihi non defuissent rationes, nolui. Vobis autem, Viri NN. AA. CC. Vestroq; nomini præsentes pagellas inscribere & dedicare volui. Quæ me impulerint rationes, plures sunt quàm quæ jam recenseri queant, sufficiat, me debuisse. Quamobrem spes me fovet pulcherrima, non solum hunc meum laborem gratum Vobis futurum iri, verum etiam vestro patrocinio ab insultu calumniantium tutiorem fore. Insuper Parentes meos, meq; ipsum vestro favori & benevolentiæ commendo.

Vestræ NN. & AA.

Observantiss.

Johannes Godfridus Grimmæus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730917185/phys_0003
DFG

SIMON. TOELMAN.
POMER. D.

Benevolo Lectori
S. D.

EGregia est Q. Mucij, apud Pomponium sententia; Turpe esse patritio, & nobili, & causas oranti, jus in quo versaretur, ignorare. tùm quia per se verissima est; tùm maximè, quia Servio Sulpitio, claro & spectato viro, incitationi fuit, ut operam daret Juri Civili. Licet enim hodiè Patritios, ac Nobiles, raro videamus Causas orare; vel quia id vitæ genus non satis commodum sibi arbitrentur; vel quòd plus molestiæ, quàm dignitatis secum trahat; Attamen eò magis opus habent ij, qui causarum patrocinia nunc suscipiunt, ut summa diligentia in hoc incumbant, ne idem apud ipsos scom-

ma

ma locum inveniat. Indulget Gajus Juriſconſultus venditori, qui de ſervo affirmavit, conſtantem aut laborioſum eſſe; ut non exacta gravitas & conſtantia, quaſi à Philoſopho deſideretur; ſed cum quodam temperamento, ut omnia ex bono & æquo intelligantur: interim his ipſis verbis, à Philoſopho apertè exactam gravitatem & conſtantiam requirit. Atquin verò Juris Studioſi & Profeſſores, ab Ulpiano dicuntur, veram Philoſophiam, non ſimulatam affectare: quorum numero, & Profeſſores Paulus Juriſconſultus & Advocatos Leo, Anthemiusq; Impp. & gubernatores Rerumpublicarum Juſtinianus noſter, complectuntur. Quapropter, cùm doctiſsimus & ſpectatiſsimus Vir, Dn. JOHANNES GODFRIDUS GRIMMAEUS Suſatenſis VVeſtfalus, Juris Candidatus, animadverteret, paſsim officinas librariorum, quamplurimis de privatarum rerum jure tractatibus abundare: de jure autem publico non ita multos, aut certè plerosq; non ex profeſſo, ac ſatis plena manu ſcripſiſſe,

quosdam etiam nimis prolixè atq; intri-
tè; præsertim, de materijs, quas sequens
pagina monstrat, pro ingenij sui dexteri-
tate, perpenso animi judicio & singulari
mentis industria, optima & præstantissima
quæq; selegit, & in unum syntagma con-
junxit; imitatus veterem Philosophum ac
Poëtam Lucretium, quem commemorat
Luc. Paulus Rosell. apud Franciscum de
Accolt. Aretinum: his verbis:

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant:
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta:
Aurea, perpetua semper dignissima vita.

Hæc igitur attentè perlegisse, & cum fonti-
bus fideliter contulisse, proculdubiò ma-
gno & usui erit & fructui. Benè vale; Ex
Museo. 2. Julij. 1624.

Post-

B. L. S.

POstquam sat cognitum atq; perspectum habeam, Benevole Lector, quam plures futuros esse, laborem hunc meum qui sint improbaturi, Te, quicunq; tandem sis, obnixè rogatum volo, adversus istos Zoilos me pro virili defendas: facies autem hoc quàm promptissime, si modò studiosam meam juventutem consideraveris, atq; cogitaveris, Ibant quo poterant, quo non poterant, ibi stabant. Neq; tu ipse me Plagiarium inde voces, velim, quod nonnunquam aliorum expositionibus & opinionibus, quibus regitur mundus, Principesq; in eo, docti indoctiq; promiscuè, cogar uti. Si quis enim ob id me criminari voluerit, tum is in omni genere disciplinarum præstantissimos Commentatores, Interpretes, Consilia, decisiones, quæstiones congerentes, repetundarum accusabit, quod in suum usum aliena transtulerint. Non ipse Plato, non Aristoteles, non Homerus, non Herodotus, non Bartolus, non Jason, non Zasius, non Tiraquellus, non Donellus &c. in tuto erunt. Pythagoram reducas, habebit invidos, renascatur Homerus, reviviscat magnus Aristoteles, revertatur Varro doctissimus, resurgat Livius facundissimus, reflorescat Cicero, Ramus, Scaliger, & quot vixerunt viri Eruditissimi, & erunt qui dicent: Omnes fuisse raptores alienarum inventionum. Quid non mihi? Tuum potiùs erit B. L. si quæ ad gustum tuum attuli, boni consulere, sin minus, favore & candore defectum supplere, & bene sentire ac ignoscere, donec meliora producere licebit. Valeas ac faveas.

T. ad quævis promptiss.

Johan. Godfrid. Grimm.

Ad Zoilum.

Quid frontem caperas? Quid stringis Zoile dentes?
Multa scio carpes, quam capies citiùs.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730917185/phys_0007
DFG

Disputationum Elenchus

1. De Natura universæ politicæ ac tribus primis hominum societatibus.
2. De Civitatibus in genere, & personis ac rebus in ijs contentis.
3. De Conservatione Rerumpubl. per fœdera.
4. De Magistratibus eorumq; officio Ecclesiastico, Politico, Oeconomico.
5. De subditis in genere, ac in specie de Nobilibus, eorumq; immunitatibus.
6. De Academicis, eorumq; privilegijs, competentibus ex Auth. Habita C. ne fil. pro patre.
7. De Legibus, earumq; administratione & executione.
8. De Statu Imperij nostri Romano-Germanici, ejus Imperatore, & Rege Romanorum.
9. De Summa Summi Principis potestate.
10. De Statibus & Membris Imperij nostri Romano-Germanici.
11. De Consiliarijs & Legatis.
12. De Causis Exemptionum Imperij.
13. De Jure Belli.

IN

IN POLITICAM

VIRI JUVENIS

Præstantissimi ac Literatissimi

DN. JOHANNIS GOTHOFREDI GRIMMÆI, J. U. C. condomestici charissimi.

ALma Themis nuper cœlo caput extulit alto,
Atq; statim tales fudit ab ore sonos:
Nil intentatum nunc mens humana relinquit,
Sed, quid sit verum pensitat arte, bonum:
Sic quærit, politeia bona est. quæ? noster alumnus,
Hanccine, quæ causa est constituens q; docet.
Cunctaq; rimatur studio, ut nil pene supersit,
Ipseq; quod, non, his Juppiter addat, habet.
Macte tuis scriptis, & telam perfice laudis,
Ac mystes nostri cum morieris eris.
Consilio comptus quoq; sis virtute fideq;,
Præsidium q; ducum, præsidium q; fori.
Et legum norma jugula, sine crimine lites.
Et juris studio, qua decet arte, seca.
Comprecor ut voto Deus annuat insuper opto,
Ut Themidos vatum sit maneatq; ratum.

Decantatum à

JOHANNE ANDREÆ
Phil. & Med. D.

Amico & populari suo fidelissimo

Dn. JOHANNI GOTHOFREDO GRIMMÆO.

JUs ductum à gemino fonte, Politices
fons est, & ratio, certaq; regula;
Quemcunq; ergò juvat scripta Politica
concinnare bono publico, & hunc juvat
perlustrasse prius ritè propagines
Juris multiplices, ut via regia
monstretur, remoræ non patientibus.
Qui contra facit, & falsa docentium
compilat stolidus scrinia, judice
vulgo sit Sapiens, sitq; Politicus,
at Docti annumerant hunc balatronibus.
Tu GRIMMÆE, animæ dimidium meæ,
mecum sentis idem judicio gravi,
exemploq; probas appositò satis
dum curâ vigili, Jureq; prævio,
multorum precibus scripta politica
profers, quæ nova si sunt, tamen haud nova
& monstrosa ferunt, sed veteres habent
artes, has revocas has renovas vigil.
Hoc ipso mihi jam carior es, eris,
Quin & gratior his, qui Jove judicant
æquo, nec stolidi judicium probant
vulgi; quin Patriæ gloria, spes, decus.

gratulabundus f.

BERNHARDUS Lüdeking
Lemgoviâ-Westphalus.

AD

AD EUNDEM.

Quod pater Heliadum surgens ex æquore lustrat,
Tandem lethæi fluminis intrat aquas.
Scilicet hoc cernis, GRIMMI, mihi talis amice,
Pirithoo Theseus qualis amicus erat.
Perspicis, ut rapiat tristi mors horrida vultu
Quosvis, nec quenquam culta juventa juvet.
Niteris inde tibi famam generare, futuris
Annis ingenium significare tuum.
Et, licet horriferæ mortis volitantia gustes
Spicula, te quando fata perire jubent:
Non tamen & nomen pereat, ferocq; nepoti
Virtus ingenij constet amanda tui.
Ohe sapis, mentem spes non frustrabitur illa,
Hic dum fœtus erit, laus tua semper erit
Grator (quicq; queam, breviter quin gratulor hisce,
Præmia cum videam tanta parata tibi)
Et precor, ut parcant abrumpere stamina Parcæ
Floreat ut studio Dia Themista tuo.
Quæ tua canities cumularit commoda tandem,
Nobis indicio fœtus hic esse potest.

Dabat.

HENRICUS Pletten
Lemg. Westph.

Præstantissimo & literatissimo

Dn. PRÆSIDI, De Disputationibus Politicis magna industria confectis & feliciter habitis gratulatur.

LIppia, Susatumq;, gravi collisa duello
Oppida, nil hodie nisi pacem apicesq; benignos

Laudant, nil optant nisi ut ampla perambulet arva
Bos tutus, pariterq; Ceres rus nutriat omne;
Tu studium certandi urges GRIMMÆE, nec uno
Confecto nuper bene, non sine milite, bello,
Vivere contentus potuisti, sed novus usq;
Te tentare ardor jussit nova pluraq; bella,
Bella locis certis heïc te duce & auspice picta.
Hoc utrumq; probo, nec enim disconvenit inter
Te patriamq; tuam; quin hæc jure otia tandem
Suspirat, postquam toties jam Marte siniſtro
Pugnavit, bellisq; fere est exhausta nefandis:
Tu contrà merito, quia res non Marte sed arte
Musarum in castris geritur, GRIMmæe *furorie*
Divini plenus, ceu tonsa bipennibus ilex
A ferro sic ducis opes animumq; per ipsas
Cædes ac damna, & nulli pejora docenti
Cedis, sed linguæ plectro velut ense, styloq;
Mucronem præstante tibi, per acuta laboras.
Te tecumq; alios plures evolvere bella.
Hoc ipso potius patriæ tuæ, itemq; parentum
Vota imples, vivisq; tuis ita charus amicis,
Ut tibi certatim mecum, dum vita manebit,
Dumq; oculis legere & manibus tractare pagellas
A te conscriptas poterunt, sint prospera quæq;
Acclamaturi. Tu saltem perge deinceps
Tam felicis & audacis producere plures
Ingenij fœtus, hinc usq; atq; usq; recenti
Laude, & maturè quarto cognomine creſces.

GOBELINUS SCHRAGE
Lippia-Weſtph. Th. ſtud.

NOn sit Virtutis, *nisi ad ardua tendere, & alta*
Spectare. & quæ non obvia cuiq; sequi?
Non sit virtutis *scrutandis talibus ulli,*
Cedere fortunæ, sit malefida licet?

Non

Non sit virtutis, *quæ sui inventa, tenere*,
Non secum, asst alios velle docere libens?
Tu præstas, GODOFRIDE, vigil, quod publica cantant
Hæc documenta satis, hæc tua scripta satis.
Virtutis *sapere est* summæ *te hæc ardua, quæq;*
Obvia non cuivis, nec quoq; trita sequi.
Virtutis summæ, *stas ceu Marpesia cautes*
Haud motus patriæ, quas dedit illa, plagis.
Fortiter is perpes, Musæ testantur ut illud
Cattorum, testes varniacæq; Rosæ.
Testes indefides magni infractiq; labores:
Quæq;, idem referent, tendis adire loca.
Nec non virtutis, *tanto inquisita labore*,
Tecum servasse, asst docuisse simul.
Rem, *dico, præstas*, rem dignam teq; patriq;
Et Patriâ; *huic frugi Tiq; Patriq; decus.*
Macte animi, tanto conamine perge, secundet
Hoc fausta cæptum comprecor, ipse Deus.

Honoris ergò & amoris
properabat

CONRADUS JOACHIMUS Drepper
Lemgoviâ-Westph.

QUisquis in hoc JANI GRIMMÆI nobile scriptum
Incidis, hunc fætum plaude fuisse tuum.
Attamen authoris noli perpendere paucos
Annos, ingenium commemorato sagax;
Perspice, quo nisu Themidi sua debita sacra
Fecerit, invenies, quod celebrare queas.
Indole cui cedat vegetâ, non conspicor ullum,
Quam studij multi vix habitare nequit.

Quid mens ista queat, poterunt tibi tradere chartæ
Hæ, verbis igitur pluribus ecquid opus?
Nec minor ingenio tanto est industria, miror,
Istam mente meâ cum repetisse juvat.
Advoco te testem, Phœbi soror aurea, sancte
Hunc tu vidisti sæpe litare Dicæ.
Quare cum studio somnum, non præstulit, illum
Mature fructus hos generare vides.
Hoc lætare libro sequeris qui publica jura,
Certus, quod studium provehat iste tuum.
Parcite fata, rogo, meus hic quo GRIMMIUS almi
Ingenij fructus amplificare queat.

apponebat

HENRICUS Flörcke
L. W.

Politissimo & Præstantissimo Dn. PRÆSIDI

JOHANNI GOTFRIDO GRIMMAEO

J. U. C.

Qui Virtute suâ Virtutem imitatur avitam,
Is genus & famam conduplicat generis.
Hoc decus, hic honor est, tibi quem modò JANE decenter
Dicimus: ingeminas artis amore genus.
Dum studio insigni Themidem colis, atq; labore
Excolis artifici, quid Politia velit.
Quid Politia velit, verâ ratione juventam
Erudis, hincq; paras, ne Politia cadat.
Laudo tuum studium (quis enim bonus improbet istud)
Tu quo cæpisti tramite carpe viam.
Sic tibi surget honos, surget patriæq; scholisq;,
Quæ tam præstantem te genuere virum.
Ergo tibi meritos tandem gratabor honores,
Quæq; queo votis prospera cuncta precor.

Amico suo sincere dilecto congratulando
deproperabat
BERNHARDUS Becker
Martismortanô-Westphal.

Præ-

Præstantißimo ac Doctißimo Viro,

Dn. Johanni Gothofredo Grimmæo

Susatensi Westfalo J. U. Candidato, Politicas suas disputationes edenti.

Dic mihi res-quid-publica sit? Chorus est, studiorum
Magnâ ex disparitate coactus.
Quot concentores? quot in urbe viri, totidemq;
Quot sensus discrimina vocum.
Qui moduli? leges ratioq; æquabilis, absq; hac
Corruit, ut corpus sine membris.
Ecquis concentus? concors concordia, plebis
Cum rex lex regis cynosura.
Hic chorus, hi moduli, hic contentus; cedo phonascum?
Philosophus Themidos studiosus.
Hujus si auspicijs Chorus hic, Respublica paret;
Conspicua ostro dives & auro.
Complexu quia se excipiunt concordia paxq;
Fœlici meritò ad-sibi-plaudit.
Adplaudit meritò, & sophiæ liquore perunctis
Æternum decernit honorem.
Pars GRIMMÆE tibi, Sophiæ Themidosq; nitela
Hos inter debetur opima.
Ti dextro fricuit cui tempora pollice Apollo
Lauri mox cingenda corollâ.
Casta Dice suadet, Musæq; novemplicis ordo
Sertum ist hoc contexere gestit,
Quod studium meruit; prudentia civica cujus
Fida satis documenta ministrat.
Fœtus, quem statuunt docto thyrso usta in aprico
Pectoris intimiora Minervæ.
Huc igitur propera pubes studiosa Themistæ
Castalij lympham bibe fontis.
Hic Methodi lumen videas, flumenq; Suadæ
Tum frontem quandoq; Catonis.
Interea ingenij aureolos GOTHOFREDE GRIMÆE
Perge cati producere fructus,

Vipe.

Vipereum Zoili dentem haud vereare, tuam ipsa
In laudem officiosa manebit.
Posteritas; te fama memor super æthera tollet
Dummodo erit liber hicce superstes.

αὐτοσχεδίως deprop. lmq;

JOHAN. ANDREÆ
Sus. Westph. SS. Th. stud.

SIcut apes campos virides, ac florida prata
Florigerosq; hortos pervolitare solent;
Omnia nobilium populantes germina florum
Hincq; favos dulces sub sua testa legunt:
Sic tu, dum varios autores, plurima scripta
Assiduâ volvis, Jane colende, manu,
Hinc tibi decerpis flores, atq; optima quæq;
Congeris; ut tua nunc publica scripta probant.
Hic Gothofrede tuum labor, hic demonstrat & offert
Condita in ingenio quæ latuêre tuo.
Tu sophiam tractas, simul & πολιτείαν adornas
Dum labor hicce tuum, quid πολιτεία, docet.
Nec quoq; jura tacent; Quis quæso namq; putabit
Quod πολιτεία, queat, jure tacente, regi.
Omnibus ergo liber labor & sit gratus hic ipse;
Sit gratum hoc publicæ commoditatis opus.
Sic Grimmæe, decet, patriæ, spes maxima, terræ
Restoghio nostro dicere: Nunc valeas.
Ergò age: perge; tua hæc testentur scripta laborem,
Et patriæ terræ sospes & hospes eris.
Sic tua fama, tuum nomen, laudesq; manebunt,
At te ita perpetuus concomitetur honos.

Paucula hæc præstantissimo, literatissimo ac humanissimo viro Dn. Johanni Gothofredo Grimmæo SS. LL. C. dignissimo populari, amico ac fautori meo certissimo adjicere volui.

THEODORUS Ballhorn
Susat. Westph.

Deo Duce Fortuna Comite
COLLEGII JURIDICO-POLITICI
DISPUTATIO I.
DE CAUSIS POLITICES CONSTITUENTIBUS.

RESPONDENTE
JOHANNE GERDES
Gustrov.

THESIS I.

NEminem latere puto illud vulgare, apud omnes eos qui in publico dicturi sunt quod receptum videmus; ut scil. prius, quam ad rem ipsam veniant, aut de materiæ necessitate, aut ejus utilitate & præstantia verba faciant, sæpeq; de ingenij imbecillitate conquerantur.

2. Ego Impræsentiarum, horum si vestigijs insistere, omniaq; hæc præsenti meo negotio accommodare vellem, nonnè magna meherculè laus, & præclara commendatio disciplinæ deberetur Politicæ? nonnè ejus de difficultate meritò conqueri possem? Ita ut sine fuco cum *Marco Tull. Cic.* Eloquentiæ Parente, mihi talia fundere verba liceat. De republica disputare rem esse magnam, cum *Anton. Peretz.*

Peretz. in Aphor. Pol. dicere: discursum de statu esse cibum magnorum stomachorum.

3. Et quid si res esset utilis, magna & ardua, cum inter omnes disciplinas Philosophicas laus ista hæc debeatur Politicæ, quod omnium sit augustissima, & humano generi in commune utilissima. Nec enim abs re vocatur Regina artium & domina, ad cujus nutum omnia consilia atq; actiones suas accommodare ac dirigere oportet eos, qui Reipublicæ moderationem suscipere desiderant. Hoc benè videns Aristoteles Peripateticorum Princeps, tantum ei tribuit encomium, ut reliquarum facultatum humanarum in agendo consistentium dicere Imperatricem & architectonicam non erubuerit.

4. Hæc illa disciplina est, quæ Lacedæmonios eminentissimos reddidit, quæ sola etiamnum hodiè urbem & orbem regit, quæ beatas Respub. efficit. Undè *Plutarch. in Cat. Major.* infit: Virtute Politica præstantiorem nullam homo assequi potest. Et quamvis quælibet disciplina suo fine circumscripta & contenta sit: Politica tamen quendam ijs velut gradum perfectionis addit, ut meritò *Cic. lib. 10. Epist. famil. ad Franc.* dixerit. Nihil est ex omnibus rebus humanis præclarius, quam de Republ. benè mereri: Contra verò nihil est ex rebus humanis fœdius, deterius & pestilentius, quam de Repub. malè mereri: Errata siquidem in alijs artibus & disciplinis minus nocent; quia nempè paucis nocent, & illi potissimum qui errat. Sed qui in Politicis committuntur errores, non nocent uni, non paucis, sed universis, inq; magnam humani generis partem, integras nationes, provincias & Regna redundant, illa pessundant, ut non frustrà pronunciaverit *Lambert. Dana. in proœm. Pol. suæ.* Nullibi gravius ab hominibus peccari & periculosius errari, quam in Politicis.

5. Hac itaq; de virtute nobilissima & utilissima verba

ba facturus, institutum hocce meum methodicè ut expediam, primò Politices indagabo Etymologiam Homonymiam & Synonymiam, deinde definitionem & divisionem adnotabo, post ejus objectum cum causis constituentibus enudabo, tandem finem & effectum demonstrabo, atq; sic infinita exinde velut Tasso quondam & Cornucopia promanantia commoda publicitùs omnium oculis exponam: Faxit alma Trinitas, ut benè beateq; omnia cedant.

6. Etymon quod attinet, dicimus vocabulum Politices origine quidem Græcum, usu tamen Latinum esse, idemq; significare quod vocabulum civilis, dictum ἀπὸ τῆς πόλεως à civitate. Πόλις autem ab adjectivo Græco πολυς, multum significans, eò quod civitas, (quam cicero plerumq; vocat Rempub.) proprium ejus subjectum sit. Unde etiam Politici dicuntur illi, qui præditi sunt scientia administrandi Remp. & Reipub. tractandæ vias omnes tenent, *Herm. Kirchn. de Repub. diss. 1. th. 2. ad lit. a. Timpl. lib. 1. pol. quæst. 1. fol. 2. à. pr.* non Ardeliones illi, qui in conversatione cum alijs, tempori, loco & personis sese accommodare queunt, & simulare ac dissimulare norunt, *Velsten. in cent. quæst. polit. decad. 1. th. 5.*

7. Succedit ὁμωνυμία, ad quam notandum, vocabulum politices sumi potissimum dupliciter, Abstractivè & concretivè: Abstractivè capitur pro ordine sive statu, regimine & administratione publici cætus, ut cum dico: Qualis est Politia hæc Rostochiensis, nihil aliud quæro, quam qualis sit ordo & regimen in administranda republ. Rostochiense. Et hac ratione est vel civilis vel Ecclesiastica. Civilis, per quam humana societas informatur ad honestum. Ecclesiastica per quam cætus Politicus dirigitur ad salutem & cultum Deo præstandum.

8. Concretivè sumitur pro cætu hominum publico,

certo loco, ubicunq; tandem habitantium, & certo ordine gubernatorum. Ut cum quærerem, quænam esset Politia Germanica, intelligo gentem unà cum forma regiminis; atq; ita, Politica, modo populariter, pro omni eo, quod ad humanam conservationem & societatem civilem pertinet, sumitur: modò Philosophicè & quidem dupliciter: Primò generaliter, pro tota Philosophia practica: Deinde specialiter, pro tertia scil. Philosophiæ practicæ parte, mores hominum erga societatem civilem informante, quo in significatu nos eam sumimus, nostrasq; disputationes secundum ejus præscriptum ac tenorem, Deo promovente dirigemus.

9. Tandem lubet addere ejus Synonyma, & quidem sequentia. Ab Aristotele, Politica appellatur sive libri Politicorum. A Caso, Sphæra civitates. A Gregorio Tholozano, itemq; Joanne Bodino, Kirchnero & alijs Liber de Republica. A Francisco Patricio, Libri de Regno: à Justo Lipsio, Libri de Principatu, à Timplero Philosophia exemplaris ac Prudentia civilis, à Joanne Gerhardo, Loci communes de Magistratu Politico, &c.

10. Politicæ variæ à varijs dantur definitiones, quæ videri possunt apud *Timpl. lib. 1. polit. cap. 1. quæst. 2. Christ. Matth. colleg. polit. disp. 1. th. 1.* Nos illam à Schonborn. *lib. 1. polit. cap. 2.* traditam, retinebimus: Politica est prudentia benè de Republica judicandi, eamq; rectè constituendi & ad salutem civium administrandi.

11. Sanè non me latet, dari non paucos, qui non tantum & hanc definitionem respuant, verum etiam inveniri tales, qui omninò Politicam definiri posse negent. Prioribus quid responderi queat, in ipso conflictu videbimus. Posteriores quod attinet, hi pro palmarijs adducunt fundamentis, unum ex Schola Logicorum, Nullum ens colle-

collectivum seu aggregativum, quale est Politica, definiri posse eò quod Ens collectivum in prædicamentis poni nequeat Genera autem definitionis ex prædicamentis desumi. Secundum ex Schola JCtorum, Ubi dicunt pro immoto principio esse, quod omnis definitio sit periculosa, secund. *l. 202. ff. Reg. J.*

12. Sed ô scutum siculneum! Quasi nemo sciret, ut etiam respondet *Matth. d. l.* Ens collectivum considerari dupliciter, materialiter scil. & formaliter. Id fateor libenter, Politica considerata materialiter, quatenus constat ex diversis societatibus tam domesticis quam civilibus non definitur. Formaliter verò quatenus hæ societates omnes unione & certo ordine ad felicitatem Politicam obtinendam colliguntur, Politica non multiplex est, sed unum quid, atq; ita recte definiri potest.

13. Neq; ille allegatæ legis sensus est, quem vulgò circumferunt. Quandoquidem secundum Accursium rectè illud interpretantem, definitionis vocabulum eo loco, pro decisione & pro regula accipiendum, non definitione Organica sive Logica. *vid. Kirchner. diss. 1. th. 2. ad lit. a.*

14. Politia alia perhibetur generalis, specialis alia. Generalem dicunt eam, quæ in integro Imperio, Regno, Provincia, Natione consistit. Ut si dicam Politia SS. Romani Imperij. Ubi licet Imperator primùm, deindè reliqui Principes, Comites, Barones, ac postremò liberæ civitates, suas quoq; ditiones, jura, consuetudines, ac subditos habeant: tamen quia simul omnes Imperio Romano subsunt, universi proindè unius Reipub. exhibent speciem. Specialis est illa quæ de statu Politico, in accommodatione ad certa & definita loca, tempora & personas tractat. *Aristot. lib. 3. Polit. cap. 6. Besold. in tr. de appellat. cap. 4. sect. 4.* satisq; idipsum apparet ex *tit. C. de jure Reipub.* & legibus passim.

Qualis est, politia Ungarica, Saxonica, Westfalica, Megapolensis &c.

15. De Politices adæquato objecto magnam apud Politicos invenies dissensionem. Nos opellâ recensionis supersedentes, eorum vestigijs insistimus, qui Politices objectum Rempublicam asserunt, proindeq; sic definiunt. Quod Respub. sit ordo regiminis hominum, certis jubendi parendiq; legibus, inter se bono publico devinctorum.

16. Res publica ut & ipsa politia dupliciter sumitur, Generatim pro ordine plurium regnorum vel imperiorum, quæ una aliqua summa potestate continentur. Speciatim, nunc pro civitatis, nunc urbis, nunc municipij, regimine.

17. Bodinus, ut plerumq; locorum, ita & hic etiam adversariam constituit. Hic enim *lib. 1. de Repub. cap. 6. num. 49.* asserit; Romanam civitatem solam Reipublicæ titulo & jure fuisse donatam. Sed responsio est expedita. Ut enim per synechdochen generis pro specie, Homerus, Poeta inter Græcos, Virgilius inter Latinos: inter sydera sol appellatur lumen: Haud aliter ratione summi imperij & majestatis, seu dignitatis atq; præeminentiæ, sola Roma dicta fuit Respublica: itemq; civitas: & publica sola dicebantur, quæ populi Romani erant, *l. 15. & 16. ff. de V. S. Gædd. ibid.* non quasi reliquæ civitates, urbes & municipia, non meruerint nomen Reipublicæ. Quid enim aliud vult illud Ciceronis, quando in libr. de LL. ait: Municipalis Respublica?

18. Sequitur causa politiarum efficiens, eaq; duplex, Una remota, quæ & prima ac universalissima dici potest, estq; Jehova altissimus. Quemadmodum enim omnia entia esse suum dependens & participatum habent à summo illo ente: Ita & Imperia ab unico hoc fonte. *Patric. lib. 1. de Regno c. 11.* Ille Deus ab initio mundi politias constitutas intergentes & populos mirè protegit & conservat.

Cujus

Cujus rei exempla ex Codice Sacro innumera afferri possent.

19. Altera particularis & propinqua societatis humanæ causa, licet à multis negetur, est naturalis hominum inclinatio, divino afflatu incitata. Hominem enim natura pronum esse ad societatem, ut constat ex *l. 3. ff. de J. & J.* ita rationibus sat luculentissimis idipsum confirmat *Arist. 1. polit. c. 2. 3. Polit. c. 4.* & suo quisq; instinctu docetur. Ad quid quæso homini articulatus sermo esset datus, si non natura animal sociabile esset, ut rectè dicit *Aristot. 1. polit. 2. Cic. lib. 1. off. Bodin. lib. 3. c. 6. Zech. lib. 1. polit. c. 1.* Nonne solitario esset supervacaneus? *Besold. lib. 1. polit. c. 1. §. 2.* Non diffiteor esse etiam quosdam qui velut ad solitudines nati videntur. Sed Medici inter signa morbi Melancholici referunt, si quis quærat solitudines, aut si quem tristis agat mœror, torvave severum fronte, vel à lætis sociorum cætibus arceat.

20. Meritò igitur à *Kirchner. in Repub. disp. 1. th. 4.* Bodini rejicitur sententia, qui *lib. 1. de Repub. cap. 6. num. 46.* concedit quidem, respectu causæ primæ, imperia legitima esse. Sed si de causis intermedijs quæras, omnia Regna vi primùm coaluisse; & ita imperandi rationem sui naturæ violentam: vimq; & cupiditatem imperandi Reipublicæ causam efficientem esse.

21. Exploditur quoq; rectè doctrina Epicureorum, qui homines temerè & fortuito casu coaluisse somniant *Cic. 1. & 2. de Nat. Deor.* ut & eorum qui dicunt, homines initio instar pecudum in campis esse obvagatos, longoq; seculorum decursu per Eloquentiam Oratorum ad societatem civilem colendam fuisse commotos.

22. Neq; moramur hic fictitias Poetarum & aliorum narrationes, qui vel miraculorum prodigio, vel Musicæ sua-

tæ ſuavitate, vel eloquentiæ cujuſdam prolectamento, ſocietates extitiſſe commenti ſunt. Aliorum verò ſententias, qui vel cæli ac frigorum injurias, vel artis coquinariæ admirationem, vel metum injuriarum, vel alias vitæ commoditates, homines primum coegiſſe ſentiunt, ad externa proegumena referimus.

23. Cum itaq; conſtet, quandam inter nos cognationem & ſocietatem Naturam conſtituere, non inutiliter hic quæritur. An etiam in ſtatu innocentiæ futuræ fuiſſent politiæ, hoc eſt, rationes adminiſtrandi Rempub. quæ imperandi & parendi legibus continentur. Equidem quæſtio iſthæc ab utraq; parte plauſibilibus nititur argumentis. Pro negantibus licet plura dari poſsint, ſufficiant tamen brevitatis erga ſequentia. 1. Quod homo erat conditus ad imaginem Dei, cum qua non poteſt ſubſiſtere ſubjectio. ſiquidem pars divinæ imaginis erat dominium. 2. Quod in ſtatu innocentiæ Deus bruta homini ſubjicit, non autem homines hominibus ſubeſſe jubet. 3. Quod poſt lapſum demum, adeoq; diluvium inſtituitur Magiſtratus *Gen. 9 v. 6.* 4. Quod in ſtatu innocentiæ nulla fuerit neceſſitas legum civilium, cum lex naturalis & innata cuilibet ad rectè agendum ſufficiens fuiſſet; nulla neceſſitas judiciorum, cum nullæ injuriæ aut diſcordiæ locum h abuiſſent; nulla neceſsitas ſupplicíorum, cum malefacta omnia ibi penitùs exulaſſent. Jam verò ſublatis legibus civilibus, judicijs & ſupplicijs, tollitur Magiſtratus officium.

24. Pro affirmantibus faciunt hæc. 1. Quod, multiplicato genere humano diverſæ ac plures ortæ fuiſſent familiæ, quæ non potuiſſent carere capite, alias defuiſſet ordo ad pulchritudinem & conſtitutionem univerſi omninò requiſitus. Ut enim ſingulas familias oportuiſſet habere quoddam caput, ita quoq; plures familiæ non potuiſſent eſſe

esse ἀκέφαλοι καὶ ἄπακτοι τὸ ἄναρχον, inquit *Nazianz. lib. 3. de Theol.* Sine ordine dicit *Scaliger exerc. 2. de subtil.* Natura constare non potest, nihil enim absq; ordine meditata est, atq; effecit. Quæ multa sunt per ordinem unum fiunt quodammodo. 2. Inter ipsos Angelos est quidam ordo divinitùs constitutus, sunt ibi sedes, sunt dominationes, sunt Principatus, sunt potestates. 3. Sicut subjectio maritalis, qua in statu etiam innocentiæ uxor voluntati & dominio mariti fuisset subjecta, non pugnat cum imagine Dei, ad quam fœminæ non minus quam viri conditæ, ita quoq; civilis subjectio certo ac determinato modo sese habens non pugnasset cum statu primævæ libertatis.

25. Quid ergò hac in quæstione intricatissima dicam, vix scio? Ne verò planè sileam, dico, licet in statu innocentiæ, talis subjectio atq; dominatio, qualis post lapsum in imperijs politicis apparet, locum haudquaquam habuisset, ex eo tamen inferri haud posse, omnem omnino ordinem, omnem gubernationem & subjectionem ἀπλῶς & latè acceptam ab innocentiæ statu semotam fuisse. *Add. Thom. de Aquin. part. 1. summ. quæst. 9. art. 3. & 4.* è recentioribus *Petrum Gregor. Tholozan. lib. 1. de Rep. c. 2. Besold. class. 1. disp. polit. 1. th. 26. Lambert. Danæum lib. 1 pol. christ. cap. 4. Keckerm. in curs. Philosoph. disp. 29. quæst. 3. Timpler. lib. 1. pol. cap. 3. quæst. 10. Gerhard. de Magistrat. pol. cap. 2. num. 27.*

26. Restat aperire materiam, qua Respubl. seu Politia primùm constituta & propagata fiat, Hanc *Arist. 1. Polit. c. 2. & Cic. 1. off.* exprimere videntur, dum inquiunt. *Cum sit hoc natura commune omnium animantium, ut habeant appetitum procreandi (quamvis diversimodè) prima societas est in ipso conjugio, proxima in liberis, deinde una domus, communia omnia. Id autem est principium urbis, & quasi seminarium*

Reipubl. sequuntur fratrum conjunctiones, post consobrinorum sobrinorumq, qui cum una domo capi jam non possint, in alias domus tanquam in colonias exeunt. Sequuntur connubia & affinitates, ex quibus etiam plures propinqui. Quæ propagatio & soboles origo est Rerumpublicarum.

27. Plures ergò familias materiam politiæ primæ dedisse patet, quare extra oleas me non vagaturum puto, de familijs earumq; constitutione si quædam, discendi non docendi, inquirendi non judicandi causa, ea tamen qua poterit brevitate exposuero.

28. Ne autem ambiguitas me impediat, ex ὁμωνυμία oriri quæ solet, & errori affinis est, ideò prius vocabulum familiæ distinguendum, quam definiendum puto; & sumitur hoc vocabulum vel subjectivè vel accidentaliter.

29. *Subjectivè* notat ipsos homines, & tum capitur. 1. *Latè*, notatq; omnes eos, qui sunt in eadem cognatione, seu pro tota serie agnatorum vel certa aliqua stirpe, & sic pro stemmate vel gente sumitur: ut cum dicimus, familia Lentulorum. Quo sensu *Cajus JCtus in l. 196. de V. S.* ait, fœminarum liberos in earum familia non esse, propterea quod qui nascuntur, non matris sed patrisfamiliam sequantur, *§. 1. in fin. l. de legit. agnat. tut. l. cum legitimæ 19. ff. de stat. hom.* 2. *strictè & propriè*, notatq; homines unam familiam constituentes, nimirum pro pluribus personis, quæ sub unius potestate sunt, quo in significatu hic id usurpatur, & hc usus ejus non tantum extendit se ad servos, sed etiam ad filios. *l. 195. ff. de V. S.* item ad matrem & patremfam. *d. l. 195. vers. jure proprio & l. seq. in pr. ff. de V. S.*

30. *Accidentaliter* denotat rem possessam, ut cum dicimus in *l. 12. tabb.* proximus agnatus familiam habeto, *vid. d. l. 195.* In eo sensu etiam *Arist. 1. pol. & Xenoph. in Oecon.* hoc vocabulum sumit, pro universa possessione, &

quic-

quicquid ad vitam utile. Unde *Hesiod. 2. op. & dier.* Jubet prius quærere οἶκον i.e. familiam, quam uxorem. In hanc sententiam inſit *Terent.* decem dierum vix mihi erat familia.

31. Definitur familia ab Ariſtotele, quod ſit ſocietas conſtituta ſecundum naturam, quotidiani uſus gratia *1. Pol. c. 1.* quam definitionem licet non improbem, attamen cum præcedentibus magis concordare eam autumo, quæ traditur à *Bodin. lib. 1. de Rep. c. 2.* familiam eſſe plurium ſub unius patrisfam. imperio, ſubditorum, earumq; rerum quæ ipſius propriæ ſunt, rectam moderationem; aliter deſcribitur ab Ulpiano JCto in *d. l. 195. §. familiæ, in verb. jure proprio de V. S.* videlicet, quod ſit inter plures perſonas quæ ſunt ſub unius poteſtate, vel natura vel jure ſubjectæ ſocietas.

32. Ex quibus definitionibus id lucet, ad familiam plures requiri perſonas: Undè illa diſceptatio; Utrum duæ, tres, quinq; vel plures etiam perſonæ ad familiæ integritatem requirantur? Equidem licet nec Ariſtoteles, nec JCtus numerum perſonarum expreſſerit, ex mente tamen Arniſæi *l. 1. doctrin. Pol. c. 2. & lib. 1. de Republ. cap. 1. ſect. 9. num. 2. & 3.* in promptu eſt oſtendere, quod de Collegijs JCtus in *l. Neratius 85. ff. de V. S.* enuntiavit, tres ad minimum facere Collegium, licet per pauciores conſervetur, *add. ib. Gædd.* optimo jure de familijs quoq; dici poſſe.

33. Diſpeſcitur familia ſecundum Ariſtotelem, in domeſticam civilem & collegialem. Domeſtica iterum triplex eſt, conjugalis, patria & herilis: de quibus omnibus ſuo loco.

34. Præcedit conjugalis & quidem meritò: hac ſiquidem ſocietate conjugali nulla vel dignitate præſtantior, vel utilitate efficacior, vel jucunditate uberior.

35. Hujus societatis conjugalis frugifera si fieri debet consideratio, commodiùs institui nequit, quam si tria potissimùm attendantur sequentia; ut sunt. 1. Sponsalia. 2. Conjugium. 3. Ejusq; dissentanea.

36. Sponsalia, ut & sponsi sponsæq; dicuntur à spondendo sive sponsionibus, quæ hîc interveniebant, teste *Gell. lib. 4. c. 4. Ulp. in l. 2. ff. de sponsalib.* appellebatur & pecunia quæ de sponsa erat, sponsa: inde originem traxit, quod parentes simul filias & dotem generis futuris spondebant, ut ap. *Plaut. in Trinum. scen. ult. spondeo ergò Tuam gnatam uxorem mihi? Chr. spondeo & mille auri Philippûm dotis.*

37. Sponsalia sunt mentio & repromissio futurarum nuptiarum, definiente *Florentino in l. 1. ff. de sponsal.* vel plenius: Sponsalia sunt mutua repromissio futurarum nuptiarum, inter eos quibus jure licet, i. e. inter omnes qui non prohibentur, *Beust. cap. 2. Paul. Cypr. in tr. de jur. connub. part. 1. c. 2. §. 2. n. 1. 2. & 3.*

38. Unde facilè apparet, quam multis parasangis differant à nuptijs, cum tantum spes matrimonij dicantur *l. 13. §. 3. ff. ad L. Jul. de adult. l. 6. ff. h. t.* nuptiarum præparatoria, *Schneid. h. t. n. 38.* connubij præambula, *Cypr. d. l. §. 1. n. 3.* & quod nuptias præcedant, quidam necessitatis esse existimant, à quibus tamen recedit *Bachov. in not. ad Treutl. vol. 2. disp. 6. th. 1. lit. a.* ubi docet, quod sponsalia præcedere quidem soleant, sed non necessariò debeant, idq; probare annititur ex *Novel. 74. c. 5. l. 13. §. 8. ff. ad L. Jul. de adult. l. 9. de sponsal. & locis similib.*

39. Sponsaliorum species à CC. principales referuntur duæ, quædam enim dicuntur sponsalia de futuro, quæ fiunt per verba futuri temporis, ut ducam te in uxorem, eris mea vel meus &c. quædam de præsenti, quæ fiunt per verba

in

in præsens tempus sonantia, sivè promissio conjugij præsentis, ut accipio te in uxorem, accipio te in maritum; quæ distinctio à jure Canon. introducta, & fundata *in c. pen. de sponsalib.* approbata etiam à varijs Dd. *Wesenb. in parat. h. t. Schneid. h. l. n. 3. Forst. de nupt. th. 6. Gail. 2. obs. 80. num. 10. & 11. Paul. Cypr. d. l. c. 14. §. 3. n. 1. & 2.* Juri Civili autem planè incognita, & à *Luthero in lib.* Von Ehesachen/ aliquatenus improbata, propterea quod apud nos Germanos non sit talis loquendi consuetudo, nec tamen prorsus ab eo rejecta, quippe qui non negat sponsalia de futuro dici posse ea, si nempè adjiciatur conditio aliqua, puta si mei gratia triennium exspectare vis, ego te ducam in conjugem, eumq; secutus *Menzerus de conjugio* & JCti nonnulli, ideo etiam tolerari eam posse non dubito, cum & differentia hac ipsa distinctione constitui queat inter matrimonium consensu quidem initum, sed nondum consummatum.

40. Sponsalia de præsenti sunt vel publica vel clandestina, illa palàm in præsentia testium, hæc clàm remotis arbitris, & nullis adhibitis testibus quibus probari possint contrahuntur. *Schneid. h. l. n. 20. & seq.* hæcq; Clandestina rursus sunt multiplicia ut vid. est ap. *Schneid. d. l.* illud imprimis hîc notandum quod publica semper præferri debeant clandestinis. *Beust. de sponsal. c. 4. CC. in c. 2. X. de cland. spons.* quemadmodum quotidiè pronunciari in Consistorijs testatur *Schneid. d. l. n. 24. Cypr. de spons. c. 10. §. 15. n. 2.* nisi copula carnalis supervenerit, hoc enim casu tantum publica sponsalia cedunt clandestinis *Deut. 22. v. 28. & 29.*

41. Insuper sponsalia alia dicuntur jurata, quæ jurejurando interposito firmantur, alia non jurata *c. præterea. c. requisivit 17. h. t. Wes. in par. h. t. n. 3.* quod juramentum tres comites ut habeat necesse est, veritatem, judicium,

& justitiam. *c. etsi Christus S. Jacobus queq; X. de jurejur. ubi CC.*

42. Alia deniq; sunt *vel pura*, quando simpliciter quis, purè & absolutè promittit conjugium &c. *Vel in diem* cum in tempus certum prorogantur *vel conditionalia* si in aliquem casum vel eventum differatur matrimonium, vel si aliquid factum fuerit vel non: hæ autem conditiones sunt vel honestæ, veluti si pater consenserit & similes, vel inhonestæ turpes & impossibiles, quas explicatas & quid de ijs sentiendum. *Vid. ap. Schneid. Treust. dd. ll.*

43. Contrahuntur sponsalia nudo consensu, quem Wesenbec. causam efficientem statuit. *ff. h. t. n. 4. per l. 3. l. 7. S. 1. ff. h. t. l. 2. de rit. nupt. l. cui fuerit 15. in f. de condit. & demonstr. l. 8. C. de repud. l. nuptias 30. ubi Decius ff. de R. J. c. cum locum 14. X. eod. c. 1. & 2. causa 27. q. 2* Neq; sufficit consensus contrahentium tantum, sed etiam eorum quorum sunt in potestate, *de quib. tamen infra plurib.*

44. Contrahunt sponsalia ij, qui non prohibentur. *arg. l. nec non 28. S. quod ejus 3. ff. ex quib. caus. maj. l. 43. S. 1. de procur. l. 1. S. 1. de testib. l. 13. ff. de judic. l. 8. de accus. & passim ll. similib.* Proinde notanda hic generalis regula, quod sponsalia contrahere possint qui & nuptias: ubi enim nuptiæ interdictæ sunt, ibi sponsalibus quæ sunt aditus nuptiarum locus esse non potest. *l. 16. ff. h. t. c. cum qui de R. J. in 6.* quanquam impuberes etsi non rectè conjungantur, *pr. l. de nupt. l. 9. h. t.* tamen sponsalia, dilatis ad pubertatem nuptijs, rectè contrahunt; dummodo id fieri ab utraq; parte intelligatur, neq; sint minores septem annorum *l. 14. ff. h. t.*

45. Fiunt verò sponsalia ob nuptias, qui finis eorum quem sequitur effectus, ut sponsus mariti, sponsa uxoris loco habeatur, *l. si sponsalia 58. de jure dot. l. lex Julia ff. de fund.*

fund. dot. l. 15. §. sponsa. ff. de injuriis. l. assiduis C. qui potiores in pig. hab. l. si uxor. ff. ad L. Jul. de adult. Siquidem & aliàs cingendus habetur pro cincto. *l. pen. ff. de testam. milit.* Hinc est quod cum sponsa quoq; committatur adulterium, pro quo num pœna capitalis irrogari debeat disputatur inter Dd. *Bachov. in not. ad Treutl. vol. 2. disp. 32. th. 2. lit. e.* arbitratur, humaniùs & rationis esse, mitigationi locum concedere, quem, ne crudelis audiam, hîc sequor, & in benigniorem lancem inclino.

46. Dictæ sunt nuptiæ ab obnubendo, quia virgines olim cum viris tradebantur, in signum tum pudoris tum subjectionis caput velabant. referente *Varro. l. 4. de latin. ling.* Indeq; Virgines in lingua Hebræa *alma* dicuntur, quæ vox ut Interpretes dicunt originem trahit ab *alam* h. e. abscondere: *alma* autem sive absconditæ virgines dicebantur *vel Ethicè* h. e. à virtute quia modestiæ, verecundiæ & castitatis hoc argumentum erat; quod non formam sollicitationi, non labra osculo, nedum corpus compressioni denudassent, sed abscondissent: *Vel politicè* i. e. à more, mos enim iste non tantum ap. Græcos, sed & Judæos vigebat, ut virgines multum domi latitarent, & non nisi velata facie in publicum prodirent, ut patet ex exemplo Rebeccæ, quæ conspecto sponso Isaaco caput pallio velavit *Gen. 24.* Nuptiarum Etymon ut & Synonyma velim ipse apud Dd. videas.

47. Definiuntur nuptiæ, quod sint viri atq; mulieris conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens; *§. 1. I. de patr. pot. vel ex l. 1. ff. de rit. nupt.* Nuptiæ sunt conjunctio maris & fœminæ, consortium omnis vitæ, divini & humani juris communicatio. Quæ definitiones, non tantum conjunctionem corporum, sed & legitimam arctissimamq; animorum unionem requirunt, ea mente & affectione

fectione conjugali contractam, ut semper duret, quippe per se & ratione intentionis d. conjunctio individua non est: ijsq; Concubinatus, Polygamia & Sodomia excluditur. *Ampliß. Dn. D. Lindeman. Præceptor meus venerand. Exerc. Inst. tit. 9. th. 2. & 3.*

48. Dividuntur à varijs variè 1. distinguuntur in conjugia publica & clandestina; 2. dicunt CC. conjugium aliud esse legitimum & non ratum, aliud ratum & non legitimum, aliud legitimum & ratum *de quib. specieb.* videri potest. *Wes. in par. ff. de rit. nupt. n. 2.* Insuper alia conjugia dicuntur vera, quæ verè existunt & probari possunt, alia præsumpta, quæ tantum ex conjecturis esse præsumuntur. *c. illud X. de præsumpt. l. 9. & 13. C. de nupt.* alia initiata videlicet consensu, alia consummata scil. copula carnali, de *quib. supra. Wesenb. d. l.* Deniq; aliæ nuptiæ licitæ sunt aliæ illicitæ. Licitæ quæ neq; lege nec Canone prohibentur. *Schneid. de nupt. licit. n. 2.* illicitæ contra.

49. Causa efficiens nuptiarum seu Conjugij primaria est Deus, qui llb. hanc societatem munivit & univit, hominiq; stimulos ad appetendam hanc conjunctionem in prima creatione indidit, neq; alio modo, quam per hanc societatem genus humanum multiplicari jussit: sed duas personas marem & fœminam mutuum sibi adjutorium, pietatis, honestatis, jucunditatis, utilitatis & infirmitatis esse voluit; quare in Paradyso primus quasi Paranymphus fuit ipse Deus, Evamq; Adamo adduxit, *Gen. 2. v. 22.*

50. Unde facile colligere licet, quid sentiendum sit de ijs, qui cœlibatum longè præferunt Conjugio, ac hujus societatis osores & rosores infensissimi existunt: quorum è numero sunt, Lucani Montanistæ, Novatini, Cinostici, Adamiani, Priscianistæ Albigenses & alij, qui ipsi Diabolo conjugij institutionem nefaria voce adscribere ausi fuerunt; ita quidam,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730917185/phys_0032
DFG

quidam, mulierem totam opus Diaboli statuerunt, viri vero partes inferiores ab umbilico, satanæ opus implere docuerunt: à quibus parum absunt Papini, qui conjugium statum merè carnalem vocant, in quo nemo possit placere Deo: Sanè horum dogma, cum meris nitatur fraudibus, ac versipelli astutia, mendacijs, blasphemijs, injurijs, traductionibus, meritò è benè constitura republ. exstirpandum existimo, eos autem ipsos, cum Laconibus dignos reputo, qui media bruma forum vestibus spoliati obire, cantioneq; in se ipsos composita, se justa pati, fateri cogantur, juxta Athenienses festo die à mulieribus circa aram trahantur, flagris cædantur, atq; sic ora diabolica compescere discant.

51. Causa nuptiarum proxima seu secundaria consensus perhibetur, tam contrahentium, isq; purus, integer liber & voluntarius non coactus, quàm eorum quorum in potestate sunt, eoq; non interveniente, nec nuptiæ, nec liberi nec dos esse intelligitur, sed conjunctio planè nulla est, nullumq; juris effectum habet. *§. sed si adverſ. 1. de nupt.* Undè Catull. in Carmine nupt. bellè admodum canit.

Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est,
Tertia pars matri data pars, data tertia patri:
Tertia sola tua est: noli pugnare duobus.

52. Imò in tantum parentum consensum requirimus, ut jussus eorum præcedere debeat, rati habitione non admissa. *pr. I. de nupt. Hot. q. illust. 9. Hæn. disp. 2. th. 5. Ampliss. Dn. D. Lindem. d. E. tit. 10. th. 4. Forst. disp. ad I. 13. th. 21.* adeò ut nonnulli sine hæsitatione concludant, patrem posse filium filiamvè minorem 25 annis ob neglectum consensum exheredare, moti hac ratione quia exheredatio eam ob causam introducta sit, ut coerceat injuriam parentibus à liberis illatam. Verum ut ut jure antiquo hoc ita obtineat, Novo autem Justinianeo jure num adhuc justa hæc sit exhe-

redationis causa valdè dubito. *Novell. 115.* differtè asseritur, quod filia solum exheredari possit 25. annis minor, quæ oblatam sibi à patre honestam conditionem repudiavit, & aliam turpem delegit. Interim non diffiteor matrimonium citra parentum consensum contractum, dissolvi posse, imo cum sit ipso jure nullum, rescissione non esse opus.

53. Consentire in nuptiarum vinculum & contrahere possunt, qui non prohibentur, siquidem edictum de matrimonio contrahendo est prohibitorium, igitur quicunq; non prohibetur, per consequentiam admittitur.

54. Prohibentur autem quidam natura, quidam lege. Natura prohibentur *Impuberes*, h. e. si masculi sint 14. sin fœminæ 12. annis minores *l. 4. ff. de rit. nupt.* quamvis aliquando malitia suppleat ætatem. *Furiosi* ubi tamen Dd. distinguunt inter furorem continuum & perpetuum, & inter furorem intervalla sua habentem; priori laborantes, minimè admittuntur. *Impotentes* ut thlibiæ, thlasiæ, castrati, Eunuchi, fœminæ clausæ, Epileptici, paralytici & similes.

55. Annè & senes, quos natura frigidos & siccos esse constat eò referendi, jucundæ disquisitionis thema est? Ego eos ob legis obsequium & humanitatis solatium ad matrimonialem congressum admitti posse puto, *per l. sancimus 27. C. de nupt.* tum quia artis medicæ cura & cultura sanari & impedimento liberari possunt, tum quia sæpè vidimus illud Germanorum dicterium probari: Ein alter Mann/ein junge Fraw/gewisse Kinder. Non tamen ita quemadmodum vulgò quidam jocantur, ex regula Juris. Quod quis per alium facit, per se ipsum fecisse videtur.

56. Lege prohibentur quidam ratione consanguinitatis, quidam ratione affinitatis. Non enim omnes nobis uxores ducere licet, sed à quarundam nuptijs abstinendum est, inquit Justin. *in §. 1. l. de nupt.* quidam ratione status,

quidam

quidam alijs ex causis, quarum investigationem benevolo lectori relinquo.

57. Divortium me nullum à præcedentibus facturum existimo, paucis si hîc inquisiero, quid præter hactenus dicta in uxore ducenda spectandum sit? Dicitur vulgariter, alios manu, alios oculis, alios auribus, alios demum corde ducere uxorem: h. e. alios spectare divitias, alios pulchritudinem, alios genus & familiam, alios virtutem; primi sanè qui divitias primariò spectandas esse arbitrantur, multos habent quidem censores, plurimos tamen sectatores, undè Juvenalis.

An dives? omnes quærimus: nemo an bonus:
Non quare & unde: quid habeant tantum rogant:

Hic cum mala fama facilè nubitur, dum dos sit, nullum vitium vitio vertitur. *Sen. ep. 115. p. 264.* Quos imitandos, licet divitias non contemnam, pernego, ne dotata regat virum conjux: quemadmodum exclamat Plautus; Argentum accepi, dote libertatem vendidi, dominium enim semper in divite timendum: quod evitans Martialis sic scribit.

Uxorem quare locupletem ducere nolim,
Quæritis? uxori nubere nolo meæ.

58. Nihil minus errant illi, qui unicè ad formæ præstantiam respiciunt, quippè periculosam hi mercem emunt, unde ille, Lis est cum forma magna pudicitiæ: Fastus inest pulchris sequitur superbia formam: & aliàs vulgò dici solet, si habes divitem, habebis dominam, si formosam, communem. Rectè ergo Plautus, dum dicit, bono ingenio esse armatam quam multo auro se malle: multa sunt mulierum vitia, sed hoc è multis maximum est, cum sibi nimis placent, nimis operam dant ut placeant viris.

59. Hiscè itaq; omnibus posthabitis, potior ratio habenda est, tum virtutum, tum generis, ætatis, æqualitatis,

tis, suo ut exemplo nos informat JCtus eximius Andr. Gailius futuræ conjugis in ideam quando ludit:

Si qua mihi virgo contingat, nubilis esto:
Non mendica nimis, non opulenta nimis.
Par opibus generiq; meo, par religioni,
Non ea pulchra nimis, non ea fœda nimis:
Sed medios habeat laudati corporis artus,
Non ea parva nimis, non ea longa nimis.
Conjugis ut servet nullis irrisa decorem,
Non ea crassa nimis, non ea macra nimis.
Vestibus incedat mundis, at semper honestè,
Non ea compta nimis, non ea sqveta nimis:
Exspectet patiens & seri debita lecti,
Non lasciva nimis, non pudibunda nimis.

60. Forma nuptiarum olim quidem multiplex ac varia fuit, de qua *vid. Wesenb. in par. derit. nupt. n. 5. & alios ibid. ab eo citatos*, hodiè etiamsi nulla accedat pompa rectè tamen contrahuntur, modò consensus adsit, isq; vel verbis vel signis declaretur, coramq; Ecclesia, aut in cœtu aliquot fidelium, Ecclesiam repræsentante, ministro tamen nubentibus benedicente, fiant.

61. Fines itid. conjugij varij à Dd. traduntur. Inter quos primus, ut propagetur Deo Ecclesia, 2. ut suscipiantur liberi Reipub. & generis humani propagandi causa, undè in prima conjugij institutione ordinatum: crescite & multiplicamini. 3. Ut vitentur stupra & adulteria. 4. demum ut homo omnium studiorum & laborum habeat sociam, quæ vitæ ærumnas leniat, & laboranti opem præstet, juxta dictum: Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium.

62. Effectus inducit perpetuam vitæ consuetudinem, divini ac humani juris, adeoq; omnis dignitatis communica-

municationem, maritalem ac patriam potestatem, ita ut maritus imperet uxori non contra, quamvis, proh dolor, quibusdam in locis eò res redierit, ut dominetur *Imperiosus* mulier, obsequatur *officiosa* maritus. *vid. Cypr. de sponsal. c. 5. §. 10. n. 1.*

63. Contraria matrimonium impedientia sunt *Error*, quo nil magis consensui contrarium, & pertinet vel ad ipsam matrimonij substantiam, ut est error personæ & qualitatis, vel ad accidentia, qualis est conditionis & fortunæ, prior & jam ductam repudiare, posterior ducendam ducere vetat: Unde concludimus neminem cogi posse ad retinendam devirginatam, vel stupratam ab alio, sibi verò desponsatam, per text. *Deut. 22. v. 14. Matth. 1. v. 19.* Sic Henricus VIII Rex Angliæ Catharinam Hevardam ductam & vitiatam inventam capite punivit. Huc pertinet *metus* modo sit talis, qui in constantem cadat virum, *& ebrietas* quæ totam mentis rationem, & judicandi facultatem omnem ademit, in hac enim cum nullus sit consensus, ideò fides in ejusmodi volentia data non obligat.

64. Contraria matrimonium contractum dissolventia, sunt potissimum adulterium, quod pro justissima matrimonij dissolvendi causa tam à Theolog. CC. quam JCtis & Politicis reputatur: & malitiosa desertio, de qua licet multi adhuc disputent, ego tamen eam, ab alijs informatus, pro legitima accipio: quis autem malitiosus desertor dicatur, cum mihi materiam præsentem copiosiùs tractare non liceat, te ad *Schneid. in loc. de divortio n. 37. & seqq.* aliosq; ex professo hanc pertractantes remitto.

65. Atq; hæc de societate prima inter maritum & uxorem quæ est: Succedit altera ex illa quæ oritur, & παδικὴ sive paterna, eò quod inter parentes & liberos, qua ipsi sibi invicem devincti, officia tam paterna, quam filialia,

præstant, consistit; Unde & ejus relatio spectanda duplex, prior parentum ad liberos, posterior liberorum ad parentes.

66. Circa relationem parentum & imprimis patris, notandum, quod is jus habeat in liberos patriæ potestatis, ab Arist. quod appellatur regimen regium ac potestas regia; Ubi statim in ipso limine occurrit controversa quæstio, anne illa potestas patria sit jurisgentium, an verò civium Romanorum propria? Et intrepidè ex varijs satis etiam solidis ac ponderosis rationibus concludo, ipsam potestatem patriam ipsa essentia sua jurisgent. esse, licet accidentia & qualitates in diversis Rebuspub. varient, & sic qualitate sit juris civilis.

67. Dicitur patria potestas ideo, quod patres hoc jus habeant in liberos, non autem (jure civili sci.) matres *§. fœminæ l. de adopt. & §. cæteri. l. de hered. qual. & differentia*, tum quia & ipsæ maritis subjectæ sint, *Gen. 1. & 2. l. marito & l. patri. ff. ad L. Jul. de adult.* Jure verò civili constitutum sit, eos, qui alieno auxilio in rebus suis administrandis indigent, alios in potestate habere non posse *§. 13. l. de Excus. tut. l. 2. ff. ad L. Jul. de adult.* Tum quia ut res, ita, nec persona in plurium potestate esse potest. *l. 5. §. ult. ff. commod.* Unde etiam est quod parens avo vivente filium in potestate non habeat. *pr. l. quib. mod. patr. pot. solv.*

68. Est autem patria potestas, jus, per quod filij & filiæ cæteriq; descendentes, per lineam masculinam ratione personæ & bonorum suorum, subjiciuntur patri vel avo paterno si vivat; dico per lineam masculinam, quia hi qui ex filiabus nascuntur, in avi sui materni potestate non sunt, sed sui patris vel avi paterni, sumpta ratione *ex §. 3. Inst. de patr. pot. d. §. fœminæ. l. de adopt.*

69. Notandum interim hîc, ad constitutionem hujus potestatis non simpliciter requiri ut quis sit parens, sed necesse

neceſſe eſt, ut filios vel ex juſtis procrearit nuptijs, h. e. Das ſie auß einem rechten Ehebette gezeuget/ *pr. l. de patr. pot.* vel per legitimationem ſui ſint facti *ſ. pen. l. de nupt.* vel per adoptionem acquiſiti. *pr. l. de adopt. l. 1. ff. eod.*

70. Quomodo per matrimonium acquiri queant liberi, ex præcedentibus cuivis obvium eſſe puto. De Legitimatione quæri ſolet, quid ſit, quotq; modis fiat? Prius quod attinet, reſponderi poteſt, quod ſit modus per quem is qui ſtatim ut natus eſt in poteſtate parentum non eſt, poſtea in poteſtatem eorum redigitur: poſterius conſiderans, reperio Novell. duas, quarum prima inſcribitur, *quib. modis naturales efficiantur ſui* & in num. eſt 74. altera, *Quib. mod. naturales effic. legitimi.* in num. 89. *& tit. C. de naturalib. liberis* ex quib. colligo quatuor legitimationis modos; Per nominationem, per oblationem curiæ, per reſcriptum principis, per ſubſequens matrimonium, quorum poſteriores duo tantum in uſu ſunt.

71. An verò per matrimonium in articulo mortis contractum, legitimatio fieri poſſit, non exigua difficultate implicata quæſtio eſt? Affirmativa ut favorabilior, ita & libentius defenditur, tum quia matrimonium ad ultimum vitæ halitum contrahi queat, *l. 106. ff. de cond. & demonſtr. c. tanta X. qui filij ſint legit.* tum quia matrimonium ſolo conſenſu abſq; etiam coitu valet. *c. ſufficiat & c. beata Maria 27. q. 2. & l 30. ff. de R. J.*

72. Per adoptionem (quæ eſt actus legitimus quo quis in alicujus filium eligitur. *pr. l. de adopt. l. 3. ff. de offic. pro conſ. l. 4. ff. de adopt. l. 1. C. eod.*) duobus modis ſub patriam quis redigitur poteſtatem. Aut enim principali reſcripto adoptatur, & ſpecies iſthæc adoptionis arrogatio dicitur, aut Imperio magiſtratus inferioris, & vocatur adoptio ſimplex, *ſ. 1. l. de adopt.* Principali reſcripto adoptamus homi-

hominem sui juris; Imperio verò magistratus Inferioris, filiumfamilias, h. e. in sacris paternis constitutum.

73. Unde non inconcinnè quæritur, qui fiat ut in Arrogatione requiratur consensus Principis, in adoptione vero simplici inferioris sufficiat magistratus approbatio. Equidem variæ hujus assignantur rationes, mihi videtur plausibilis ista, majus in arrogatione quod versetur præjudicium, cum arrogatus, qui est sui juris transeat in potestatem arrogantis cum omnibus suis bonis, quod non est in adoptivo, qui potestati patris adhuc subjectus, isq; providere potest filio. Regula autem sit, majus ubi periculum major quoq; requiratur cautela. *c. ubi periculum de R J. in 6.*

74. Adoptioni non longè dissimilis videtur, recepta hodiè passim in Germania consuetudo, de conjunctione & unione prolis. Vulgò, Die Einkindschafft/ quæ est pactum inter parentes, eorumq; ex diverso matrimonio, utrinq; susceptos & suscipiendos liberos, præsuppositio filiationis jure de mutua invicem successione, coram ordinario loci magistratu, cum causæ cognitione, adhibitis ijs, quorum interest & actis intervenientibus ritè & rectè initum.

75. His memoratis modis patria potestate constituta, eam sequuntur effectus & officium: effectus sunt varij & multi. Sic enim olim vigore patriæ potestatis parentibus jus competebat vitæ & necis. *l. 11. ff. de lib. & posth. l. fin. C. de patr. potest.* Ita tamen ut sine causa potestatem istam exercere non potuerint. Nam & ante ætatem Imperatorum, à quibus postmodum atrocitas hæc parentibus interdicta. *t. tit. C. de patrib. qui fil. distrax. l. 3. C. de patr. pot. l. unic. C. de emend. propinq.* pœna parricidarum constituta est, ut in culeo insuantur cum cane & gallo gallinaceo, vipera & simia, & deinde in mare vel amnem projiciantur. *l. fin. ff. ad L. Pompej. de parricid. l. inauditum. ff. ad L. Cornel. de sicar.*

76. Sic

76. Sic patri permissa est potestas talis, ut quicquid privatim adversus filium, dum in sævitiam intolerabilem non exeat, statuerit, extra omnem sit noxiam *l. 3. C. de P. P.* & licet regulariter usus privati carceris inhibitus sit, *l. unic. C. de privat. carc.* aliter tamen si filius ad obedientiam redigi nequeat, ad morum correctionem per aliquod tempus includi & privatim detineri potest, *Schneid. l. ad tit. de P. P. n. 27.*

77. Non ultimus sane effectus is est, quod filius vi patriæ potestatis, licet patre consentiente mortis causa donare possit *l. 15. §. 1. ff. de don. mort. caus.* tamen nec codicillos, nec testamentum, etiam patris consensu condere queat *l. 6. ff. qui testam. fac.* nisi in castrensibus & quasi castrensibus peculijs, in quibus pro patrefamilias habetur. *l. pen. & l. fin. C. qui testam. facer. poss.* De bonis adventitijs, quorum ususfructus patri non acquiritur quid statuendum, in ipso discursu exponam.

78. Officium parentum erga liberos, absolvitur sequentib. Alimentorum præstatione seu nutritione, Institutione, Elocatione ad matrimonium, Dotatione, de quibus singulis consule *Schonb. lib. 1. polit. c. 7. Arnisæ. lib. 1. c. 4. tr. de patr. & lib.*

79. Atq; hæc de ratione parentum erga liberos, nunc de liberorum erga parentes. Hujus ratione liberi reverentiam & obedientiam debent parentibus. *l. filia. l. congruentius. C. de patr. pot.* Neq; castigantibus resistent; parentum enim persona semper liberis esse debet sancta. *l. 8. de obseq. par. & patr. præst.* Quod si fecerint & manus violentas ijs intulerint meritò pro sceleratis habentur, atq; non tantum exheredari. *Nov. 115. c. 3.* Sed etiam omnium atrocissima pœna puniri possunt, *de quib. vid. Schonb. d. l.*

80. Sin verò pater ad interficiendos liberos defendamq; patriam properet, defendere filius se poterit: & si terminos legitimæ defensionis non excesserit, pœnam parricidij non incurret. Id enim quod legitimè factum est pœnam nullam meretur. *l. 55. de R. J.* Quin imo præmio erit afficiendus filius, qui ob necessariam sui suorumq; defensionem, & patriæ è medio sustulerit patrem. *l. 35. ff. de relig. & sumpt. fun.* Unde & in tantum talem patrem leges detestantur, ut nec lugendus sit post cædem. *d. l. 35.*

81. Ad officium insuper liberorum pertinet, parentibus in necessitatibus succurrere. *l. 1. C. de alend. lib.* eò potissimum casu quando ejus sunt facultatis. *l. 2. C. eod.* Cujus rei egregium exemplum, nobisq; imitandum est in Ænea portante patrem ex incendio & incursu hostium, inq; puella, quæ patrem captivum diu suis uberibus aluit. De ciconijs scribunt Physici, quod maxima cura & pietate parentes senio confectos foveant, nec facilè patiantur eos evolare ad quærendum pastum, sed ipsæ discurrant & deferant parentibus necessaria: de alijs liberorum officijs. *vid. Schonb. d. l.*

82. Ultima demum societatis domesticæ species est societas inter dominum & servum. Cum enim patresfamilias suis negotijs semper ipsi superesse & adesse nequeant, servi assumuntur, eorum vicem qui suppleant, remq; familiarem augeant. *Juxta regulam 133. ff. de R. J.*

83. Quò autem cuivis constet, qui illi sint servorum nomine quos salutamus, notandum omninò venit, quosdam naturâ esse quasi servos, quosdam reddi lege tales. Natura sunt servi, qui minus ingenij plus roboris habent, obq; corporis vires, laboribus ferendis, aliorumq; mandatis expediendis idonei. Lege facti servi dicuntur ij, qui certis ex causis dominorum potestati subjecti sunt. Differunt à præceden-

cedentibus, quod illi consilio & arbitrio alterius volentes & cum suo commodo regantur, hi verò vitam suam ad nutum arbitriumq; dominorum componere cogantur. Unde etiam *Arist. 1. pol. 3.* talem servum definit, quod sit instrumentum sui domini animatum, ratione præditum, aptum ad aliquid agendum, natura quidem in ejus potestate existens, sed tamen ab eodem separatum.

84. Hi servi posteriores aut nascuntur aut fiunt, nascuntur ex ancilla seu serva nostra, ejusdemq; cum illa sunt conditionis *l. 5. §. 2. ff. de statu hom. l. 7. C. de rei vend. §. 19. I. de R. divis.* dicuntur vernæ, *l. 10. C. d. t.* Fiunt verò captivitate, venundatione, damnatione in metallum. Per captivitatem scil. in bello justo cum hostib. *l. 30. ff. de captivis de quib.* suo loco plurib. Per venditionem, veluti si quis dolo malo ad precium participandum venundari se patitur. *§. 4. I. de jur. pers.* per damnationem, quando nempè quis servus pœnæ efficitur. *§. 1. I. de cap. dimin.*

85. Sic jam servitute constituta, dominus servum humaniter tractabit, ei cui salarium debet, tempore justo exsolvet, & cogitabit, sibi amplius sævire, uti quidem olim permittebatur, non licere *§. 2. I. de his qui sunt sui vel alien. jur.* non adiget eum ad inhonesta, & jure naturâq; impossibilia. Ne illi denegata merces, malaq; tractatio malè recompensetur. Cujus rei memorabilia quidem sed horrenda admodum refert Otho Meland. *in Idea polit. fol. 29.* exempla quorum primum de famula cujusdam nobilis, quæ cum quotidiè malè tractaretur ab hospita, toto pectore eam in curam dies noctesq; incumbit, ut dominæ parem gratiam exponat. Cum nobilis igitur peregrè dies aliquot abfuisset, jamq; domum rediturus portam pulsaret, famula scribam, quem herus domi reliquerat, accedit, & dominam velle significat, ut statim ad sese in cubiculum suum

(hære-

(hærebat autem ipsa adhuc in lecto) veniat. Obtemperat scriba, atq; ad dominam ascendit. Interim famula hero occurrit, inquiens, sine mora ex equo desili, & in cubile tuum ascende. Reperies ibi scribam nostrum cum uxore tua adulterij consuetudinem exercentem. Nobilis ad cubile festinat, scriba fit ei obviam: dominus iracundia æstuans stricto gladio scribam invadit, eumq; transfigit, & ad cubile pergens, uxorem quoq; suam interficit. Hoc videns ancilla, injuriam se illis feciſſe clamitat. Nobilis atrocitate facti vehementer commotus, famulam ilicò confodit, & postea sibi ipsi lucis hujus usuram adimit. Alterum est de servo qui cum acerbiùs tractaretur, domino absente, ostia concludit, & uxorem domini contumeliosè affectam vinculis constringit, ac tres ejus filios comprehendit: ubi dominum videt redeuntem, unum è tribus ex altissimo solario præcipitem dat, deindè secundum. Pater tanta rei atrocitate obstupefactus precibus & lacrymis servum supplex exorare, ac modis omnibus placare conatur, ut tertium morti eripiat: Servus paciscitur salutem filij ea lege, ut dominus sibi ipsi nares præcidat, naribus ex pacto amputatis, servus cum tanta clade & contumelia dominum ultus esset, tertium quoq; dejecit, ac postremò ultionem de se ipso quam dominus cogitabat præcipiti casu cepit.

86. Hactenus etiam de Politiæ materia, restat Forma cum Fine. Forma ejus, administrationis est ratio, seu qualitas recta & proba, bonis legibus & consuetudinibus temperata, *Tholoz. l. 1. de Republ. c. 1.* Proq; diversitate Politiarum est multiplex, uti infr. suo loco demonstrabitur.

87. Finis est gloria Dei, & salus populi. Ut enim gubernatori cursus secundus, Medico salus, Imperatori victoria: sic moderatori Reipub. beata civium vita proposita est: ut opibus firma, copijs locuples, gloria ampla, virtute honesta sit.

Disputationum
JURIDICO-POLITICARUM
SECUNDA

DE DOMO PAGO ET CIVITATE.

Placidæ ventilationi subjecta.

à

RESPONDENTE
PETRO LUTKENS
Hamburgense.

THESIS I.

EXpositum est in disputatione antegressâ, primam politiæ causam dedisse plures familias, quæ cum una domo comprehendi amplius haud potuissent, in plures domus, pagos & civitates eas exiviſſe, operæprecium igitur etiam hîc me facturum puto, si de singulis sigillatim quid discutiendum proponam, & ad veri lancem examinandum exponam.

2. Domus, quoad Etymologiam, vocabulum græcum est, & dicitur ab οἶκος vel οἰκία, quoad ὁμωνυμίαν sumitur vel *propriè* vel *impropriè*.

3. *Propriè* vocabulo sumpto, significat ædificium, in quo paterfamilias cum suis degit, ac larem sedemq; fortunarum suarum fecit: nec interest, sive sit taberna vel domus

conducta, propria vel aliena, precaria vel gratuita. *l. 203. ff. de V. S. l. 5. §. domum de injur. l. qui domum 7. l. nec in ea 22. ad L. Jul. de adult.*

4. *Impropriè* sumitur 1. pro familia domestica tantum, 2. pro eo quod ex familia & re familiari tanquam partibus integrantibus est compositum. 3. Pro agnatione & tota aliqua gente. Primæ significationis usum, demonstrat *Aristoteles 1 pol. 1.* dum inquit; domus est societas naturalis, ad quotidianum vitæ usum constituta. In altero significatu sumitur ab eodem, dum ab ipso *1. Oecon. 2. & 1. pol. 3.* duæ domus statuuntur partes, homo & possessio. Tertia significatio eleganter admodum depingitur à *JCto Paulo in l. fin. ff. de off. præsid.* quando dicit: Prætor non tantum animadvertet, quid ad solam jacturam substantiæ, sed ad totius domus eversionem pertineat.

5. Dicta modò fuit domus societas, eò quod societas sit contractus consensu initus de rebus & operis honestis in quæstum communicandis, sic etiam domus dici potest societas seu communio quædam, eò quod domestici multa habeant communia, nempè locum & domum quam inhabitant; tectum sub quo cubant: focum & ignem apud quem se calefaciunt: mensam in qua cibum capiant, fontem vel puteum, unde aquam ad potum hauriunt. *Arist. d. c. 1. pol.*

6. Ex domibus multis orti sunt pagi, dicti à *Græco* πηγὴν Latino, *fonte*, propterea ut videtur; quod rustici potissimum gaudeant circa fontes habitare, quò facilior sit aquatio: vel ut alijs placet, à *Græco* πάγος, quod montosum & saxosum denotat locum: In montibus enim celsis ut refert *Servius Tullius* Agrestes sua olim paravêre refugia, ut se eò cum omnibus ex agris sub adventum hostium reciperent, ibidemq; pernoctarent.

7. Nos

7. Nos hodiè *Pagum* vulgò interpretamur *Villam* *rusticam Paganos* verò *Rusticanos*. In hoc sensu JCti & LL. Imperatorum *Milites* opponunt *Paganis*. Unde testamentum Paganum & Militare, illud quod domi extra aciem, hoc quod in militia in procinctu fit. Solebant enim Rustici seu coloni in legendo milite præteriri, vel quod miles urbanus ad exercitia militaria magis esset idoneus, vel, quæ causa forsan potissima, ne, subtractis agricolis, agri negligerentur, nec esset, unde annona civibus, salaria magistratibus, stipendia militibus subministrarentur: Cujus incommodi prævertendi causa; exemplum egregium refert de Suevis, *Cæsar. lib. 4. bell. Gall. in pr.* qui Pagos olim suos ita ordinare soliti, ut ex singulis singula millia in militiam exirent, ijsq; reliqui, qui domi mansissent, alimenta ex agricultura suppeditarent, idq; alterna vicissitudine, ut nec agricultura, neq; ratio atq; usus belli intermitteretur.

8. Cum pago ex parte convenit vicus, qui describente *Varrone lib. 1. de LL.* est locus in quo ex utraq; parte viæ domus certis spatijs distinctæ sunt; Indè etiam vici perhibentur duplices pagani & urbani. Pagani sunt pagi ex pluribus villis domibusq; rusticis coagmentati, spatio aliquantulo ab urbe remoti, nullisq; mœnibus cincti. Urbani sunt plateæ in urbe ex utraq; parte cinctæ.

9. Alij pagum & vicum pro uno eodemq; usurpant, dictumq; putant, vel à vicinis habitatoribus; vel quod sit vice civitatis; vel quod vias tantum habeat sine muro. Verum vicus à Pago differt in eo: quod vicus propriè nihil aliud sit, quam locus publicus, utrinq; ædificijs cinctus, per quem incolæ transeunt: Germanicè Ein Gaß. A vico Saxonicum Wick descendit. Unde Brunschwick / quasi Brunonis vicus: Wick enim Antiquis Saxonibus castellum significat: Flack oder Städtlein / darein sich die Bürger vnd Einwohner

wohner des orths für gewalt enthalten mügen: Unde Ludwic, quasi Leudwick / populi defensor.

10. Ex conjunctione vicorum descendit Urbs, dicta ab urvo seu urbo. h. e. Aratri curvatura: propterea quod olim veteres in condendis urbibus, ijsdemq; etiam destruendis, aratro sulcum ducere solebant, per quem illarum magnitudinem definiebant. *l. 239. §. urbs ab urbo 6. ff. de V. S.* Dico olim, multas enim hodiè invenies sine fossa urbes in mari extructas, alijsq; fluminibus circumdatas, muros non habentes. *Arnisæ. 1. polit. 6.*

11. Sub nomine urbis continetur etiam oppidum. Nec per se, inter oppidum & urbem aliquid discriminis est; tametsi vulgò, voce oppidi, intelligi soleat urbs duntaxat parva, quæ benè munita non est *Althus. c. 5. n. 38.* dicitur aliàs oppidum, quod opem præbeat adversus hostes: vel quod in eo opes suas recondant. *d. l. 239. §. oppidum ff. de V. S. Hæn. diss. polit. 11. th. 11. lit. b.*

12. Civitas & differt ab urbe, & simul cum ea convenit. Differt 1. in eo, quod urbis termini muri sint, & ijsdem ipsa finiatur. Civitas autem non in parietibus & muris; sed in jure & multitudine hominum, secundum easdem leges viventium certaq; ratione moderatorum, posita sit. Hoc si olim Carthaginensium sciviſſent Legati, non tam læti è curia Romanorum exiviſſent. Nam cum in Senatu de exscindenda Carthagine decerneretur, pervulgata fama Carthaginenses Legatos Romam miserunt, ne urbem antegestarum gloria clarissimam delerent: quibus responsum à Consule, ut in fide Senatus populiq; Romani permanerent, sic salvam fore Carthaginensium civitatem. Legati accepto responso domum redeunt: quos statim Scipio Africanus junior classe magna insequitur. Scipio Carthaginensem populum ex urbe excedere, sic tamen, ut quæcunq; vel-

let

ſet exportaret, urbemq; à portu remotiorem conderet, jubet. Carthaginenſes imperio ducis perterrefacti, fidem Senatus populiq; Romani interpellant; quibus reſponſum: ſe quæcunq; legatis promiſſa fuiſſent præſtiturum; civitatem verò mœnibus urbis minimè contineri. Sic & hodiè legatos quoſdam juris fecialis ac legum imperitos, in pacis actionibus, fœderibus feriendis peccare videbis.

13. 2. Una numero civitas, haud eſt allegata ad unam aliquam certam urbem; ſed in diverſis urbibus, imò & in pagis conſiſtere poteſt. Unde nemini dubium eſt, quin Coloni Romanorum, cives fuerint Romani, ſiquidem eodem ſanguine creti, ijſdem moribus ac legibus utentes. Hac ratione hoc ſeculo noſtro in ſuburbijs german. Vorſtädten qui degunt, licet propriè partes urbes non ſint, ſed potius appendices, civium appellatione veniunt, *per l. pupillus. §. Incola 2. l. qui in continentibus 147. ff. de V. S. l. Nam quod 4. §. 4. & 5. ff. de penu legat.* Hincq; Parochiani Eccleſiarum civitatis, Die in eine Stadt verpfarret; licet longè extra muros extendatur Parochia, Civitatenſium appellatione venire poſſunt.

14. Convenit cum urbe civitas, dum ſtrictè civitatis nomine comprehenditur id ſolum quod intra mœnia eſt: quo in ſignificatu ſumitur *in l. ſi quis. 6. l. ſingularum 7. C. de ædif. privat. l. præſcriptio 6. C. de operib. publ.* Hinc dijudicare quimus, quando privilegia urbi conceſſa, vel juriſdictio in civitate data, ad ſuburbia, vicos, comitatum &c. extendantur.

15. Urbs alia Metrapolis eſt. *Schonborn. 1. polit. c. 13.* alia à Metropoli pendens. Metropolis dicitur, quaſi mater & caput reliquarum; vel quod indè Coloniæ tanquam filiæ deductæ ſunt; vel quia præcipua eſt inter alias civitates, à quibus obſervatur tanquam mater, & à qua aliæ tanquam

filiæ regũntur, atq; defenduntur: unde & Metropolin munitam esse oportet: seu ad cujus exemplar cæteræ civitates sese conformant; & cujus consuetudinem sequuntur. Sic & Antoninus Imperator civitates dividit in majores & minores *l. 6. ff. de excus. tut.* Sic nulla olim provincia erat sine Metropoli. *l. unic. C. de Metrop. Berÿt.*

16. Hodiè juxta nostrum Imperij Romani statum, civitas vel est libera & imperialis, vel municipalis, vel mixta, vel demum Hanseatica seu Anseatica, Hanse Stadt.

17. Imperialis & libera civitas dicitur ea, quæ immediatè summum Magistratum pro suo superiore agnoscit, atq; ita ab aliorum Principum, Ducum vel Comitum Imperio libera. Unde & in politia nostra Germanica Imperialis dicitur, quæ jure suffragij & sessionis in Comitijs Imperij utitur, ac illius matriculæ, ut Imperij membrum, est inscripta. *Gail. 1. observ. 21. num. 9. & 2. O. 57.* ac Nobile Imperij Romani membrum appellatur. *Regn. Sixtin. de Regalib. lib. 1. c. 4. n. 80.* imò fulcrum & columna Imperij dicitur. *Arum. discurs. 9. conclus. 45. de quib. tamen infra, ubi de statib. Imperij, agemus pluribus.*

18. Municipalis civitas illa est, in quam Princeps sive dominus territorialis jurisdictionem habet superiorem, uti olim Præses. *l. 1. C. de defens. civit. nov. 15. cap. 6.* Unde dicitur: Principem territorialem civitatis propriè & plenum illum haberi, qui jurisdictionem superiorem in illa habet, seu qui jura illa in civitate quadam obtinet, quæ Imperator noster habet in Imperio Romano: id est illum superiorem loci principem pleno jure & propriè esse, qui regalia & merum mixtumq; Imperium, omnimodamq; jurisdictionem in civitate aliove loco exercet, ita ut tanquam superior, aut mittendi Magistratum ad reddendum jus habeat, aut civitas sibi quidem Magistratum eligat, sed confirma-

firmationem à suo Principe exspectet; plura qui de civitatum municipalium jure cognoscere cupit, adeat *Matth. Stephan. de jurisd. lib. 2. part. 2. c. 2. per tot.*

19. Mixta civitas vocatur ea, quæ partim Imperatorem, partim alium nempè Ducem vel Comitem superiorem agnoscit, & suis privilegijs utitur, *Gail. 2. O. 17. n. 7. & 8. & O. 54. n. 10.* Illustrari hæc res potest præjudicio Caroli IV. Imperatoris inter Duces Holsatiæ, & Civitatem Hamburgensem, ea namq; civitas, unà cum universitate Ducatus, cui illa adhæret, datur à Cæsaria Majestate & Imperio in feudum Duci Holsatiæ, cui & præstat homagium, ut notat *ex Crantzio Hotomann. in diss. de feud. c. 24.* Quocirca Duces Holsatiæ, ab eo tempore illam civitatem tanquam simpliciter subjectam, & merè municipalem sive provincialem sibi appropriare voluerunt. Quam litem referente *Crantzio lib. 10. c. 2.* Carolus IV. diremit Lubecæ, ita ut Hamburgum oppidum Comitibus (hodiè Ducibus) quidem pareret, salvis tamen libertatibus, quas ab Imperiali culmine promeruerunt. *vid. Reinking. de reg. Sec. & Eccl. l. 1. class. 5. c. 20. num. 5.*

20. Quibus addi potest, præjudicium Cameræ Imperialis, in causa civitatis Brunsvicensis, contra Ducem Brunsvicensem Henricum Julium. Cui purè & absq; clausula mandatum, ut ipsius celsitudo à cognitione & processibus causarum, quæ civitatis Brunsvicensis regalia tangunt, se abstineat? *Decretum Spiræ Anno 1599. die 27. Sept.*

21. Nec objici potest, frustra igitur Duces & principes civitatum dici. Licet enim civitas Brunsvicensis certo respectu Ducem Brunsvicensem ratione territorij recognoscat; ratione tamen regalium, quæ habet ab Imperatore, eadem Imperatori & Imperio immediatè subest. Quinetiam possunt Duces & Principes in quibusdam civitatibus

habere

habere quædam jura, licet eorum territoriorum domini non sint: undè neq; Principes illarum civitatum. Sic Duces Brunsvicenses obtinere jura, insignia Goslariæ constat: neq; tamen civitatis illius principes sunt: sed illa libera Imperij civitas est. Sic Marchiones Brandenburgenses, Burggraviatum Norinbergensem: Duces Saxoniæ, Burggraviatum Magdeburgensem sibi vendicant; Norinberga tamen libera imperij est civitas. Et Magdeburgum ducibus Saxoniæ subjectum non est. *add.* Reinking. *d. l.*

22. Civitates Anseaticæ sive Hanseaticæ sunt & dicuntur civitates fœderatæ, tam ex Imperialibus quam Provincialibus civitatibus. De earum origine multi sunt qui disputant. *Wehner. in pract. obs. verb.* Hanse Städte/ tradit, eas paulò ante tempora Friderici II. Imperatoris, circa annum Christi 1200. primitùs ita coiisse cæpisse. *Waremund. verò ab Erenb. de fœd. lib. 1. c. 2. n. 44.* opinatur circa annum Christi 127. Quicquid autem horum sit, sufficit nobis fœdus hoc à Carolo IV. Imperatore esse confirmatum, uti videre est, auß der Teutschen vereinigten Hanse Städte verantwortung *de Anno 1609.* Nec non etiam in Recess. Imperij passim. Ne dicam conventus Hanseaticos Imperatores, Reges & Principes splendidissimis suis legationibus dignatos esse. Ut & adhuc paucis ab annis, nimirum anno 1598 uno eodemq; tempore Imperatorum, Regum, Hispanicum & Polonicum legatos comitijs Hanseaticis interfuisse notorium ferè est.

23. Circa notationem etiam non conveniunt Interpretes. *Matth. Steph. de jurisd. lib. 2. part. 2. c. 3. n. 4.* putat, civitates Hanseaticas dici, quasi die Handel Städte. *Besoldus disput. pol. 6. class. 2. th. 11.* existimat, accepisse eas nomen, à Gothico verbo Anse/ quo Proceres & Heroes denotabantur, eiq; voci successu temporis literam H. melioris euphoniæ gratia esse adjectam, quam quidem allusionem

multi

multi reprobant, remota tamen adeò non videtur, siquidem in inferiore Saxonia & Westfalia in usu loquendi populari & vulgari, si qui supra sortem suam videri & æstimari volunt, Hansi appellantur, Dat welt grote Hánse sien / Item dat ys ein weldig Hans. Hinc apud omnes in usu ferè est modus ille loquendi, Es sey groß oder klein Hans.

24. Neq; improbanda eorum notatio, qui eas à See i. e. mari, quasi an See Städte denominatas autumant, quia præcipuæ ferè mari adjacent: à potiori autem plerumq; fiat denominatio. Hancq; notationem firmare videntur multæ ex novissimis Imperij constitutionibus, in quibus sæpè dicuntur See vnd Ansee Städte R. A. *de anno 1548. §.* Vnd als erstlich in solcher Regierung / *ibi.* Das mit den See vnd Ansee Städten gehandelt werde. & passim *de quib. vid.* Reinking. *in regim. lib. 1. class. 4. c. 20. n. 44.*

25. Hæ civitates primum in tres: deinde Prussicis, accedentibus, in quatuor classes, seu metropoles: Lubecam, Coloniam, Brunsvigam & Dantiscum distributæ. Hodiè quotannis Lubecæ ob expeditionem negociorum conveniunt, ubi etiam Archivum suum habent. *Rutg. Roland. de Commissar. lib. 5. p. 2. c. 2.*

26. Quot olim numero fuerint vel hodiè adhuc sint, non ita exactè exponere queo; tum quia nonnullæ ante aliquot annos ex societate illa Anseatica sunt ejectæ, nonnullæ verò sua sponte renuntiarunt. Sic Brunsvicenses ex societate Hansæ anno 1383. excluſi, post aliquot annos, Lubecæ in publico conventu publicam pœnitentiam facere, nudisq; pedibus & nudo capite cereos è D. Mariæ templo in prætorium portare, ibi ingeniculati veniam precari sunt coacti, antequam reciperentur. *vid. Crantz. lib. 9. Wand. hist. c. 7.* Sic Colonienses à communione Ansæ segregati anno 1475. ad Instantiam Impp. & Archiepiscopi Colonien-

sis, facta prius satisfactione, iterum suscepti sunt; *idem Crantz. lib. 15. c. 22.* De Hansatico fœdere in specie quædam, Deo favente proponam, disp. de fœderibus subseq.

27. Quibus præmissis duo nobis circa civitatem seu urbem occurrunt admodum notabilia, primum respectu totius, alterum ratione partium in civitate seu urbe contentarum.

28. Respectu totius omnium primò considerandus est urbis seu civitatis situs: Dicet forsan hîc aliquis; Quid mihi cum situ? Sed heus Theologe, qui legisti caput. *Num. 13.* Quid ibi? Nonne Moses jubet considerare terram, qualis sit, an bona, an mala: humus pinguis an sterilis: nemorosa an absq; arboribus? Quî si tibi aliquando urbs commendanda esset, ecquanam ratione institues commendationem illam, si constructionem illius laudabilem non didiceris?

29. Tu verò Jureconsulte, qui Principis consiliarius audis, quod consilium, quæso, suggeres Principi tuo, urbem quampiam ædificaturo, cum illic rationem urbis pulcrè commodeq; extruendæ abs te exquirit, si ex civilis prudentiæ monumentis modum rationemq; illam non perceperis? Suadebisne Principi, ut ad Orientem potiùs, quam occidentem: ad septentrionem magis, quam ad meridiem urbem suam ædificet.

30. Enimvero si vel micam Physiologiæ habes, potiùs suadebis, ut civitas ad Orientem vel ad Septentrionem, quam ad meridiem vel occidentem ædificetur. Unde Aristoteles, Doctorum Doctor, ut meritò ipsum appellat Justus Lipsius *lib. 7. polit. c. 11.* tam ad salubritatem, quam ad diversæ Reipubl. formæ rationem, urbem sic ædificandam existimat, ut quatuor rerum habeatur ratio, sanitatis, civilium actionum, rerum necessariarum invectionis & exportationis, hostiumq; aversionis. Ad valetudinem & salubritatem

tatem facit, ut urbs in Solis ortum aut certè in Septentrionem vergat. Hæc namq; magis commodis auris refrigeratur, & salubrior est. Deinde eam formam urbs habere debet, ut aquarum salubrium ibi sit copia, oppidanis exitus facilis, hostibus aditus difficilis, situsq; ad urbem obsidendam incommodus. *Schonborn. lib. 1. pol. c. 14.*

31. Undè facilè dignoscendum, quid sentiendum de locis nimiùm asperis & montosis, siquidem ex ijs difficilis admodum commeatuum est subvectio. Malè ergò suasit Dinocrates Architectus Alexandro M. ut etiam super montem Athon urbem extrueret, ex qua incolæ nihil, quod ad vitæ sustentationem faceret, obtinere possent.

32. Illud dubio non caret, Num conveniat urbes, natura, quæ non munitæ, mœnibus circumdare, an verò magis ex re sit, istam munitionem omittere? Equidem in utramq; partem plausibilibus admodùm argumentis vibratur Quæstio.

33. Aristoteles *lib. 7. polit. c. 11.* autor est, Veteres existimasse civitatibus istis, quæ virtutem possideant, adesse non oportere mœnia. Tyranni nonnè sæpè castris, arcibus & mœnibus ad crudelissimam sui libidinem sunt abusi? nonnè paratam indè habuère subditos suos opprimendi occasionem? Quid, quod si urbes validissimis circumseptæ sint mœnibus, cives somno vinoq; sepulti, & in utram vis aurem securè stertentes, jacent, nihil in rei militaris disciplina studij ponunt, sed susq; deq; ea habent, quæ ad armorum usum necessariò requiruntur.

34. Ast quicquid sit, rectiùs tamen videntur judicare ij, qui mœnibus urbem necessariò muniendam esse censent. Ut enim aggressores in omnes vincendi occasiones, & in illa quæ ad victoriam ducunt media valdè intenti sunt, & tum stratagemata tum instrumenta omnia conquirunt; Sic

qui injuriam & vim à se propulsare & contra hostilem impetum vitam opesq; tueri suas volunt, eos manibus & pedibus enixè facere omnia & nullum non lapidem movere decet, ut illa in promptu habeant, quæ ad defensionem necessariam pertinent. Hostes enim timidiùs aggrediuntur eos, qui sese ab apparatu bellico præclarè instruxerunt, *add. Aristot. d. lib. 7. pol. c. 11.*

35. Idem profectò respicientes JCti nostri, muros magnoperè necessarios esse, eo ipso haud obscuram dederunt significationem, quod res sanctas & divini quodammodo juris eos pronunciaverunt. *l. 1. in pr. l. sanctum 8. §. in municipijs. ff. de div. rer. §. sanctæ 10. l. eod.* Ac proinde violatores murorum sive faciant transcendendo sive aliaqualibet ex causa, capite plectendos existimarunt. Nam cives Romanos aliâ, quam per portas egredi viâ non decet, cum illud hostile sit & abominandum. Hac ratione Romuli frater Remus occisus traditur, quod murum transcendere voluerit. *d. l. fin. de R. d.*

36. Nec me movent argumenta suprà in contrarium adducta: siquidem nihil ad decus urbis honorificentius accidere potest, quam mœnia artificiosè & magnificè extructa. Non obstat Tyrannos mœnibus fuisse abusos, cum hoc Tyrannorum sit vitium. Uti nec illud, mœnia socordiam civium movere; possunt namq; Magistratus socordiam istam per usum armorum & militaria exercitia ex civium animis expellere, ignavosq; qui ad sonum tubæ trepidant ex Reipubl. suæ finib. exterminare.

37. Et hæc de toto: sequitur consideratio partium, melius quæ tractari nequit, quam si ad cives & ad incolas, eorumq; res seu bona accommodetur.

38. Civem alij aliter definiunt. *Aristot. 3. polit. 1.* cum definit civem, qui imperij, suffragiorum, consilijq; publici

publici est particeps. Definitionem istam Bodinus *lib. 1. c. 6. n. 48.* impugnat, ipseq; hanc suppeditat: quod civis sit liber homo, qui summæ potestatis imperio tenetur: sed ut plerumq; accidit, cupiens vitare charybdim incidat in Scyllam, sic etiam ipse Bodinus. Hac enim definitione admissa, sequeretur Incolas, Peregrinos itemq; Judæos esse cives; quod tamen jura omnia civitatum negant, negatq; ipse Bodinus *l. 1. c. 6.*

39. Neq; tamen hoc ipso approbo definitionem Aristotelis, cum sit angustior suo definito: civis enim esse potest, qui tamen non statim consilij publici sit particeps: Et democraticum statum, qui tamen omnium pessimus, maximè spectat, si omnes cives munerum & consiliorum publicorum essent participes & expertes; undè rectè Solon infimæ classi civium portam dignitatum claudebat. *Plut. in ejus vita.*

40. Rectius meo judicio definitur civis, homo politicus, legibus Reipublicæ obligatus & ejusdem immunitatibus & beneficijs gaudens. Non me fugit *Arnisæ. lib. 1. pol. c. 6.* rejicere etiam hanc, eò quod civis, qui in relatione ponitur, per absolutum genus videlicet hominem, definiri nequeat; verum definitionis præmissæ verba accuratiùs si considerentur, responsionem in ipsis latere puto.

41. Civis est vel propriè ita dictus, vel secundum analogiam, Propriè dictus iterum vel est plenus vel ex parte. Plenus definiri potest is, qui habet plenum & totum jus civitatis quod apud nonnullos vocatur Das grosse Bürgerrecht/ vel qui in civitate omnium aliorum civium privilegijs utitur.

42. Plenus rursus duplex: aut enim Originarius & naturalis est, aut assumptus & ascriptus.

43. Naturalem seu originarium Ulpianus *l. 1. ff. ad municip.* definit eum, qui in civitate natus est; Nascuntur autem cives, vel ex utroq; Parente cive vel alterutro tantum, *d. l. 1. §. 2. ff. ad Municip.* Undè quæri solet. Quid dicendum de eo, qui quidem ex patre esset Rostochiense, matre vero Lubecense, cujus sit civitatis civis? Et respondetur ex *d. l. 1. §. 2.* quod sit Rostochiensis, quia patris sequitur originem, non matris, nisi forte privilegio aliquo materna origo censeatur, tunc enim maternæ etiam originis erit municeps. Sic Ilienſibus concessum erat, ut qui matre Ilienſe esset natus, sit eorum municeps. Idem Ponticis ex beneficio Pompeji Magni competijsse refert *Celsus. d. §. 2. ad municip.*

44. Non minùs de spurijs seu Nothis dubitatur, utrum inde adpellandi, ubi mater? & magis est ut affirmemus, cum aliam originem habere nequeant: eò quod pater eorum incertus sit. *per d. l. 1. §. 2. in fin. ff. ad municip. add. Keckerm. 1. polit. 8. fol. 178. & disp. pract. 30. problem. 6.* Nothorum verò tres potissimum existunt species. Una eorum est, quos cælibes, ex amicis in concubinatum ascitis tollunt: hos Justinianus naturales appellat, & in sextantem hereditatis cum matre vòcat; *Nov. 89.* Sunt alij ex ea concepti, quæ citra concubinatum citraq; matrimonium viris jungitur: qui Spurij dicuntur. Tertium genus est eorum, quos adulterium gignunt & incestus. *vid. Schneid. l. de succes. spuriorum seu vulgò quæsitorum.*

45. Civis ascriptus sive assumptione in civitatem is est, qui in civitatem & jus civium recipitur. *Vult. lib. 1. Jurisp. Roman. cap. 9. n. 2.* Hujus gratia tres lubet addere quæstiones non inutiles. Quarum prima erit, utrum peregrinus possit recipi pro cive? Altera, Anne Judæus? Tertia: Num Spurius?

46. Sa-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730917185/phys_0058
DFG

46. Sanè de omnibus tribus argumenta in utramq; partem sat probabilia proferri possent, verum brevitatis ergò meam de his mentem simpliciter exponam, atq; sic reliqua placidæ collationi relinquam.

47. Itaq; de Peregrinis statuo, eos non promiscuè, non quarumvis nationum colluviem recipiendam, nec omnimodo, sed adhibita justa discretione, deliberatione præcedente, certisq; sub conditionibus. Non ergo recipiendi aut ferendi ij, quos aliæ Respubl. ob justas causas ejecerunt, extortes reddiderunt: nec illi qui ad otium & animi libidines illic vivunt, ac morum corruptelam clanculum introducunt. Verum si sint viri boni, digni & probati, si amicæ, sociæ & confœderatæ nationis, si præter meritum suum miseri, & pietatis, rei honestæ, aut religionis causa solum, prout hodie proh dolor multis contigit & contingit, vertere jussi, ijs sanè non tantum hospitium sed & jus civitatis debemus. Ita Solon non tantum non recepit, sed & ab urbe repelli voluit, peregrinos, exceptis exulibus *Plutarch. in vit. Solon.* Athenienses in communionem civitatis receperunt Lysiam Thurium & Pompej. Atticum, sed non nisi ob magna merita, imò tanto cum delectu receperunt, ut ad civitatem peregrino communicandam 6000. civium vota quæsiverint. Idem suadet *Otho Melander in idea Polit. fol. 45.* Ut scil. non nisi vitæ honestæ antea actæ testimonijs maximè conspicui in civitatem accipiantur: Accepti autem etiam ad honores & publica munera admittantur. Ubi tamen Magistratus majorem habebit curam ac rationem ipsorum originariorum quam assumptorum, cum illi duplici vinculo, naturali nimirum & civili, cum Republica conglutinati sint. At verò duæ rationes seu duo vincula fortius ligant uno. *§. sed hodie & ibi gloss. l. de adopt. l. fin. C. de edict. Div. Hadr. tollend. cum similib.* Hinc Johann. Vatadiensis,

Episco-

Episcopus, regniq; Ungarici Cancellarius, cum Præfecturas Urbium & provinciarum ad novos & incognitos deferri homines animadverteret: post annum, dixit, videbimus, bona ne fuerit Regis electio. Quod si mihi fides fuerit, probatos ad hæc munera, quam probandos potiùs assumam. *Æne. Sylv. in comm. add. Besold. lib. 1. polit. c. 11 n. 12.*

48. De Judæis dico, si quietè & pacificè vivant, tolerari quidam eos posse *l. Christianus 6. C. de pagan.* cui adstipulatur vaticinium Christi *Matth. 24. Marc. 13. Luc. 21.* Amen dico vobis non præteribit hæc generatio, donec omnia fiant, sed recipi in cives non debere, utpote omnium dignitatum sunt incapaces, proindèq; infames *l. fin. C. de Jud. & cælic.* hinc ad differentiam Christianorum flavo annulo super vestes distinguuntur. *c. in nonnullis ubi Panorm. & Felin. X. de Jud. & Sarac.* Unde etiam crescente insolentia, multitudine & avaritia Judæorum, novissimo jure non cuivis Magistratui, hosce recipere permissum est, sed cæpit esse de Regalibus summi Principis, jus recipiendi Judæos, & tanquam regale singulare Caroli IV. constitutione Electoribus conceditur. *Aur. Bull. c. 9.* quod tamen postea ad omnes Principes, & status & alios jura regalia immediate ab Imperatore recognoscentes, translatum, uti & ad eos quibus id specialiter indultum. Reformat. Guter Policey Ordnung zu Augspurg *de Anno 1548. sub tit.* Von Juden vnd jhrem Wucher *ibi.* Setzen / ordnen vnd wollen wir / das niemandt hinfüro Juden auffzunehmen / oder zu halten gestattet werden soll / dann den jenigen die von vns oder dem Heiligen Reich Regalia haben / oder insonderheit derhalben Privilegiert sind. Si verò ab alijs recipiantur, qui hæc jura non possident, securitate publica non gaudent, Policey Ordnung zu Franckfurt. *sub tit.* Von Juden vnd jhrem wucher. *ibi,* Da aber jemandt darüber Juden auffnehmen würde / so

sollen

sollen doch dieselben an keinem orth sicherheit / noch geleit haben. *Et vid. omninò. Reinking. in reg. lib. 2. class. 1. c. 3.*

49. Spurios seu nothos quod attinet, reperies multos qui sentiant, inter Reipubl. cives numerandos eos non esse, multò minus ad horum fastigia evehendos. Sic olim sapientiores Ethnici, ut Athenienses, Lacedæmonij, Romani, aliæq; civitates, juxta justitiæ normam admodùm viventes, libertatis nec non civitatis communicationem pernegarunt nothis. Idem hodie adhuc observatur Venetijs, ubi ordinis patritij juvenes anno ætatis vicesimo exacto, magistratum qui vulgò Advocatorius dicitur accedere coguntur, & duobus testibus probare sese ex eo natos, quem patrem profitentur, non spurios, sed matrimonio, legibus, statuto & matre honesta muliere: Hac ratione jus civile omnem portam dignitatis spurijs præcludit *l. generaliter §. spurij ff. de decurionib.* Invenies è contra alios spurios in civitatem admittendos contendentes, quorum non ultimum fundamentum ex *l. 6. ff. de decur. ibi.* Quod spurij ad dignitatem decurionatus pervenire queant: alterum ex *§. sufficit l. de ingenuis.* ubi, quod calamitas matris non debeat nocere ei qui in ventre est: quodq; pœna suos tantum debeat tenere authores *l. crimen. 26. ff. de pœn. & similib.* Ego ad meliorem quæstionis decisionem distinctionis fœdere utar, distinguens inter spurios virtute & eruditione claros, & inter illos qui in sordibus & vitijs parentum turpiter permanent, nec maculam generis virtute & vita honesta obfuscare & delere studeant. Qua differentia admissa, priores admittendos esse nullus dubito: cum non desint exempla, etiam spurios ad maximos fortunæ gradus perveniisse. Romulus, quem tamen Dei genitum ferunt, nonnè ex incestu natus? nonnè eadem aspersi macula, Apollo, Mercurius & alij viri nobilissimi etiam pro Dijs habiti? Idem sanè non pauci de

Alexandro M. existimant: Homerus, quo nemo divinior: Salomon quo nemo sapientior: Hercules, quo nemo fortior: Bartolus, quo nemo JC. celebrior: Roterodamus, quo nemo excellentior: Demosthenes quo nemo eloquentior, spurij fuerunt: *vid. Paleott. de spurijs cap. 55.* quibus annumerari possunt Jephtha ex sacris, Themistocles ex prophanis historijs. Posterioris verò generis spurios non tantum è civitate exterminandos, sed & puniendos esse, intrepidè asserо.

50. Civis ex parte dicitur, qui vel in civitate habitans partiale jus civitatis habet, vel alibi habitans cum civitate confœderatus est, ita ut civis ex parte sit inquilinus vel extraneus. *Inquilinus* qui saltem uno aliquo pleni civis jure, non autem omnibus privilegijs & juribus Reipublicæ uti potest. *Extraneus* sive confœderatus, qui jus civitatis ex fœdere in quibusdam est adeptus. Sic hodiè ex mutuo fœdere communicatio civitatis & amicitiæ fides est inter Genevenses & Bernates, ita ut qui ex fœderatis socijs sua civitate deserta, in aliam sociorum commigrare malit, eodem momento civis ac socius fiat sociæ civitatis, sine cooptatione, rogatione, aut rescripto singulari. *Bodin. t. pol. 6. Arnisæ. libr. 1. de Republ. c. 5. n. 8.* Idem dicere quidam volunt de Elbingensibus & Dantiscanis. *Keckerman.*

51. Sed hic dubitare quis posset, utrum aliquis duarum civitatum simul civis esse queat? mihi negativa cum *Arnisæ. d. l.* videtur verior, i ta tamen ut juxta præcedentia & jam jam sequentia distinguam inter inquilinum, extraneum seu confœderatum, civem honorarium, & inter civem verum & plenum, adeoq; verum civem duarum civiatem neminem e sse posse, eò quod is qui totus obligatur uni Reipubl. nequeat oligatus esse & alteri, quippè semel quod donatum non potest iterum donari, *l. sequens 68. de leg. 2.*

leg. 2. Et rerum natura non patiatur, ut qui uni astrictus est loco, per universam provinciam liberè vagetur. Sicut etiam sui copiam maritus alteri facere nequit, quia sui potestatem perdidit, dum se totum uni uxori in matrimonium tradidit, ut ratiocinatur *D. Paulus 1. ad Cor. 7.* Ita nequit obedientiam stipulari alteri civitati, qui eam totam consecravit primæ.

52. Civis per analogiam & impropriè dictus est vel honorarius vel forensis. Honorarius dicitur, cum honoris & meriti ergò peregrinis, Regibus & Principibus, civitas datur titulotenus, nudo honorum & suffragiorum jure, absq; omni subjectione, domicilio & necessarijs muneribus. Forensis verò est advena, qui aliundè advenit, mox discessurus, & foro, nundinis, commerciorum jure uti potest, secundum leges & mores illius civitatis. *Althus. c. 5. polit.* Ut enim incola incolatus sui magistratui parere tenetur. *l. incolæ 29. ff. ad municip. l. 3. ff. de munerib.* Ita & peregrinus jure commorationis Reipubl. in qua versatur aliquo modo subjicitur *l. 4. C. de commerc.* notandum interim forensium conditionem esse aliam liberiorem, aliam restrictiorem, juxta differentiam ipsarum personarum.

53. Præterea veri cives alij sunt eminentioris alij inferioris conditionis. *Besold. lib. 1. polit. c. 11. §. 5.* Eminentioris conditionis sunt Nobiles, Doctores, Milites, vel alias officij ratione in dignitate aliqua constituti. Inferioris sortis sunt opifices, mercatores, agricolæ & alij de quib. singulis, videri potest *Hæn. disp. pol. 2. th. 26. & seqq.* ipseq; infrà ubi de subditis in genere Deo volente, plura proponam.

54. Pauca saltem hic addere lubet de Carnificibus & Lictoribus; quorsum sint referendi, num etiam Civibus honestis annumerandi? Equidem *Arnisæus lib. 1. doctr. polit. c. 12. fol. 303. & 304. Besold. lib. 1. pol. c. 11. n. 57.* hoc genus

hominum non admiscendum cœtui honestorum civium, dicunt, sed potius extra mœnia ablegandum. Sic per leges censorias Carnifici domicilium in urbe habere non licuit *Cicer. pro Rabirio perduelle*, uti idem adhuc hodiè non paucis in locis observari videbis: *quin & Cic. eod. loco.* scribit, funestrari concionem lictoris vel carnificis interventu; Unde ejusmodi homines ipsâ naturâ humanâ exosos dicit *Tholozan.*

55. Rectè id quidem, si mores & vitam turpem Carnificum, lictorumq; hodiernorum considéremus. Quod si verò officium eorum per se, remotis circumstantijs, perpendamus, propter illud eos excommunicari posse, non apparebit. Hebræorum enim seu Mosaicis Legibus, nobilissimos quoq; si testes capitalium criminum fuissent, eosdem carnifices habere non modò fuit honestum, sed etiam necessarium, *Deut. c. 17. v. 7. Bodin. de Republ. lib. 3. c. 8. Keckerm. c. 17. lib. 1. system. Polit.* Imo totum populum Judaicum, cum pœnas de sontibus sumerent, vel Judices & Reges, si capitis pœnam quispiam promeritus esset, servis & famulis suis, prout quisq; obvius & ad manum fuit, hoc negotij dedisse constat *ex d. cap. 17. Deut.* Affinia exempla in Sacris literis occurrunt passim. *Levit. 24. v. 16. Num. 15. v. 36. Deut. 13. v. 9. Jud. 8. v. 21. 1. Sam. 22. v. 17. 2. Sam. 1. v. 25. & 9. v. 32. Actor. 7. v. 58. Wilhelm. Zepp. de Legib. Mosaicis lib. 5. c. 7. pag. 710.*

56. De eo etiam quæritur: An ob munus suum infamia possint notari, prout hodiè communiter fieri solet? Sanè quia officium eorum Reipubl. ut modò dictum, est necessarium, ne deficientibus illis honestiores se hac macula inquinare cogantur, per se non sunt nec haberi pòssunt infames. Et, si quod res est, dicendum sit, si honestum est, judicem in sceleratos capitalem sententiam ferre, quomodo illius

illius executio turpis & ignominiosa esset? Levitæ ipsi, aurei vituli cultores in deserto olim mactarunt, & Moses hoc supplicio manus suas Jehovæ consecrasse pronunciat, nedum ut à ministerio hac de causa remoti fuerint.

57. Regeres forsan; quî ergò fit, quod hodiè Carnificum munus ubiq; ferè gentium sordidissimum & ignominiosissimum judicetur? Imo quare olim apud Romanos extra urbem habitare coacti sunt? *Bodin. d. lib. 3. cap. 3. pag. 444.* moribus & legibus diversis cujusq; civitatis hoc adscribit. Ego duplicem aliam causam adferam: quarum prima erit, quod homines facinorosi & scelerati plerumq; electi olim fuerint Carnifices *Bodin. d. lib. 3. cap. 8. ferè circ. fin.* ubi horrendum exemplum refert de filio, quod quondam Gandavi contigerat: ibi cum judex patrem ac filium ejusdem sceleris convictos & damnatos sortem ducere jussit, uter utrius carnifex esset: patri sors obtigit: sed cum ætas ingraveseceret jam sua, precibus eblandita gratia, obtinuit, ut filius ætate robustior eo munere fungeretur. Filius intrepidè parentis jugulum hausit: cujus impietatis ac sceleris sempiterna vestigia Gandavenses æreis statuis in urbe media, & quidem publico ac patenti loco exstare patiuntur *referente Bod. d. l.* Alteram eam puto, quod hodiè plerumq; turpiter ac sceleratè vivant Carnifices & lictores, quodq; illis hominibus sordidissima quædam à magistratu opera demandentur, quibus eò audaciæ ac proterviæ progrediuntur, ut omnem simul modestiam & honestatem cum pietate exuant.

58. Ut ut autem sint & habeantur, impediri tamen non debent à populo quo minùs exequantur suum officium: Improbanda igitur meritò pessima illa consuetudo, quod Carnifices, si in ipso actu deficiant, neq; uno ictu rem peragant, lapidibus obruuntur. *Tholozan. in syntag. jur. univ.*

univ. cap. ult. n. 7. Schonborn. lib. 2. Polit. c. 51. Cui consuetudini utpote malæ obviam ivit Carolus V. Imper. In Peinlicher Halßgerichtsordnung/ *art. 97.* ita præcipiens, So der Richter nach dem Endvrtheil seinen Stab gebrochen hat/ desgleichen auch/ so der Nachrichter den Armen auff die Richtstat bringt/ soll der Richter offentlich außruffen/ oder verkunden lassen/ vnd von der Obrigkeit wegen/ bey Leib vnd Gut gebieten/ dem Nachrichter keinerley verhinderung zu thun/ auch ob jhm mißlinget/ nicht Hand anzulegen.

59. Hactenus de personis sequuntur Res. Quarum hæc generalis divisio constituenda videtur, ut aliæ sint publicæ aliæ privatæ. *l. 1. ff. de R. divis. princ. l. eod.* aliæ demum nullius *§. 7. l. eod.*

60. Publicæ rursus subdividuntur: Quædam enim respectu omnium hominum sunt publicæ, quædam respectu aliquorum. Prioris generis specialiori significatione, communes vocantur *l. 2. d. t. vers. Quædam. d. pr. l. eod.* earumq; usus, jure naturali, seu gentium primævo, omnibus hominibus, tam civibus, quam alijs patescit. Tales sunt Aer, Aqua profluens h. e. aqua fluminis quatenus fluit, & usum navigationis præbet, mare, & per hoc littora maris. *§. 1. l. eod.* Hinc nemo ad littus maris accedere prohibetur, dum tamen à villis & monumentis & ædificijs ibi positis abstineat *d. §. 1. in fin.* hinc jus piscandi omnibus commune est in portu fluminibusq;. *§. 2. d. t.* Inde jure gentium naves appellere ad quamlibet terram possumus. Barbarus igitur ille meritò habetur mos, & etiam in Caroli V. criminalibus sanctionibus improbatur; vigore cujus naufragium passi, bona vel libertatem amittunt. Peinliche Gerichtsordnung *art. pen. R. A. de Anno 1559. Kirchn. de Rep. disp. 16. th. ult.*

61. Poste-

61. Posterioris generis, publicæ censentur res illæ, quæ vel respectu totius urbis vel alicujus universitatis seu collegij publicæ sunt. Hæc à communibus differunt in eo: quod communes ab omnibus occupando acquirantur, tam usu quam proprietate; est enim illarum proprietas regulariter nullius, ideo occupanti cedunt. *§. 12. l. eod.* Quod in hisce Publicis est secus: quæ in patrimonio certi alicujus populi vel urbis sunt, usuq; saltem communes existunt.

62. Nec impedit, rem unam eandemq; ratione usus communem, ratione verò Imperij & Jurisdictionis Reipub. esse: nam hoc idem etiam de rebus privatis dici potest; quæ etiam ratione usus & dominij privatorum, ratione jurisdictionis magistratus sunt: *Besold. 1. pol. c. 12. §. 1.*

63. Respectu totius civitatis Respublicæ perhibentur Theatra, stadia, plateæ, ædificia, spatia publica, forum, Cancellaria, curia, nosocomia, arces, castella, turres, propugnacula, & si insuper quæ alia communia civitatum existunt. *Tholoz. 1. cap. 1. n. 13. Bod. 1. de Rep. 16. Schneid. & alij plures super hunc tit. 1. de R. divis.*

64. Respectu alicujus Universitatis, res communes dici possunt; Illæ, quæ etiam non sunt singulorum separatim, sed omnium & universorum de universitate: sic universitas habere potest, nemora, pascuas, piscinas, salinas, vectigalia & alia: item pecuniam in arca communi repositam: Et differunt à communibus & publicis rebus quod rerum communium & publicarum usus omnib. populis peræquè competat, harum autem usus tantum eorum sit, qui sub illa universitate seu congregatione, ut modo dictum, sunt.

65. Privatæ res sunt & dicuntur illæ, quæ in privatorum vel singulorum dominio existunt, seu quarum dominium

nium homines privati jam habent. Hinc dicitur in *l. 1. §. privata ff. eod.* quod res privatæ dicantur, quæ sunt singulorum.

66. In dominium autem singulorum multis variisq; modis res rediguntur, quorum alij naturales, alij civiles, *§. singulorum l. de R. D.* qui ut pleniùs intelligantur, dominij definitionem ejusq; divisionem præmittam.

67. Definiri dominium secundum *Dd. in l. sive vi. §. differentia ff. de acqu. possess.* potest. Quod sit jus de re corporali perfectè disponendi, aut vendicandi, nisi quis vi, lege, vel conventione prohibeatur: hic enim dominij effectus proprius est, ut quis re sua uti vel frui ad arbitrium possit. *l. in re mandata C. mandati.* unde *Cicero Epist. l. 7. epist. 131.* id cujusq; proprium est, quo quisq; fruitur vel utitur.

68. Dicitur in definitione *jus* quoniam dominium in jure, possessio in facto est, atq; additur, *de re corporali* eò quod rerum incorporalium, de quib. *in §. 2. l. de Reb. corp. & incorp.* nullum propriè dominium est *l. rectè dicimus 25. ff. de V. S.* ut nec possessio *l. servui 43. §. 1. h. t.* nisi quadam juris interpretatione *l. qui usufructum 3. ff. si usufr. petatur.* Insuper, *nisi lege prohibeatur.* Sunt enim quædam personæ quæ licet habeant dominium rerum, tamen prohibentur res suas alienare, & de illis pro suo arbitrio disponere. Sic maritus licet sit dominus dotis *l. dote C. de rei vendic.* Lege tamen Julia prohibetur, etiam consentiente uxore illam alienare *tot. tit. ff. de fund. dot. §. 1. Inst. quib. alien. licet vel non* cum Reipubl. interest dotes mulieribus conservari *l. 1. ff. solut. matri.* Unde etiam omnibus mariti creditoribus tam expressam quam tacitam hypothecam habentibus anteponuntur. *l. assiduis C. qui prob. in pign.* Sic pupillus sine authoritate tutoris vel decreto judicis res suas alienare, propter

fragile

fragile judicium vetatur. *§. nunc admonendi l. quib. alien. pr. C. de auth. tutorū.*

69. Dominij licet plures sint species, usitatè tamen in duas dispescitur, ita ut aliud sit directum aliud utile *per text. in Auth. si verò dominus junct. gloss. in verb. principalis C. de hæreticis & per l. possessorū C. de fund. patrimon.* Ubi emphyteuta dicitur dominus, & tamen constat quod alius sit dominus, ille scil. cui solvitur census *l. 1. in fin. ff. si ag. vectig. pet.* Ergò necesse est esse dominos eos diversa specie dominij, quia una & eadem specie dominij, duo in solidum non possunt esse domini. *l. 3. §. ex contrario ff. de acq. poss. l. si ut certo §. fin. ff. commodati.*

70. Unde directum dominium illud dicitur, quod habet dominus superior in rebus feudalibus & emphyteuticis, & est sine fructu cum spe tamen consolidationis. Utile verò quod habet Vasallus & Emphyteuta in bonis feudalibus & emphyteuticis, & hoc dominium est cum fructu. *adde Wesenb. in parat. ff. de acquir. rer. dom. n. 4.*

71. Causæ efficientes ac formales acquirendi dominij sunt duplices. Siquidem quarundam rerum dominium nanciscimur juregentium, quod naturali ratione inter omnes homines peræque servatur: quarundam jure civili i. e. jure proprio nostræ civitatis. *l. 1. ff. de acq. rer. dom.* Cum enim post peccatum Originis, tanta esset hominum improbitas, ut non possent rebus communiter uti, & naturale judicium facile sentiret, fieri non posse, ut homines insatiabili quadam cupiditate corrupti fruerentur communiter rebus omnibus, & ratio dictaret iniquum videri, quod ignavi & desides alieno alerentur labore, cum quemlibet deceat in sudore vultus sui commedere panem suum. Quare ratio naturalis suasit ut singulis rebus certa & distincta constituerentur dominia, ut unusquisq; suum teneret, alias

enim nulla pax & tranquillitas in societate hominum retineri posset, si permitteretur communio, quæ discordiam excitare solet, ut dicitur *in l. cum pater §. dulcissimus fratrib. ff. de leg. 2.*

72. Jure igitur gentium primùm acquiruntur res occupatione & quidem illæ in nullius bonis quæ existunt, veluti sunt omnia animalia fera non mansuefacta, quæ terra, mari cœloq; continentur. *§. 12. Inst. de R. D.* Nec interest, utrum in suo quis capiat vel alieno fundo, quamvis ingredi alienum fundum venandi gratia prohiberi queat. *d. §. 12.*

73. Qui acquirendi modus cum jura venationum nostri quoq; temporis complectatur, quibus nihil est popularius neq; frequentius: non alienum sanè est, in hunc campum venationum excurrere aliquantum & evagari sermone nostro, ut qui hoc exercitationis genere delectantur, ijs etiam illius jus atq; modum utcunq; planum faciamus, & apertum.

74. Velim igitur initio diligenter notari illud, Venationem, piscationem & aucupium pro uno eodemq; jure poni *l. 2. & 3. ff. h. t. §. feræ. l. eod.* quamvis nonnihil inter hæc revera intersit: siquidem venari quidem licet in alieno piscari non item. *l. injuriam 13. §. fin. in fin. ff. de injurijs.* Ratio autem est illa, quia aer communis est omnibus, & in aere aves volant, atq; bestiæ vagantur, neq; sunt illæ pars fundi, aut terræ *ut diserte ait JCtus in l. Cajus ff. de legat. 2.* Secus est in aqua aliena, quæ est hominis alicujus privati, quoniam pisces aquæ illius privatæ censentur esse pars. *l. funes ubi gl. ad verb. pisces, de act. empt. l. fructus, ff de rei vend. Guid. Pap. decis. 91. Molin. in Consuet. Paris. §. 1. gl. 8. n. 17. Vultej. ad §. feræ. l. de rer. divis. n. 7.*

75. Quamvis autem in fundo alieno venari & aucupari

pari cuiq; licitum sit, domino tamen fundi uti constat liberum est, fundum suum venandi vel aucupandi gratia ingredientem prohibere, quò minùs ingrediatur, atq; ita non arcet eum à venatione vel aucupio, sed ab ingressu fundi sui, & per consequens demum à venatione & aucupio. *l. injuriarum 13. §. fin. ff. de injurijs. §. feræ l. de R. D.*

76. Unde quæritur. Si nihilominùs quis post prohibitionem fundum alienum sit ingressus, utrum id, quod ceperit, faciat suum, an verò id reddere debeat domino fundi. Sunt qui tueantur Neg. Econtra alij Affirm. mihi Affirmantium sententia videtur verior, siquidem dominus principaliter ab ingressu fundi sui, & non nisi consequenter *ut th. præced. dictum*, à venando vel aucupando quem arcet, semperq; verum est, veram bestiam vel auem non esse fundi partem, utpotè feræ nullo certo loco concluduntur, nec in alicujus venerunt potestatem, sed liberè vagantur, potius in aere vivere atq; illo contineri; quam certa aliqua soli parte, sunt existimandæ. *gl. in l. fin. in verb. quasi vente, h. e. aere vixerit. C. de alim. pup. præstand.* Dabitur tamen domino fundi adversus eum, qui se prohibente fundum ingressus est, actio injuriarum *d. l. injuriarum. gl. in l. 3. §. 1. de acq. rer. dom. Bartol. in l. 1. §. omnia ff. eod.*

77. Hæc cum ita sint, non immeritò quis quæsiverit, cur hoc jus venandi potissimum feras bestias, pleriſq; in locis soli Principes & domini territoriorum sibi usurpent? Equidem variant hîc *Dd.* Quidam enim ideò fieri autumant, ut serventur species animantium. Nam quia feræ animantes in suo genere sunt rariores quam cicures, providente ita Deo, ne multitudo ferarum damnum faceret; ita facile devastari tota species præsertim in aliqua regione posset, si indifferens & permissa cuilibet esset venatio. Secundò permissio hæc esset quædam avocatio ab agricultura, à qua

rusticos non abduci publicè interest. *Auth. agricultores C. quæ res pign. l. 2. ff. de feriis.* Tertiò quemadmodum reliquarum rerum communio parit discordias *l. cum pater 79. §. omnia ff. de legat. 2.* ita sanè hæc res procul dubio multis litibus & certaminibus; imò etiam cædibus occasionem daret, si promiscuè venari esset concessum. Etenim videre licet, fratres quandoq; & agnatos, de jure venationum communi, acerbissimè inter se contendere & digladiari: quid futurum putamus, si omnibus hominibus maximè rusticis, ejus juris liber esset usus? Et cum non persequentium aut etiam vulnerantium feram, sed occupantium potior sit causa, *§. illud 9. l. de R.D. d.l. 5 ff. de acq. rer. dom.* facile provideri potest, quanta ex hoc ipso certamina proventura essent.

78. Mihi non improbabilis illa videtur ratio, quod quemadmodum privatus quemlibet fundum suum aucupandi animo ingredi volentem prohibere potest, uti supra ostensum, ita etiam consentaneum videri, ut principes peræquè in publicis locis tanquam in suis, jus venandi suis prohibere queant. *l. divus ff. de serv. rust. præd.* Ne Princeps deteriore loco sit quam privatus *ut traditur in l. item veniunt §. in privatorum ff. de pet. hered. l. 1. & 2. C. de privileg. fisci.*

79. Hodiè enim saltus & nemora in quibus potissimum feræ vagantur, Principes per præscriptionem aliquot jam seculorum decursu atq; usu roboratam *l. 1. & 2. l. per agrum 11. C. de serv. & aq.* ad sese transtulerunt. *l. littora 3. ff. ne quid in loc. publ. l. deprecatio 9. ad L. Rhod. de jactu.* Unde usurpatum, ut liceat Principi in publicis locis aut concedere jus aliquod servitutis, aut adimere, *l. 14. §. publico ff. de serv.* aut vetare privatis usurpationem loci publici. *l. 3. in verb. nisi Imperator vetet. ff. de fluminib.* Quare quod traditur à Dd. injuriam fieri subditis prohibitione venationis, id secundum jus gentium & civile vetus dici potest; secundum

verò

verò jus novum & consuetudinem & respectu præscriptionis non rectè. Plura hoc de jure qui desiderat, adeat *Franciscum Zoanettum lib. singular. de jure venandi & alios plures.*

80. Ad occupationem non incommodè refertur, apprehensio, (licet violenta quodammodò videatur) rerum in bello justo captarum, quæ statim juregentium nobis acquiruntur. *§. item ea 17. l. de R. D.* Itemq; inventio, qua acruntur statim nobis lapilli, gemmæ & cætera in littore maris inventa *de quib. in §. 18. d. t.* Thesaurus *de quo in §. thesauros 39. l. eod.*

81. Ubi tamen 1. diligenter notandum, non omnem pecuniam depositam statim esse thesaurum, sed eam demùm quæ vetustiori tempore ab ignotis dominis abscondita est. *l. nunquam §. thesaurus 1. ff. de A. R. D. l. unic. C. de thesaur. lib. 10.* Undè si quis metus (prout tempore belli, & incendij fieri solet) vel custodiæ causa pecuniam abscondiderit, propriè non est thesaurus, nec inventoris fit, sed manet deponentium. *d. l. nunquam §. 1. in fin. de A. R. D. l. peragrè ff. de acq. poss. & l. à tutore ff. de rei vend.*

82. Ideò si quis vendit domum, & emptor reperiat pecuniam in muro, quæ ab ipso venditore vel ejus parentibus ibi reposita & abscondita est, non pertinet ea pecunia ad emptorem, sed venditori restituenda est. *d. l. à tutore.*

83. Egregium hujus rei & notabilem casum refert *Jason. in l. 3. §. Neratius ff. de acquir. poss.* quem contigisse tradit in civitate Genuensi. Ubi quidam mercator Genuensis veniens ex Hispania, detulit secum in navi certam quantitatem ceræ, & in una pila ceræ fuerunt ab ipso recondita quatuor millia ducatorum, & statim decessit: Ejus filius ignorans ibi reconditam pecuniam, vendidit talem ceram cuidam mercatori, etiam ignoranti, & is tenuit eam spacio trium annorum, & ultrò vendidit deinde cuidam aromata-

rio, qui pecuniam in ea invenit. Fuit quæsitum ad quem ista pecunia pertineat, nam mercator, qui emerat à filio, dicebat se triennio possedisse, atq; usucepisse. Sed quia ignoravit pecuniam esse in cera, neq; amoverit eam, non potest dici possedisse vel usucepisse *per text. in d. §. Neratius.* Nec aromatarius usu cepit, cum possederit mala fide, sciens pecuniam esse alienam. Concluſum ergò restituendam eam esse filio mercatoris Genuensis, quia non habuit animum transferendi dominium istius pecuniæ, quam in cera esse ignorabat per text. *in l. id quod nostrum ff. de reg. jur. & text. in d. l. à tutore ff. de rei vend.*

84. 2. Si jam constet esse thesaurum, illud in considerationem venit, in quo loco inveniatur, an sit locus inventoris proprius vel alienus. Si est proprius, sive fortuito casu sive data opera eum invenerit, inventori totus cedit. *d. l. unic. C. de thesaur.*

85. Sin verò in fundo alieno, in quo inventor neq; directum nec utile dominium habet, thesaurum invenerit, sub distingui solet: Aut eum invenit casu fortuito, arando vel aliàs terram alienam colendo, non animo quærendi thesaurum, & tunc dimidia ejus pars est ipsius inventoris, altera pars ipsius domini fundi, in quo thesaurus est repertus, *d. l. unic. C. de thesaur.* Aut quis reperit eum in loco alieno, data etiam ad hoc opera licita, non illicita scil. incantatione, & tunc totus acquiritur domino istius loci, & inventori nihil debetur, sive quæsierit eum domino sciente & ipsum ad hoc conducente, sive ignorante & invito eo. *d. l. unic.* Unde si mercenarius invenerit thesaurum in fundo alterius, medietatem ejus acquirit, si casu eum reperit, si verò fuerit conductus ad fodiendum & quærendum thesaurum, vel etiam ignorante domino quæsiverit eum, inventori nihil acquiritur, sed totus efficitur domini istius loci, *a. l. un. C. de thesaur.*

86. Mo-

86. Modus jureg. acquirendi 2. est specificatio, *de qua in §. ex aliena l. de R. D.* Ad quam commodè refertur confusio & commixtio de qua utraq; *in §. si duorum l. eod.* 3. est Accessio quorsum refero etiam alluvionem. *§. 20. h. tit.* Inundationem *§. 22.* Inædificationem *§. 29.* Plantationem *§. 31.* sationem *d. §. 31.* Scriptionem *§. 33. l. eod.* & simil. 4. demum modus jurisg. est traditio *de qua in §. 40. l. eod. add. Vultej. ibid.*

87. Modi acquirendi jure civili sunt sex; Usucapio, donatio, successio, arrogatio, addictio, & adjudicatio, *de quib. singul. vid. Vultej. sup. h. t de R. D. in fin.*

88. Succedunt res nullius, quas Justinianus *§. nullius 7. l. de rer. divis.* ideò dicit nullius, quod nullius sint in bonis, eò quia divini sunt juris. Equidem quamvis jure Romano, Res sacræ, Sanctæ & Religiosæ, in nullius bonis esse censeantur, ego tamen Sacras & Sanctas, partim publicis, partim Universitatis; Religiosas verò privatis non incommodè accenseri posse, putarem: in qua opinione non parum me juvat, *Alber. Gentil. ad tit. de V. S.* Sunt enim & manent semper sub Imperio Civili, & authoritate superiorum alienari etiam possunt. *Rittershus. ad Nov. part. 1. cap. 8.*

89. Res divinæ vel sunt absolutè verè & propriè divinæ: ut res Sacræ, quæ Deo, id est usui & cultui divino, ritè ut jus postulat, publicè consecratæ fuerunt. *l. 6. §. 3. l. 9. ff. de rerum divis.* quales sunt ædes sacræ, & donaria, ubi quidam intelligunt loca in quibus dona Deorum reponuntur, quomodo Sacrarium dicitur *JCto* locus in quo sacra reponuntur *l. 9. §. 2. ff. d. t.* sed rectiùs illi judicant, qui dona Deo oblata hîc significari contendunt, quorum etiam sententia juvari potest ex eo, quod hæc donaria alienari etiam possint. *§. d. 7. l. de R. D. l. 17. C. de SS. Eccles.*

90. Sub res absolutè Deo consecratas referuntur etiam,

etiam, Res Religiosæ, dictæ à Religione, quod propter corpora ibi sita, in quibus forsan Divini quidpiam habitavit, veneratio quædam & metus loco quoq; debeatur. Ut autem res sacræ Deo consecrantur publica authoritate, ita res religiosæ authoritate privata *d. l. 6. §. 3. l. 9. ff. de rer. div.* Quamvis hodiè, non ita frequenter ut olim privatis sepulchris sed publicis cœmiterijs utamur.

91. Consecrantur autem Deo Res vel immediatè vel mediatè; Immediatè consecrantur illæ, quæ directè ad cultum divinum dedicantur; Mediatè verò quæ ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ assignantur, ut eò expeditius cultus divinus peragatur, cujusmodi sunt prædia, villæ, decimæ *de quib. latè Covarr. 1ª var. res. c. 17. Duaren. de benef. Eccles. lib. 7. c. 5.* & similia, quæ dicuntur bona Ecclesiastica & patrimonium Ecclesiæ *l. jubemus 14. C. de SS. Eccles.* quæ licet temporalia sint, respectu tamen Ecclesiæ Sacræ quoq; dici queunt.

92. Res insuper nonnullæ, quodammodo non verè, sed aliquo respectu, Divini sunt Juris; nimirum sanctæ, quæ sanctione Legum adversus injurias sunt, firmatæ *l. 9. §. 3. ff. de R. d. §. sanctæ 10. l. eod.* Jurisconsultus in *l. sanctum ff. de R. d.* scribit, sanctum esse, quod ab injuria hominum defensum est, dictum à sagminibus herbis quibusdam, quas Legati populi Romani missi ad hostes ferre solebant, ne eos violarent, sed propriè ut jam dixi sanctæ dicuntur, quæ sanctione quadam confirmatæ, sic Leges dicuntur sanctæ *l. sacra §. propriè ff. eod.* Sicut & sanctiones *d. §. 10. l. eod.* Sic muri & portæ civitatum, vocantur sanctæ, eò quod firmitate legali sunt roboratæ & jussæ custodiri & non violari, etiam sub pœna capitis. *d. §. 10. & th. n. supr. 35. h. disputat.*

Disp. III.

Disputationum JURIDICO-POLITICARUM TERTIA

DE CONSERVATIONE RERUMPUBL. PER FOEDERA.

RESPONDENTE
JOHANNE MICHELS
Susatense Westfalo.

THESIS I.

CUm in disputationibus præmissis, generalem quandam causarum Rempubl. constituentium delineationem exposuerim, non extra ordinem me vagaturum puto, si de remedijs Politiam seu Rempubl. conservantibus in præsenti quid proponam. De his igitur cogitans, præ alijs gravissimam atq; nobilissimam fœderum materiam paucis delibare lubet, eò quod fortius nullum contra vim externam detur remedium, quam amicitias & fœdera cum vicinis & potentibus Rebuspubl. contrahere, ut ab his auxilium tempore difficili & periculoso exspectare Respubl. oppressa possit. Hoc enim solo remedio multæ Respubl. tenues cum se in societatem Romanorum insinuassent, etiam contra potentissimos hostes tutæ & inviolabiles manserunt; exemplum legimus *1. Machab. 8.* Quod & indè ostenditur, cives omnes Laïdarum repentino bello ac servitute oppressi fuerunt, propterea quod nec principem, nec

ullam, cum finitimis societatem aut amicitiam contra xissent. *Jud. 18.*

2. Hæc benè considerans *Bodinus 5. de Rep. c. 6.* infit. Nullum tuendæ ac conservandæ salutis, adversum hostium impetus, majus ferè præseptum fore, quam aut potentissimum esse, aut cum potentissimis societatem & amicitiam coire. Nam & confœderatio duorum unum quasi corpus constituit, atq; ita quoad defensionem robustius. *Rosenth. de feud. c. 10. conclus. 20. n. 18. in not. gl. Alber. Gentil. lib. 3. de jure bell. c. 18. p. 633. Menoch. cons. 99. n. 39.* Imò confœderati uno & mutuo quasi spiritu vivere videntur. *Reink. in reg. lib. 2. cl. 3. c. 3. n. 17.*

3. Scylurus, uti habet notissima historia, cum esset moriturus 80. liberis masculis fasciculum jaculorum singulis porrexit, jussitq; rumpere; id cum singuli recusassent, ipse singula jacula exemit, atq; absq; difficultate confregit omnia; adjiciens hanc adhortationem: Si concordes eritis validi invictiq; manebitis, contra, si dissidijs distrahemini, imbecilles & expugnatu faciles. Juxta illud *Erasmi Roterod. apoph. lib. 5.*

Conjunctos fasces rumpere nemo potest.

4. Ut autem gradatim descendamus ad rem, de qua agere est animus, ê re est ut loquitur *JC. in l. 1. de reb. cred.* verbi Etymologiam quæ proprietatem rei ostendit, indagare, turpe quippè differenti est priùs determinare rem ipsam, quam terminos percipere, cum hoc pacto possimus significata distinguere, Unde JCti tam diligenter verborum significationes sunt prosecuti. *l. 204. l. 195. & t. t. de V. S.* Hinc Philosophorum non ultimus, *Plato in Cratylo dixit:* ex verborum intelligentia cognitionem rerum pendere, cui *adde Oldendorp. class. 4. Roland. de comiss. lib. 1. cap. 2. Waremundt ab Erenb. tr. de fœd. lib. 1. c. 3. n. 2. & seqq.*

5. Sic

5. Sic itaq; habeto, Fœdus quod & fidus Varrone dicitur, à Fide, quæ fœderum fundamentum est, ductum existimo, maximè enim in fœderibus mala fides abesse debet, atq; sine dolo malo, tum in contrahendo, tum in dissolvendo, non modò fidem inviolatam tueri, sed etiam ab omni suspicione remotam esse oportet. *Besold. lib. 2. polit. c. 6. n. 2. Erenb. tr. de fœd. lib. 1. c. 3. n. 8. Zepper. 4. de Legib. Mosaic. c. 6.* Ex eadem ratione feudum, dicitur à fide, *c. 5. §. fin. per quos fiat investit.* quod in feudo imprimis fides & fidelitas requiratur. *Cujac. 8. obs. c. 14. Borcholt. c. 1. n. 20. de feud.* Unde Vasalli fideles. *c. 5. de his qui feud. dar.*

6. Non approbo sententiam eorum qui opinantur, fœdus à ferio deduci, quia pax feritur inter dimicantes inter quos *Wilhelm. Zepp. de LL. Mos. d. l.* cum hujus derivationis nulla sit ratio; siquidem ista tantum concernit fœdera, quæ fiunt bello exorto, non verò ea, bella quæ præcesserunt, & contra bellum inferentes inita.

7. Fœdus interdum vocatur confœderatio *tit. 15. A. B.* Unio, ubi tamen non intelligo Unionem prolium, cum sit pactum privatorum, quod diversi matrimonij liberi pariter succedant. *Rickius de union. prol. c. 1. n. 8. Liga d. t. 15.* à ligando vel alligando: quod fœderati mutua fide ligentur. Hinc Germani hanc fœderis conventionem vocant, Bundnuß / Verbundnuß / alias etiam Einigung R. A. *de anno 1495. Warem. de fæd. c. 3 n. 36.* Item Gelübt *d. t. 15. ibi.* Gelübt vnd Verbündnuß. Hinc qui fœdus ineunt, appellantur fœderati, confœderati *Warem. d. l. n. 37.* quos germanicè indigitamus, Bundsgenossen / Eydsgenossen / Vereinigte / Verbrüderte / *Warem. d. l. n. 42.*

8. Sunt qui sub vocabulo fœderis Treugas etiam contineri autument, aut falsò. Treugæ enim nihil aliud sunt, quam induciæ & securitas quædam præstita personis & re-

bus ad breve tempus, discordia etiam nondum finita, vulgò Ein Anstandt/ quod secus in fœdere. *Gregor. Tholoz. de Republ. lib. 10. c. 11. in pr.* Tum etiam Dux belli potest aliquando facere Treugam, sed non pacem *Anton. Corsetus de Privileg. pacis, num. 36.*

9. Ex varijs & multiplicibus fœderis definitionibus eam assumam, quam multis verbis præscribit, *Warem. d. tr. lib. 2. c. 1. n. 14.* Fœdus est Principum duorum vel plurium, aut populorum vel civitatum liberarum pactio publica, & conventio indefinitè vel ad certum tempus justè, legitimè & necessariò ad repellendam vim, ad rem communem vindicandam, vel injuriam à communi hoste illatam, vel ad defendendam Religionem & cultum Dei, vel libertatem & Rempubl. conservandam, vel mutuam amicitiam retinendam, ac mutuis auxilijs ad hostem persequendum initio vel tractu temporis existentem inita, jure divino gentium & civili introducta, ac hodiè plerumq; jurisjurandi religione & datis obsidibus, ceu fidejussoribus & scriptura interveniente approbata.

10. Dixi, *pactio publica*, quibus reprobo, fœdus inter privatos contractum; Talia enim fœdera, ut plerumq; sunt conspirationes improbæ & coitiones turbulentæ meritò jure vetantur, *l. 3. ff. ad L. Jul. de vi publ. l. conventicula C. de Episc. A. B. tit. 15. & in pace publ. de anno 1495. §.* Auch sollen. *Ampliss. Vir Dn. Zachar. Vietor in diss. de caus. exempt. Imper. conclus. 21.*

11. Fœdus in sacris occurrit quadruplex. 1. est patrocinij, quando nimirum inferior superiori sese submittit, Quod fœdus Politici Clientelare vocant, unde etiam illi se qui subjiciunt Clientes, quibus autem subjiciuntur Patroni, germanicè Schutz oder Schirmherrn indigitantur. *Althus. in Polit. c. 7. fol. 75. edit. prior. Keckerm. lib. 1. syst. Pol. c. 24. fol. 391.*

fol. 391. Besold. class. 2. diss. Polit. 6. th. 21. omniumq; fœderum periculosissimum reputant, nisi benè accuratèq; clientum libertati caveatur: quoniam sæpissimè fit, ut patroni in dominos, vel etiam in tyrannos, clientes in subditos vel etiam sæpius in servos evadant. *Bodin. lib. 5. de Repub. c. 6. n. 584. Wehner. in metamorph. Rerump. c. 18.* Dann es können auß dem Schirmherrn Sturmherrn werden. Uti fecere Romani, qui sub colore hujus fœderis, Latini nominis homines in servitutem redigerunt. *Bod. lib. 5. c. 6. Arum. vol. 2. de jure publ. Disc. 27. th. 3. Machiavell. lib. 2. de Republ. c. 13.*

12. Secundum fœdus in sacris dicitur fœdus pacificationis, cujus exemplum est *Gen. 31. v. 50. cap. 21. v. 23.* Tertium fœdus est deditionis, vel subactionis, cujus exemplum, *1. Sam. 11. v 1. Jos. 9. v. 15. Gen. 17. v. 12.* Quartum demum & hujus loci proprium fœdus est mutui auxilij, *de quo Macab. 8. v. 23.* Aliter Politici, qui plerumq; fœdus dividunt in fœdus defensionis tantum, vel commerciorum vel utriusq; *Kecker. lib. syst. Polit. c. 24.*

13. Fœdus mutui auxilij tantum, est pactio de mutuo auxilio præstando, cujus fœderis formulæ ut & circumstantiæ accuratè describuntur. *d. l. Maccab. 8. v. 23.*

14. Fœdus commerciorum, quando sanciuntur fœdera propter commercia, ut nempè confœderati habeant jus commerciorum ultro citroq;. Sic fœdus commerciorum est inter urbes Borussiæ, Torunium, Dantiscum, & olim Hansæ Teutonicæ Mercatores quatuor emporia præcipua in alijs Regnis tenuerunt: Londini in Anglia: Burgis in Flandria: Bergæ in Norwegia, Neogardiæ in Russia, cujus veteris emporij vestigia adhuc Bergæ in Norwegia videre licet. Sic anno 182. Turcæ ab Antverpiensibus petiverunt,

ut octodecim mercatorum Collegium ipsis permittere vellent. *Besold. class. 1. disp. Polit. 11. th. 22.*

15. Fœdus defensionis & commerciorum simul est, quod præstatur tum ad præstanda mutua auxilia, tum etiam ad commercia liberè exercenda inter confœderatos. Tale dicunt fœdus civitatum Hansaticarum, quod potentissimo Imperatori Carolo V. terribile extitisse, testis est Scriptor Hispanicus *Ludov. ab Avila in historia belli Germanici.* Huic fœderi cohæret fœdus civitatum Wandalicarum, Der Wendischen Städte/ quæ adhuc durant & numerantur. 1. Lubeca, 2. Wismaria. 3. Rostochium. 4. Stralsunta. 5. Gripeswaldum. 6. Hamburgum. 7. Luneburgum. *Crantz. lib. 1. Wandal. histor. cap. 1. de quo tamen infr. plurib.* Genera fœderum plura videbis apud *Warem. lib. 1. c. 4. Dn. Victor. d. disp. de exempt. Imperij conclus. 21. Dan. Ott. in jur. publ. c. 11. them. 16. n. 3.*

16. Sic itaq; præcognitis præmissis, Primùm rectè quæritur, An fœdera iniri debeant? Equidem quæstio hæc uti est ardua, ita etiam in utramq; sententiam à Politicis, imò Theologis, JCtis & alijs mirè agitatur, *vid. Melch. Jun. quæst. Polit. 74.* Ego ut cum crebrioribus & ut mihi videntur sanioribus faciam, fœdera modò legitimè contrahantur omni jure concessa esse affirmo.

17. *Jure divino:* quia fœdera legitimè contracta in eo non improbantur; scimus enim Josuam cum Gibeonitis *Jos. 9.* Davidem cum senioribus Israel *2. Sam. 5.* Jojadam cum præfectis militum, *2. Reg. 11.* fœdus pepigisse. Evincitur & hinc manifestè, fœdera Deo non displicuisse, cum fœderum violatores vehementer puniverit *Gen. 21. 24. 26. 27.* Graviter & eleganter *Ezech. c. 17. v. 15.* Nunquid prosperabitur, vel consequetur salutem, qui fecit hæc? & qui dissolvit pactum,

pactum, numquid effugiet? *Bodin. lib. 5. c. 6. Warem. de Erenb. d. lib. 1. de fœder. c. 2. n. 18.*

18. *Jure naturali:* fatemur enim quotquot philosophamur ex jure naturali, copulare amicitiam esse naturæ consentaneum ac affine *Aristot. 4. Eth.* nec de genere malorum *l. 223. §. amicos de V. S.* optimi verò amici inter quos est charitas arctissima, *d. l. 223. l. 8. l. pen. de castr. pec.* arctissima verò charitas inter confœderatos esse debet, cum confœderatus confœderato omnia, & salutem propriam cedat. Et hæc est vera amicitia de qua in *l. 2. prin. ff. qui pet. tut. l. is qui 44. ff. de negot. gest.* quam Imperator Justinianus pietatem vocat *§. consequens 3. Inst. de suspect. tut.* Imò si rem ipsam penitiùs consideraverimus, apparebit omnes homines uno ac quasi communi fœdere conglutinatos, cum natura quandam inter nos cognationem constituerit, & nefas sit hominem homini insidiari *l. 3. de l. & l.*

19. *Jure civili* res omni caret difficultate, modò attenderimus JCt. Ulpianum *in l. 5. de pactis*, annumerare pactis conventionem publicam, quæ fit inter Principes, qua de re latius *Dd. tum ad d. l. 5. tum ad l. 1. ff. de constit. princip. Aur. Bull. tit. 15. Warem. de Erenb. d. c. 2. num. 27. & seqq. Melch. Jun. part. 2. Quæst. polit. 48. pag. 169. & seq. Casp. Ens class. 2. schol. pol. sect. 6. axiom. 2. Timpler. lib. 4. Polit. c. 9. q. 9. Matth. Tymp. in spec. bon. Magistr. part. 1. sign. 69. Reinh. Konig. part. 1. theatr. Polit. c. 5. n. 61. & seqq.*

20. Pangere regulariter fœdus possunt ij, qui jus Majestatis habent, qualem in nostro Imperio Romano intelligimus Imperatorem. Apud eum enim tam jus belli indicendi quam foederis ineundi, (ut omnia jura Majestatis) residere volunt facultatem *War. d. l.* Deq; eo semper præsumitur justa causa belli indicendi & foederis contrahendi. *Dd. in cap. Quæ in Ecclesiarum, de Constit. l. præscriptio fin.*

C. si contr. jus vel util. Franciſc. Arias de bello num. 158. Gail. de pac. pub. cap. 4. Gentil. de jure belli c. 3. lib. 1. pag. 31. 32. Unde Otto Friſingenſis *lib. 3. cap. 23. de rebus geſtis* Friderici primi, juſtum bellum definivit, quod ex edicto ſuperioris poteſtatis geritur.

21. Hodiè tamen Principibus & ordinibus Imperij Romano-Germanici, ex antiquiſſimo libertatis jure, nec non privilegio conceſſum eſt, ad publicam pacem conſervandam, libertatem tuendam, ſuamq; legitimam defenſionem, cum exteris foedus inire *A. B. tit. 15.* Von zuſammen verbindung.

22. De civitatibus Hanſaticis, non uſq; adeò expeditum quibuſdam videtur. Non enim deſunt, qui hanc confoederationem, quoad nonnullas civitates, ſpeciem conſpirationis ſapere aſſerant, cum multæ civitates comprehendantur, aliorum Imperio ſubjectæ, quæ neq; regalia à Cæſare Imperio vè habent & ſuperiorem Magiſtratum præter Cæſarem agnoſcunt, quæ etiam nec in comitijs, nec in circularibus conventionibus, ſeſſionem & votum habent, neq; matricula ſunt comprehenſæ, neq; Cæſari contributionem ſolvunt, ſed principibus. *Warem. de fœrib. lib. 1. c. 2. ſub n. 44.*

23. Verum quod & fœderis pactio, quoad haſce civitates quæ non immediatè Imperio parent comprobata ſit ab Imperio, ut ex multis & infinitis Receſſibus, ita ex Der vereinigten Deutſchen Hanſe Städte verantwortung patet, quib. addi poteſt, *d. tit. 15. A. B. ibi.* Jedoch außgenommen die gelübt vnd verbündnuß / ſo die Fürſten / Städte / vnd andere gemacht haben &c. Notandum interim, omnia ſalvo cujuſq; Principis, cui ejuſmodi civitates ſubſunt, jure Dominico & ſuperioritate, eſſe intelligenda. *R. A. de Anno 1566. §.* Die Hain vnd See Städte. *add. Matth. Steph. de jurisd.*

de jurisd. lib. 2 p. 2. c. 3. n. 3. Dom. Arum. discurs. 6. ad Aur. Bull. th. 9. Besold. dissert. de fœderum jure c. 3. num. 11. Reinking. lib. 1. class. 4. c. 20. n. 46. & seqq. Hæn. disp. polit. ult. th. 3. lit. B.

24. Cum igitur Imperij statibus alijsq; de quibus dictum foedus pangere liceat, celebris indè sed valdè spinosa & nodosa tum propter multiplices JCtorum, tùm Politicorum sententias, emergit quæstio. An scil. Status & Ordines Imperij Romani, in causa religionis rectè ineant foedera contra Imperatorem? Equidem licet libenter fatear, quæstionem hanc longè meum superare captum, imò pijs sub Principibus esse odiosam, sub impijs periculosam, dici tamen probabiliter quid potest. Et sane prima fronte negativa alicui posset videri verissima, cum armis defendi posse non videatur Religio, sicut piè loquitur *Hospitalius, serm. lib. 6. epist. 12.*

Quid multa piorum,
Mors erit aut impunè ferent tot densa tyranni
Funera? quin imò mox gravior pœna sequetur.
Aspicit omnipotens cælo Deus & sedet ultor
Tantorum scelerum. Nostra est injuria, dixit,
Et dolor hic meus est vindictam hanc ipse recepi.

A quo non longè recedit *Josephus lib. de Macab. in fine*, quando dicit; Qui pro salutis causa passi sunt, prosper illis eventus erit, cum pater omnium Deus atq; universa respiciens sequentibus se vitam præbeat æternam. Hinc *Lactantius* defendenda est quidem religio moriendo, non occidendo; non sævitia sed patientia; non scelere sed fide; quibus *adde Besold. lib. 2. Polit. c. 8. n. 36. ibiq; Dd. allegatos.*

25. Ast verior tamen affirmativa, modo defensivè non offensive suscipiatur, est. Nam 1. Magistratus jurisdictionis terminos excedens pro privato habetur, *l. nec ma-*

gistratus 32. de injur. l. qui feudum. §. tutor. ff. pro empt. Menoch. de recuper. poss. §. 8. remed. Marant. disp. 1. num. 29. cum seqq. At cum Imperator homines ad religionem cogit, jurisdictionis terminos excedit. Siquidem jurat se reformatam quoq; religionem vel armis tuiturum. R. A. *de anno 1555. §.* Solchs alles *& §.* ferner verpflichten. Quametiam ob causam advocatus & protector Ecclesiæ, Der heiligen Christlichen Kirchen rechte Voigt/Advocat/ Schirm vnd Schutzherr / salutatur R. A. zu Cölln *de anno 1512. §.* Vnd nach dem wir. *Item* R. A. zu Augspurg *1518. §.* Erstlich & *anno 1548. §.* Damit dann. 2. Quin & Imperij ordinibus tutela suarum Ecclesiarum ab Impp. conceditur, cum infeudantur, Mit allen Prælaten vnd Clöstern / derselben Weltlichen Obrigkeit/ Schutz/ Rechten vnd Advocaten. *Knichen. de Saxon. non prov. jure verb. Ducum c. 5. videatur* R. A. zu Nürnberg/ *anno 1524. §.* Als auch / *ibi.* Das wir vns versehen / die Stände des Heiligen Reichs als Schutzherr vnd Schirmer des Glaubens. Eleganter idem confirmat *Lambertus Schafnaburgensis* apud quem Archiepiscopi, Episcopi & ferè omnes præsules, Duces & Comites Saxoniæ per Legatos, ad Imperatorem Henricum IV. se ei fidem dixisse; ajunt. Sed si ad ædificationem non ad destructionem Ecclesiæ Dei rex esse vellet; Si justè, si legitimè, si more majorum rebus moderaretur. Si suum cuiq; ordinem, suam dignitatem, suas leges tutas, inviolatasq; manere pateretur. Sin ista prior ipse temerasset, se jam Sacramenti religione non teneri, sed quasi cum Barbaro hoste, Christiani nominis oppressore, justum deinceps bellum gesturos, & quoad ultima vitalis caloris scintilla supersset, pro Ecclesia Dei, pro fide Christiana, pro libertate etiam sua dimicaturos. *Confer Fasch. tom. 2. conf. illustr. JCtorum & Acad. consil. 55. num. 5. Schurff. cons. 23. Modestin. Pistor. cons. 43. num. 29.*

& con-

& consil. 19. vol. 1. Hortleder. de just. bell. Germ. disp. 4. Wa-rem. ab Erenb. c. 2. de fæd. num. 24. & seqq. Coler. de jur. Imper. Germ. conclus. 72.

26. Hac ratione Protestantes Imperij ordines Schmalkaldiæ fœdus pium atq; Christianum, tum pacis publicæ conservandæ, tum quod maximum est, religionis defendendæ gratia pepegere. *Vid. Schleidanum rerum Germanicarum Scriptorem lib. 6.* Ac licet ab initio Theologi ut & Politici aliquot, fœdus hoc sanctissimum dissuaserint, imprimis Lutherus & alij, quos refert *Anton. Coler. de jure Imperij German. th. 74.* Constat tamen eos sententiam mutasse, diversumq; Electori Saxoniæ respondisse, quod iterum copiosè demonstrat *Ant. Coler. d. l. th. 75. ubi ex Hortled. disp. 4. bell. German. assert. 3.* reddit rationem, cur ab initiò Lutherus alijq; dissenserint 1. ne oleum camino affunderent, aulicorumq; animos nil nisi ignem spirantes extimularent. 2. Ne protestantes bellum Pontificijs inferrent, siquidem ita magis videretur offensio quam defensio. Cujus rei testis est ipse Lutherus, *in libell.* Wieder den Meuchler zu Dreßden/ *tom. 5. German. Jen. pag. 309.* ita scribens, Ich habe wollen abschrecken die Papisten vnd jederman etc. *Item in d. t. 5. pag. 276.* Weiter wo es zum Kriege kompt/ wil ich der Leute gewissen nicht beschweren lassen/ mit gefahr vnd sorge/ als seyn jhre Nothwer auffrürisch. *Vide etiam Dn. Hortled. d. l.*

27. Pangi fœdus cum omnibus potest, modo eorum cum quibus feritur Religio, ingenia, consilia, potentia, opes, situs, vitia & quæ ejus generis alia expiscentur & considerentur. *Remig. Feschius Dissert. de fœder. th. 12. Arum. jur. pub. part. 1. discurs. 27. n. 40. & seq.*

28. Ratione cultus divini seu religionis occurrit quædam quæstio percelebris, aliter atq; aliter à diversis proposita, Modò an cum infidelibus, modò an cum mani-

festè impijs, veluti Turcis & similibus fœdus iniri queat. Ego ab alijs informatus, statum quæstionis ita ponam: An sanctus Dei populus, cum falsa Ecclesia externi commodi causa, fœdus mutui auxilij consultò & deliberatò inire possit? ex sacris literis quod negandum omninò puto.

29. 1. Ex Interdicto expressò tam generali quam in specie. Nonnè Deus expressè & generaliter interdixit fœdus inire cum in fidelibus *Exod. 23. v. 32.* Nonnè *Exod. 34. v. 15.* in hæc erumpit verba; ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum, ne cum fornicati fuerint cum Dijs suis & sacrificaverint simulachris suis, vocet te quispiam, ut comedas de immolatis, quod idem *Deut. 7. v. 7.* repetitur. In specie. A prophetâ Hanani reprehenditur Assæ Regis Juda confœderatio cum Benhadad Syriæ Rege. *2. Paral. 16. v. 7.* Quia habuisti fiduciam in Rege Syriæ & non in Domino Deo tuo, idcirco evasit Syriæ Regis exercitus de manu tua. *v. 8.* Nonne Æthiopes & Lybies multò plures erant quadrigis & equitibus & multitudine nimia, quos cum in domino credidisses, tradidit in manus tuas. *v. 9.* adde, *2. Paral. c. 20. v. 37. Esai. cap. 8. v. 12. cap. 30. v. 2. &c.*

30. 2. Probari potest hoc per bonas consequentias. Deus in principio statim humani generis, inimicitias posuit inter semen mulieris, & semen serpentis infernalis, uti videre est *Gen. 3. v. 15.* jam verò falsæ religionis homines, pertinent ad semen infirnalis serpentis; quis ergo cum illis pangeret amicitiam? David *Psalm. 26. v. 5.* canit, Odivi Ecclesiam malignantium & cum impijs non sedebo. *Psalm. 139. v. 21.* Nonne qui oderunt te Domine, & super inimicos tuos tabescebam. *v. 22.* perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi: quis ergò nostrûm cum similibus fœdus iniret? absit imo longissimè absit. Unde Paulus *2. ad Cor. 6. v. 14.* quam fidelissimè monet. Nolite jugum ducere cum infidelibus,

libus, quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci cum tenebris? *v. 15.* quæ conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? *v. 16.* qui consensus templo Dei cum idolis? Nonnè in Baptismo Christo fidem dedimus, quod simus futuri palæstritæ strenui, adversus omnes Christi perduelles, sed quomodo fidem hanc servamus, cum socij horum existimus?

31. 3. Lucet idipsum ex infælici talium confœderationum exitu. Josaphato quippè male cecidit, quando in prælio contra Remoth Gilead ineundo, cum Rege Israel sese conjunxit. *1. Reg. 22. v. 32.* Nec eidem Regi fæliciter successit, quando Naves una cum Rege Israel in Tharsis misit. *2. Par. 20. v. 36.* Nam tempestate orta in Asiongaber naufragium passus est & classem amisit. Machabæi quoq; fœdera cum Romanis & Lacedæmonijs percusserunt, verum id quam illis inutile fuerit, eorum testatur historia. *1. Mach. 14. v. 27.*

32. 4. Id inficiari nemo potest, quod maximè sana pericliteturreligio: Certè qui mihi persuadet, quod qui picem tanget non sit digitos coinquinaturus, idem persuadebit, quod illi qui cum diversæ religionis hominibus fœdus ineunt, ab illis non decipiantur. Siquidem ex fœderibus nascuntur familiares conversationes, ex illis peculiaris quædam animorum conjunctio, ex hac zelus in detestanda religione adversa refrigescit, tandem sub uno cubant tecto.

33. Exemplo nobis esse potest, lapsus primorum nostrorum parentem: Etsi enim circumstantiæ nonnullæ varient, tamen res ferè eadem est. Nam primi nostri Parentes, qui te & me sapientiores erant, fœdus contrahebant cum larvato Diabolo, sic etiam hîc cum larvato Diabolo (puta falsa Ecclesia) contrahitur. 2. Parentes in amplificanda fortuna, nimirum ut similes Deo fierent, laborabant, ita &

hic. 3. Illi ad illicita media confugientes de arbore vetita comedunt, ita idem fit hic per media illicita. 4. Diabolus illis pollicebatur: Eritis Deo similes, sed in effectu aliter res evenit: sic etiam hi pollicentur quidem primò aureos montes, sed deindè sibi omnia quovis medio rapiunt, sive raptum sive captum modo sit aptum. 5. Inter edendum familiaria admodum larvatus ille Diabolus habebat colloquia, interea semen suum spargens & seminans: sic etiam hi quam suaviter quidem loquuntur, sed ah quam miserè, credentes, decipiuntur.

34. Objiciunt procuratores adversæ partis, si hoc tam grande peccatum, qui fit ut Israelitæ receperint in fœdus Gibeonitas, homines prophanæ religionis? Quomodo David cum gentibus fœdus ferire potuit. Sed heus Domine, quod si benè distingueres, quàm facilè cerneres omnia à statu quæstionis esse aliena. Aliud enim est fœdus subactionis, quando alios in bello subigimus, de quo in exemplis allatis est sermo, aliud etiam fœdus quod sponte cum aliquo contrahimus, de quo quæritur. 2. Negatur quod David contraxerit fœdus sive societatem, distinguendum enim ex ipsa ratione dicendi & Scripturæ S. inter societatem & servitutem: Gentes illas factas esse servos Davidis ex mandato divino constat, *Deut. 20. v. 20*, ideoq; nihil ad rombum.

35. Præterea inter infinita alia opponunt exemplum Jacobi quando fœdus fecit cum Labano Idololatra *Genes. 31, v. 44.* exemplum Abrahami cum Abimelech. Sed respondendum, inter Jacobum & Laban, Abrahamum & Abimelech, fuit saltem fœdus Pacificationis non societatis de quo nostra contentio. Imò ἀνελέως loquendo, non fuit fœdus inter Laban & Jacobum, sed tantum dissociatio & pax erat politica, non vera amicitia.

36. Nec

36. Nec eos juvat exemplum Josephi in Ægypto cum Hominibus prophanæ religionis commerciorum societate, uti dicunt, utentis, siquidem verum quidem est commercijs eorum Josephum esse usum non verò contraxisse societatem. Illa scriptura non prohibet, si modò intra modum exerceantur, hanc verò expressè vetat, graviterq; illos punit, qui hoc jure usi fuerunt. Exempla vid. *apud Ezech. 26. v. 2. c. 27. v. 17. 2. Paral. 10. v. 26.* Et quod *intra modum* dixi non sine causa dicitur, quousq; enim sit progrediendum ne modum excedamus, docet id elegans illud exemplum quod habetur *Neh. 13. v. 16.*

37. Pergunt. Humanitas, Misericordia, Charitas &c. debentur hominibus etiam extraneis & prophanis; Ast longè à statu dilabuntur: Non enim quæritur de charitate vel misericordia sed de fœdere contrahendo: Ubi tamen notandum: deberi quidem aliquam ejusmodi hominibus charitatem, non omnem: Certus enim gradus debet esse charitatis. Exempla *vid. 2. Reg. 3. v. 13. c. 5. v. 13. & seq.* & hùc pertinet dictum *Proverb. 25. v. 21.* Perversa autem est illa charitas, imo Diabolica perversitas, ob unius vel alterius commodum totam Ecclesiam in periculum projicere.

38. Dicunt. Nondum tamen periclitatur de Ecclesia & religione quamvis cum ijs fœdus ineamus: Quasi Deum orare non possemus, ut nos in vera nostra religione conservare velit. Ast minimè hoc faciet Deus, quia is Deum tentat. Expressè enim ille prohibuit, ne tale fœdus iniremus cum ejusmodi hominibus. 2. tibi ipsi hoc creasti malum; haud secus, ac si quis ignem in sinum mittat, & deindè Deum oret, ut se velit à flamma ignis tueri, ne consumatur ab illa, idem & hic.

39. Nec huc facit, quod regerunt; esse quosdam diversæ religionis socios, qui æquè ac nos sint Christiani, saltem

tem in quibusdam articulis à nobis dissentiant. Nam Sacra Scriptura in hoc nullum facit discrimen, sive sint homines pessimæ religionis, sive non tam prostitutæ: idq; probatur hoc argumento firmissimo: Si est pestilens fœdus inter puræ religionis socios & Ethnicos, multò magis pestilens erit fœdus inire cum talibus: ratio connexionis hæc est: quia majus periculum ab his est exspectandum quam ab illis; cum homines ab his facile decipi patiantur. Ab illis enim (Ethnicis puto) ne rustici quidem deciperentur: quò majus autem periculum, eo magis res illa, ex qua tale periculum provenit, est devitanda.

40. Ratione loci seu situs non facilè fœdera pangenda sunt cum nimis remotis *Warem. lib. 1. de fœder. c. 2. n. 127. Calderin. disc. 24. & seqq.* Quia juxta proverbium: Non sunt amici procul qui habitant. Unde Germani, Es ist besser ein Nachbar an der Wand / als ein grosser Freund über Land/ siquidem locorum distantia officia sæpe interrumpit, licet non sejungat animos, *Keckerm. in curs. Philos. disp. 33. quæst. 18. Machiavell. lib. 2. de Repub. c. 1. Besold. lib. 2. Pol. cap. 6. num. 16. & in dissert. de fœd. c. 4. num. 11. Reinhard. Konig. part. 1. theatr. Polit. cap. 5. num. 136.*

41. Ratione fortunæ & potentiæ multi fœdera improbant cum miseris & afflictis, aut valde periclitantibus, *qui* ut loquitur *Lucanus lib. 8. quærunt cum qua gente cadant*; Notandum interim sub vocabulo potentia, non tantum fines Imperij, opes, nummos sed & virtutes comprehendi *Warem. lib. 1. c. 2. n. 133.* sæpiùs enim fit ut nos jungamus, exiguæ potentiæ, at summæ prudentiæ Principib. & populis.

42. Neq; etiam videtur consultum cum nimis potentibus inire fœdus. Periculum enim est, dum amicum juvare simulant, eum ipsum subjugent. Hinc *Cicero* de Romanis inquit; Noster populus socijs defendendis, terrarum

jam

jam omnium potitus est. Simile legimus de Saxonibus, qui cum à Britannis in auxilium vocati contra Scotos, maximam Insulæ partem sui juris fecerunt. Non sine causa validissima Athenienſium classis contra Syracusanos ipsis Catanensibus, in quorum auxilium missa erat, terrori fuit, veritis ne totius Siciliæ tentaret imperium. *Justin. lib. 4. Besold. in dissert. de fœder. jure num. 13. Hæn. disp. Polit. ult. th. 5. lit. f. Keckerm. disp. 33. curs. Philos. q. 18. p. 687.*

43. Generaliter non sunt contrahenda fœdera cum ijs, qui sunt diversi humoris: Sic enim Turdo dixit mater, cum Hirundinis expeteret amicitiam: Stultus es fili, si credis cum ea posse convivere, cum uterq; vestrùm, diversa soleat appetere loca. *Abstemius fab. 27.* Et ubi in fœderibus contrariæ sunt voluntates & fines, ibi diversæ quoq; ac contrariæ suscipiuntur actiones: similia omnia sunt muro sine calce, qui ex facili accidente dissolvi potest.

44. Ut & minùs firma ea habentur fœdera quæ cum domo vel offensa familia panguntur, ita quoq; infirma illa sunt, quæ cum illis, diversa qui in politia vivunt contrahuntur. *Jun. quæst. Polit. 74.* Reges enim & magnates civitatibus potissimùm sunt inimici, maximè si opibus armisq; floreant: quod civitates Hanseaticæ non semel fuerunt expertæ *Jun. d. q. 74.* Ideoq; si quis velit fœdera inire, videat cum quibus pangat, ne sub amicitiæ colore amittat libertatem.

45. Sic nec adeò firmum illud fœdus est, inter plures quod pangitur: cum rarò per plures res magnæ gerantur. Eò respiciens *Comin. lib. 1. cap. ult. à princ.* in fit. Impossibile est, ut principes plures simul fœderati, diu unâ colligati maneant, nisi sit caput aliquod, quod legem ex pacto omnibus præscribere queat. Proverbium est, *quot capita tot sensus*, ita si plures fœderati, plures etiam gubernare

volunt. *Besold. dissert. de fœderib. c. 4. n. 17. Jun. q. Pol. 74. part. 1.* Unde sæpè fit ut res magnæ spe incerta in difficultates incidant multas, & tandem evanescant. *Guicciardin. lib. 7. hist. Dur. de pascol. in aul. Pol. hypomn. 50. & 94.*

46. Conditiones sub quibus plerumq; fœdera contrahuntur debent esse, licitæ & possibiles, æquæ & honestæ, non pietati aut virtuti alicui politicæ repugnantes atq; adversæ, sed harum præsidio auxilium præbentes. *Bod. cap. 6. lib. 5. de Rep. Besold. cap. 6. lib. 2. num. 28. Hensler. disput. Polit. 13. th. 34. Arum. d. jur. publ. disc. 28.* Nisi enim quis ad Dei gloriam, proximi dilectionem, patriæ libertatem, subditorum conservationem respexerit & ut majestas & religio salva sit, is finem & effectum fœderis ut non considerat, sic neq; causam & principium ejusdem intelligit.

47. Ex quibus facile apparet, Quid judicandum de fœderibus ambiguis, subq; conditionibus haud manifestis contractis. Siquidem ut *Bodin. d. c. 6. num. 594.* refert, Ambiguitatem verborum præcidere, & quoad ejus fieri potest, de pactis conventis amputare utilissimum esse, ne justorum aut injustorum specie, perjurij latebra, decipiendi; occasio quæratur. Cujus rei exemplum nobis præbent Thraces, qui post inducias 30. dierum cum Thessalis, noctu prædabantur: factum excusantes quod non de nocte verum de die pepigerint. Idem judicium ferendum de Cleomene Lacedæmoniorum Rege, qui cum & ipse septem dierum inducias fecisset cum Argivis, tertia nocte cum Argivi securè agerent, nihil per id tempus verentes, Cleomenes incautos adortus, magnum eorum numerum cecidit atq; cepit. Cum autem perfidiæ Argivi eum arguerent, septem dierum se inducias dixit pepegisse: cæterum de noctibus nullam prosus fecisse mentionem. *Baptista Fulgos. lib. 6. de dict. & fact. memoral. c. 2.*

48. Sic reperies quosdam qui non tantum verba sed & syllabas aucupentur; quorum è numero est Ludovicus XI. Rex Francorum, qui, quod Ludovicum Luxeburgum Magistrum militum ad supplicium quæreret, amicorum in modum jactabat, se capitis tanti viri egere plurimum: quæ ratio loquendi duo significat, & capitalem pœnam & consilium. *Bodin. d. l. n. 607.* Alij deniq; sententiam malitiosa interpretatione corrumpunt, quorum exempla & facta refert *ibid. Bodinus.* Sic Legatus Romanorum malitiosè & Sophisticè se gessit cum Antiocho, qui cum navium dimidium Romanis & Regi constituisset dandum, eas omnes re ipsa dividi ac secari jussit: id autem fecit, ut Rex navali præsidio funditùs destitueretur.

49. Ad fœderum conditiones referri potest pactio fœderis perpetua seu æterna; & temporaria. Perpetua tamdiu durat, quam diu gentis & Reipubl. nomen erit. *Kirchn. de Republ. disp. 17. th. 1. ad lit. b.* Ad hanc fœderis speciem, Politici referunt, pacta familiaria, sive pacta gentilitia, quæ non tantum in arctissimam amicitiam & societatem, sed etiam in spem hereditariæ successionis concipiuntur. Germanicè, Erbverbrüderung/ Erbvereinigung/ Unde Erbverbrüderte/ Erbvereinigte/ *Schonborn. lib. 2. Polit. c. 13. Althus. in Polit. c. 7. Warem. de fæd. lib. 1. c. 4. n. 11. Besold. lib. 2. cap. 6. n. 19.*

50. Tale fœdus inierunt Duces Saxoniæ cum Landgravijs Hassiæ: Ansam illi præbuit bellum novenne quod Henricus illustris dictus gessit cum Sophia, Ludovici Landgravij Hassiæ & S. Elisabethæ filia, desponsata Duci Brabantino anno 1268. confirmante Rudolpho I. Imperat. *Chytr. in Chron. Sax. lib. 18. fol. 534.*

51. Eodem modo inter se pacti sunt Electores Brandeburgici, & Duces Pomeraniæ anno 1323. Reges Bohemiæ

cum Archiducibus Austriæ; Duces Bavariæ cum Principibus Palatinis, Reges Bohemiæ, Ungariæ, Poloniæ, de quib. omnibus & singulis. *Vid. Warem. d. c. 2. num. 37. & seqq. Schonbor. lib. 2. Pol. c. 13. Reinhard. Konig. in theatr. Polit. part. 1. c. 5. n. 49. & seqq.*

52. Pactio temporaria vel ad certum tempus, vel ad confœderati Principis excessum vigorem suum extendit. Ubi obiter notandum, quod sæpissimè fiat ut alterutro Principe mortuo per tres quatuorvè annos societati cum successore locus sit. *Bodin. d. c. 6. n. 580.* sic quoties ea societas, quæ Regibus Gallorum cum Helvetijs intercedit renovatur, disertè caveri solet, ut in quintum annum à Principis obitu continuetur. *Bod. d. l. n. 616. & lib. 6. c. 4. n. 713.*

53. Ceremonias pangendi fœderis quod attinet, eæ apud varias gentes fuerunt variæ. Antiquo modo & ritu, quidam cæsis victimis fœdera colonestarunt: Alij manibus junctis. Alij porco silice percusso: Alij jactu lapidum: Alij ferro candente, frigidæ aquæ immerso: Alij panis vel salis libatione: Vini aut contrahentium mutua sanguinis propinatione. Nam apud antiquos duo maximè insignia fœderis & amicitiæ erant symbola, *panis* nimirum *& sal.* Unum alimenti alterum condimenti instar obtinebat; Utrumq; verò benevolentiæ tessera est. Macedones patrio ritu fœdus, quod sanctissimum vellent haberi, sic inibant, ut panem gladio divisum uterq; libaret *Curt. lib. 8. Cæl. Rhod. lib. 28. antiq. c. 15.* Eandem apud Moschos consuetudinem receptam esse testatur. *Sigism. Baro. ab Herbestein in descript. Moscov.* Undè forte proverbia orta, multos modios salis simul edendos esse, ut amicitiæ munus expletum sit. *Cic. in Læl.* Alij demum juramenti interpositione. *Hensler. disp. Polit. 13. th. 34. Valent. Forster. de histor. jur. Rom. c. 8. n. 3. Schonbor. Polit. lib. 4. c. 35. Fesch. dissert. de fœd. th. 14.*

54. Ulti-

54. Ultimus modus hodiè potissimùm observatur. Vetat autem lex divina alterius, quam Dei nomen ac numen jurejurando obtestari. *Deut. 6. v. 13. c. 10. v. 20. Matth. 5. v. 33. Wesenbec. in parat. de jurejur. n. 5.* Is enim solus est, qui & sui nominis contemptores & perfidos ulcisci potest; Rectè ergo David & Jonathas fecerunt, qui novum fœdus coram Domino percussisse leguntur. *1. Sam. 23. v. 18.*

55. De illo dubitare licet. Si Princeps saltem dicant, Bey Fürstlichen Ehren vnd Würden/ an in pangendo fœdere sufficiat? Quod affirmandum puto; cum Principum fides juramento æquipolleat, *Gail. 2. obs. 59. Mynsing. cent. 1. obs. 17. Fesch. d. t. 15. sub lit. b.* Tutius tamen semper est juramentum, fortiusq; ligat, præsertim in causis publicis & Imperij gravissimis, ut scil. omnis evitetur elusio & fraudis suspicio. *Arum. disc. 28. th. 103.*

56. Juramentum autem non tam ipsi Principes sed & eorum Legati, vel Procuratores modò de hoc speciale mandatum habeant, rectè præstant. *Besold. lib. 2. c. 6. n. 34. arg. c. 1. sed utrum tit. per quos fiat invest. add. reg. jur.* Quod quis per alium &c. *de reg. jur. in 6.*

57. Juramento sic præstito, nihilominus dari interdum solent obsides pro fœdere servando *Warem. c. 1. n. 170.* ut etiam pro servandis inducijs; sic in fœdere quod ictum est inter Henricum Secundum Regem Gallorum & Mauritium Electorem Saxoniæ, Albertum Brandenburgensem & Wilhelmum Hassiæ Landgravium, duo Germaniæ Principes, Philippus Hassiæ junior, & Christophorus Megapolitanus Gallo dabantur *Schled. lib. 24. Warem. d. l. n. 170.*

58. Demùm cum nihil tam naturale sit quam eo genere quo quid colligatum, posse etiam dissolvi *l. nihil. ff. de R. J.* fœdus quoq; suos dissolvendi habet modos. Dissolvitur nam q; 1. ipso jure altera scil. parte fœderis pactum non ser-

servante; quippè nullo tenetur perjurio, qui fœdifrago fœdus non servat. Vulgò dici solet. *Frangenti fidem fides non est servanda eidem.* add. *l. cum proponas C. de pact. l. si convenerit ff. pro socio.*

59. 2. Fœdus finitur, negotio ipso cujus gratiâ initum finito, cessanteq; conditione. Certum enim est, quod fœdera contrahantur ad certum aliquem finem, puta bellum aliquod conficiendum &c. Quod si ergò bellum confici potest transactione vel alijs medijs, fœdus quoq; quod ad tale bellum contractum est, exspirat. *Arum. disc. 28. thes. 115.*

60. Non autem temerè frangi fœdera debent. Juramenti enim violatores ultorem habent Deum. *l. jurejurando 2. C. de reb. cred. & jurejur.* Idq; sat compertum ex historijs, quàm infælices fuerint illi, fœdus temerè qui fregerint. Nonnè Sedechia Rex Judæorum fuit captus, oculis orbatus, atq; abductus Babylonem cum omni populo *Esdræ 3.* Carthaginenses pœnas perfidiæ & perjurij graves dederunt. Ladislaus Ungarorum Rex cum instinctu aliquorum fœdus cum Amurate factum temerè fregisset, cum 30. millib. miserè perijt. *Bonif. lib. 6. histor. Ungar. Decad. 3.*

61. Neq; etiam frangenda, licet inter confœderatos intercedant quædam contentiones. Nam hæ componendæ & dirimendæ judicijs sunt. Atq; cogitandum quicquid ex multis partibus constat, ita natura comparatum esse, ut si aliqua ejus pars laboret, non ilicò sit resecanda, aut expellenda. Quamobrem in omnibus Principum ac Rerumpublicarum fœderibus pangendis, pactis conventis utilissimum est, arbitros ac judices fœderum ac pactionum constituere; si qua inter socios controversia suboriatur, hi eam ut decidant. Non verò rumpi fœdera patiantur. *Bodin. d. l.*

d. l. num. 592. Hùc pertinet exclamatio illa. *Silij Italici lib. 13.*

Fœdera mortales ne sævo rumpite ferro,
Sed castam servate fidem! fulgentibus ostro
Hæc potior regnis. Dubio qui frangere rerum
Gaudebit pacta, ac tenues spes linquere amici;
Non illi domus, aut conjux, aut vita manebit
Unquam expers luctus, lachrymæq; aget æquore semper
Ac tellure premens, aget ægrum nocte dieq;
Despecta ac violata fides. Adit omnia, jamq;
Concilia & mensas contingit, & abdita nube;
Accumbitq; toris, epulaturq; improba Erinnijs:
Ipsa etiam Stygio spumantia pocula tabo
Porrigit, & largè pœnas lethumq; ministrat.

62. De Carolo Imperatore legimus, quod fidem dederit saltem simplicem Martino Luthero (quem Pontifex Maximus diris exsecrationibus quasi Ecclesiæ Romanæ hostem devoverat) ut ad Wormatiæ conventus venire non dubitaret: quò cum venisset Eckius Theologus, in eum eodem jure ijsdemq; pœnis, quibus in Hussium & Hieronymum, animadverti cupiebat, siquidem fiducia Constantiensis decreti; *Fidem hostibus fidei non esse servandam*, contendebat. Sed nemo fuit qui Eckium non apertè exsecraretur, ac decretum illud non improbaret. Itaq; Imperator ne securitas publica violaretur, equitum turmas aliquot Luthero dari jussit, quousq; salvus & incolumis domum revertisset. Quanto ergo magis confœderati qui non simplicem sed juramento confirmatam fidem socijs dant, eam servabunt?

63. Quid Augustus adversus latronum in Hispania ducem? maximam pecuniarum vim publicè promiserat ei, qui Carocotam latronum principem cepisset. Carocota ad Augustum adire, & pactum pro suo capite pretium petere, non

non dubitavit: Augustus non modò latroni veniam, sed etiam præmium dari jussit, tametsi fidem ei non dediſſet: quoniam ſalva dignitate hominem nec ſupplicio affici, nec præmium ei denegari potuiſſe judicabat. Tantum enim fuit publicæ ſecuritatis ac fidei momentum: O utinam vel tertia pars hominum hæc conſideraret, ne dicam ſervaret!

64. Coronidis loco duas addo quæſtiones non contemnendas, quarum prima. Num rupta fides videatur, ſi ſocij patrem fratreſvè fœderibus non comprehenſos ſocius violaverit: dubitari equidem poteſt: cum eadem patris & filij perſona cenſeatur. *l. 1. 2. 3. ff. de liberal. cauſ.* Unde & patri injuriam filio illatam perſequi licet. *l. 1. & ſeq. l. lex Cornelia ff. de injurijs.* Verum quia patria poteſtas nihil cum jure feciali aut jure majeſtatis habet commune, ego contra fœdus nihil eſſe factum autumo. *Vid. Bodin. de Rep. lib. 5. c. 6. f. 961.*

65. Altera eſt. Si ex tribus ſocijs inter ſe fœderatis, unus alterius opem imploret contra vim à tertio illatam; num opitulari debeat? Ubi juxta *Bodin. d. l. fol. 960.* ita diſtinguam. Aut tantum contracta eſt amicitia, & auxilia non debentur: Aut ex fœdere auxilium debetur, & antiquiori ſocio ſuccurrendum: quod ſi verò ijſdem temporibus contracta ſocietas eſt, ei opem ferre neceſſe eſt, qui arctiſſimo fœdere conjunctus erit, i. e. qui hoſtes eoſdem & amicos cum ſocio ſe habiturum ſpoſpondit: Sin uterq; par eſt, neutri auxilia debentur, ſed utriq; utrumq; conciliare oportet, aut efficere ut ad arbitros res deferatur, quod ſi unus arbitros recipere recuſet, bellum ei denunciandum.

66. Atq; hæc de fœderib. jam de Neutralitate dicendum etiam quid eſſet, An amplectenda an verò repudianda ſit? Verum cum hac de re certi quid in theſi poni nequeat, pro circumſtantiarum ratione rem totam cuilibet dijudicandam relinquo.

Disputationum JURIDICO-POLITICARUM QUARTA

DE MAGISTRATIBUS EORUMQUE OFFICIO TRIPLICI, Ecclesiastico, Politico, Oeconomico.

RESPONDENTE
HENRICO Bilstein Martismontano
Westphal.

THESIS I.

HUc usq; de Republica, nunc de ejus partibus. Partes autem duæ sunt, Magistratus & Subditi. De Magistratu tanquam capite prius ut quid dicamus ordinis ratio efflagitare videtur.

2. Vocabulum Magistratus quidam deducunt ab appellatione illa, qua olim Sapientes Persarum honorabantur. Dicebantur autem apud Persas Magi, qui Græcis erant Philosophi, Latinis Sapientes, Ægyptijs Sacerdotes. Magia enim olim honesta vox erat, quamvis hodiè aliter atq; aliter usurpetur. *Plato in Alcibiade dicit* Magos Persicos fuisse divini & humani juris interpretes & Universæ Philosophiæ Professores. Et quia in illorum scholis informabantur, qui ad rerum gubernacula evehendi, teste *Cic. lib. 1. de divin.*

magistratus nomen ab illis deductum, & ad personas imperium gerentes accommodatum esse.

3. Plerique nomen hoc derivant à Magistro, quia apud Romanos is, qui dictator erat, ac supremam potestatem gerebat, Magister appellari solebat, ut ex *Cicerone, Livio & alijs Historiæ Romanæ scriptoribus* constat. Undè adhùc hodiè in civitatibus præsertim liberis & Imperialibus, qui ad clavum Reipubl. sedent, vocantur Magistri civium, Magistri tribuum, Bürgermeister/ Stadtmeister/Ammeister.

4. Magistratus aliquando sumitur in significatione abstractiva & denotat ipsam potestatem & autoritatem, qua instructi sunt ij, quibus regimen commissum; hinc vulgatæ illæ apud Ciceronem formulæ, *gerere Magistratum, inire magistratum, fungi magistratu, abire magistratu.* In hoc significatu semel tantum in Codice Biblico usurpari, Theologi asserunt, locumq; adducunt *1. Maccabæor. 8. v. 16. ibi. Romani committunt uni homini Magistratum suum per singulos annos dominari universæ terræ, & omnes obediunt uni.*

5. Interdum capitur concretivè, & indicat personas quæ gerunt Magistratum, & potestate imperandi sunt instructæ. In quem sensum *Cic. 1. Offic.* init. *Est proprium munus Magistratus, hoc est eorum, qui cum Imperio sunt, intelligere se personam gerere civitatis, debemus ejus dignitatem & decus sustinere, servare leges, jura describere, & fidei suæ commissa meminisse.* Et hæc significatio in Sacris literis est frequentissima. *Esdr. 9. v. 2. Nehem. 2. v. 16. Jerem. 51. v. 23. Luc. 22. v. 1. Rom. 13. v. 1. &c.*

6. Vocabulo Magistratus sumpto concretivè respondent tam appellationes Hebrææ, Græcæ, quam Latinæ, quarum quædam propriè, quædam metaphoricè, quædam ratione causæ efficientis, quædam respectu formæ, quædam respectu finis & adjunctorum attribuuntur. De Hebræis &

Græcis

Græcis nihil, quo minus mihi objiciatur, illud vulgare, *ne sutor ultra crepidam.* Latinè Magistratus vocantur. Dij, propter officium quod gerunt divinum, Cæsares, Principes, Magnates, Senatores &c. *de quibus undiq; Dd.*

7. Definitionem Magistratus quod attinet, ingenuè fateor difficile esse perfectam tradere. Ipse Bodinus *lib. 3. de Rep. c. 2.* inter Jurisconsultos, qui rectè Magistratum definiat, nos habere neminem disertè scribit.

8. Equidem Jacobus Cujacius JCtus eruditissimus & antiquitatis Romanæ indagator solertissimus in *parat. Digest. de orig. jur.* tres hasce Magistratus definitiones tradit. Magistratus est persona, *inquit*, publica, quæ jurisdictioni præest, vel quæ pro tribunali jus dicit, vel cui publicè judicium jurisq; dictio data est.

9. Sed Bodinus examinator regularis *d. c. 2.* tribus argumentis omnes tres impugnat, uno ex Logicorum Topicis & duobus reliquis, ex Jureconsultorum schola petitis, quæ ibi videri possunt.

10. Ego, ut tamen aliquam dem, omissis JCtorum subtilitatibus, Magistratum definiri posse puto personam, quæ in cives suos potestatem habet.

11. Magistratum vulgò dispescunt in superiorem & inferiorem. Superiorem dicunt, qui nemini scil. homini subjectus est, sed qui ipse summum in alios imperium obtinet, qualis Summus Imperator Rex vel Summa Respubl. *Obrecht. disp. prior. de bell. th. 115.*

12. Inferiorem tradunt, qui alij subjectus est, eumq; rursus dividunt in majorem & minorem. Ita ut major ille sit, qui nulli præterquam summæ potestati subest, quales omnes qui immediatè Imperatori subsunt. *Stephan. Jun. de jur. Magist. q. 6.* Minor qui superioris Magistratus imperio

tenetur, sed tamen alijs sese inferioribus imperat, quales ij qui mediatè Imperio parent.

13. Deinde Magistratus aut est togatus aut armatus. Togatus, qui domi & in pace civibus imperat. Armatus contra, qui in bello milites regit ac moderatur.

14. Deniq; Magistratus est vel Perpetuus vel Temporalis. Perpetui illi sunt Magistratus, quorum regimen nullis annorum spatijs terminatur, sed ad vitam usq; regulariter durat, ex horum numero, Magistratus est hic Rostochiensis & alij plures. Temporarij verò dicuntur quorum regimen annuo spatio vel biennio & sic deinceps definitur. Talis est noster Susatensis, vulgò dictus Ambulatorius. *Schonborn. lib. 2. Polit. cap. 3.*

15. Causa Magistratus efficiens est ipse Deus, hoc ut claris & perspicuis verbis tradit Divus Apostolus Paulus ad *Rom. 13. v. 1.* inquiens, Non est potestas nisi à Deo. Cui classico Apostoli adjungi potest dictum *Prov. 8. v. 15. ibi.* Per me Reges regnant, & Principes decernunt justitiam. Probant quoq; idipsum luculenta rationum momenta; 1. Qui Dei judicium exercet, quis illum judicandi potestatem à Deo habere negaret? Magistratum autem Dei judicium exercere sat evincitur ex *Deut. 1. v. 17.* ubi Moses ad judices dicit: Non respicietis personas in judicio, quia judicium est Dei & Deo. 2. Qui in ipsa executione Dei minister dicitur, quis quæso non diceret ejus officium à Deo esse? Quod vero magistratus appelletur Dei minister videbis *Rom. 13. v. 4.* infinitisq; alijs locis, unde *Luth.* Ihr seid seines Reichs Amptleute/ plur. qui desiderat videat *Dn. Gerhard. de Magistrat. pol. c. 3.* Ex quibus facilè colligere licet, quid sentiendum de ijs qui potestatem hanc Pontifici Romano, quasi Dei vicario asscribunt, indeq; Episcopos & omnes Clericos potestati Magistratus Politici eximunt.

16. Illud

16. Illud dubio non caret, An etiam Magistratus Ethnicorum sit à Deo. Multi sanè negant, sed contrarium probant generalia sacræ scripturæ dicta supr. cit. quæ testantur omnem omninò Magistratum, sive sit Ethnicorum, sive Christianorum à Deo esse. Nonnè tempore eo quo Christus & Apostoli in N. T. docebant, omnes Imperatores & Reges erant infideles? nihilo tamen minus ipsis utpotè divinitùs ad Imperium evectis obedientiam & honorem præstare jubent. *Matth. 22. v. 21. Rom. 13. v. 4. 1. Pet. 2. v. 13.* Idem statuo de Magistratu Impiorum ut & Tyrannorum.

17. Vocat autem Deus homines ad Magistratum dupliciter. 1. Immediatè & extraordinariè, quando scilicet ipse quosdam heroes excitat, peculiaribus donis eos instruit, & augustam quandam autoritatem ipsis apud subditos conciliat: cujus vocationis exemplum proponitur in *Mose. Exod. 3. v. 10.* mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum filios Israel ex Ægypto. In *Josua. Num. 27. v. 18. Deut. 3. v. 28.* Tolle Josuam filium Nun Virum, in quo est Spiritus, & pone manum tuam super eum &c.

18. 2. Mediatè & ordinariè, per eos scilicet, quibus jus eligendi & constituendi Magistratum competit, aut augustum illud officium quosdam vocat. Hujus rei exempla tum in historia sacra, tum in profana inq; ipsa experientia ubivis sunt obvia.

19. Varij interim sunt modi, quibus homines ad magistratum evehuntur, revocari tamen in genere ad sequentes possunt, ita ut quidam sint liciti & legitimi, quidam illiciti & illegitimi. Modi liciti absolvi commodè queunt tribus principalibus capitibus, Electione, Successione, & justa occupatione, de quibus ordine.

20. Electio est cum spreto natalium jure, suffragijs Magistratus vel Princeps designatur. *Lipsi. lib. Pol. c. 4.* Eaq;

legitima est, quando sit secundum leges & instituta moresq; Reipublicæ: & ab ijs qui electionis jura habent. *Tholoz. 7. de Repub. 15.*

21. Electio est duplex libera vel adstricta. *Schonb. lib. 2. Pol. c. 2. Gerhard. de Magistr. Pol. c. 3. fol. 714.* Libera electio est personæ cujuslibet: sive illa sit ejusdem sive diversæ nationis *Schonb. d. l.* sive Principalis, Patritij aut plebei status *Reinh. Konig. theatr. Polit. part. 1. cap. 8. n. 39.* Hac libertate usi sunt Poloni in eligendo Piasto, agriculturæ operis occupato *Herbur. 1. hist. Polon. c. 12.* Et etiamnum ut quidam volunt, utuntur. Similem consuetudinem apud Carthaginenses fuisse testatur *Arist. 2. Pol. 11.* itemq; apud Romanos, *scribit Liv. lib. 3.*

22. Adstricta est ad certum personarum genus, ad indigenas scil. & cives *Schonb. lib. 2. Pol. c. 2. Gerhard. d. l. Reinh. Koning. d. l.* cujusmodi legem ipse Deus populo suo tulit, ne alium solio regali dignarentur, quam ex tribu Judæ & stirpe Davidis oriundum *Deut. 17. v. 15.* Idem salubriter sanxit in Aurea Bulla Carolus IV. Imp. ne ad Imperium admittatur alius, quam is qui se Germano ex sanguine satum docere possit, de quibus infr. ubi in specie de Imperatore agemus, pluribus.

23. Electio seu jus & facultas eligendi, pro varijs Reipumpubl. formis, modò ad totum populum, modò ad paucos, modò ad unum spectat, nulla tamen vel gratior, vel majoris autoritatis in populo solet esse electio, quam quæ cum populi consensu fit. Cum enim populus onera imperij ferre cogatur æquum etiam est, ut vel ipse populus sibi quem eligat cui parere velit, vel ut electio fiat cum ejus consensu. Nec hoc à jure divino discrepat, sed ab eo potiùs confirmatur, sic namq; ad Samuelem *1. Samuel. 8. v. 19.* dicit populus, *Rex erit super nos*

24. In

24. In Persona eligenda, quædam respiciuntur principalitèr, quædam verò minus principalitèr. Principaliter attendendus venit sexus, considerandæ sunt bona animi.

25. Sexum quod attinet, ad magistratum nemo admittetur quam qui per legem & naturam ejus est capax. Rectè ergò removentur fœminæ, licet plausibiliter pro ijs disputari queat. *Schonb. lib. 2. Pol. c. 12.* tum propter sacræ paginæ reclamationem, quæ viris parere jubet fœminas *Gen. 3. Eph. 5. Colos. 3. 1. Timoth. 2. & 1. Pet. 3.* locoq; pœnæ gravissimæ denunciat imperium muliebre *Esa. 3.* tum propter repugnantiam ipsius naturæ, quæ dominum effecit marem, in omni genere animantium. *Arist. 1. Polit. 4. & 8.* Natura enim viris dedit prudentiam animi magnitudinem, robur corporis, patientiam laboris, constantiam in adversis, placabilitatem in offensis, solatium in occultis, auctoritatem in arduis, quæ omnia Reipubl. moderandæ summoperè necessaria. At hæc in fœminis si quæ sunt, pauciora sunt & parciora omnia, callidæ sunt & meticulosæ, laboribus impares, leves sententia, malorum & injuriarum impatientes, crudeles si adsit licentia, loquaces & garrulæ, Naberſche ick ſegge yuw dat/ beholdt dat by yuw/ Ja beth dat ſe by ein ander kompt: & licet aliquid præ se ferre velint gravitatis suæ tamen facile obliviscuntur. Atq; ita sentiunt *Pet. Greg. Tholoz. lib. 7. de Repub. cap. 11. Bodin. lib. 6. de Rep. c. 5. Alex. ab Alex. gen. dier. cap. 11. Dana. lib. 3. c. 3. pag. 369. & seq. Arist. 1. Polit. cap. 8. Goclen. quæst. Eth. 91. & 101. Keck. System. Pol. lib. 1. c. 2. Melch. Jun. q. Pol. 13. Joh. Gerh. d. l. fol. 745.*

26. Objicies forsan, potestatem imperandi à virtute dependere, atq; eam tam fœminis quam maribus communiter competere. Imò fuisse adhuc etiam esse plures fœminas quæ virilia munera quam fæliciter subierint, & subeant;

sub eant. Verum enimverò eo nondum adducor tuam in sententiam, tibi enim occurri quomodo queat videbis saltem apud *Schonb. lib. 2. Polit. c. 12.* si alios plures hæc pro & contra tractantes non expetis.

27. Bona animi quæ in persona eligenda requiruntur sunt, Virtus, Eruditio & Eloquentia. Sub Virtute comprehendo, Pietatem, Justitiam, Prudentiam natura & usu acquisitam, fortitudinem liberalitatem, temperantiam, clementiam cum severitate tamen temperatam. Fieri enim nequit, ut si magistratus ipse officium non faciat, ad præclara & honesta alios excitet *Xeneph. in Pædia Cyri* aut alios contineat, qui se non continet. *Cic. pro L. Manilia*, ut etiam commodè puniat illa flagitia, quibus se quoq; affinem novit, sed istud tritum audire cogitur. *Medice cura te ipsum. Jun. part. 1. quæst. Pol. 20. pag. 121. & 122.*

28. Eruditionem & experientiam ideò requiro, quia ad consultandum maximè necessaria est literarum scientia, ad officium benè administrandum, experientia. Quemnàm inquit *Vegetius lib. 1. de re milit.* plura ac meliora scire oportet, quam Principem ac Magistratum, cujus doctrina omnibus subjectis profutura est? Cujus magnum & difficile munus, cura ingens, quæ autoribus magnis eget. *Plat. lib. 2. & 7. de Repub. Lipsi. lib. 3. civil. doctr. cap. 2.* Hinc rectè dicitur, inscitiam in Republ. miseriarum ac calamitatum omnium causam esse. *Plat. lib. 2. & 7. de Repub. Lipsi. lib. 3. civil. doctr. cap. 2.* Et memoria videtur dignum, quod olim Athenis, qui ad Magistratum admitti cupiebat, examen subire cogebatur. Primum autem & potissimùm existimo, *ait Frontinus de aquæductu*, cum ei aquarum officium injunctum esset, nosse quod suscepi. Nam quid viro tam indecorum & intolerabile, quam delegatum officium,

ex

ex adjutorum agere præceptis? (quod fieri necesse est, quoties imperitia præcessit ejus, cui decernitur usus) quorum, etsi necessariæ partes sunt: tamen ad ministerium ut manus quædam & instrumentum agentis, esse debent.

29. Quæris, cur ita postulem in Magistratu, Eloquentiam? Nonnè tractat sæpissimè populum admodum insolentem, delicatum, contumacem, non obedientem in omnibus? Dic quæso quomodò his malis meliùs occurri posset quam verbis & oratione omnia mollire & lævigare. Jam dicam de Eloquentiæ necessitate & utilitate in Legationibus ad exteros. Caveat interim Magistratus, ne oratio sit juvenilis & luxurians, ne ad pompam & ostentationem conformata, ne ad laudem captandam accommodata, ne nimis prolixa, brevitati tamen ita aptata, quò minus ne quidè obscuritas aliqua oriatur & omittantur necessaria. *Jun. part. 1. q. 19.*

30. Minus principaliter in magistratus electione attendo bona corporis vel extra corpus posita. Corporis bona dico, Ætatem, Proceritatem, & formæ Præstantiam.

31. Senes nequè simpliciter ad Magistratum sunt admittendi, neq; Juvenes simpliciter ab eo excludendi, sed videndum est ante omnia, qui tam ex Juvenibus quam Senibus idonei sint maximè. *Melch. Jun. in utramq; partem p. 1. q. pol. 14. Keckerm. lib. 1. Syst. Pol. c. 2. pag. 51. & 52. Timpl. 2. Pol. c. 2. q. 10. Coras. ad rubr. ff. de Quæst. Johann. Gerh. de Magistr. Pol. c. 3. fol. 749.* Quippe non desunt exempla, maximis etiam imperijs & regnis fuisse præfectos adolescentulos. Salomon duodecennis regno potitus, dijudicavit controversiam illam inter duas mulieres de infantibus suppositis dimicantes *3. Reg. 3.* Manasses annorum erat 12. Josias & Joachin octo *4. Reg. 22. add. Schonborn. lib. 2. Polit. cap. 7.*

32. De Proceritate & formæ præstantia quæ dixi non ita intelligo, ac si magis pulchritudinem corporis quam mentis optem; sed si proceritas & bona forma cum mentis virtute in uno concurrant, maximè eum præferendum esse. 1. Deus enim ipse talem constituit Israelitis Regem, qui altior fuit universo populo ab humero & sursum, sic enim describitur Saul *1. Samuel 10. v. 23.* de Davide dicitur, quod fuerit rubicundus, pulcer aspectu & decora facie *1. Sam. 16. v. 12.* 2. Apes naturæ instinctu Regem sibi delegunt insignis formæ, dissimilemq; cæteris tum magnitudine, tum nitore *Franz. histor. anim. tract.* [illegible] pulchro & procero etiam non ignoro, animo malo, qualis fuit idem Saul, corpore, at [illegible] e quo etiam supr. Absolomus *2. Reg. c. 14.* Et *1. Reg.* [illegible] istrà non dicitur, parvo in corpore magnam sæpè sanè fero virtutem, sub deformi corpore mentis vim absconditam latere. Huc quadrat illud de Ulysse dictum.

Non formosus erat, sed erat facundus Ulysses.

33. Bona extra corpus reputantur facultates, Ortus & familia. De facultatibus dico, licet opum maxima habenda sit ratio: tamen pauperes prorsus excludendos esse minimè censeo. Non enim facultates sed virtus, non adjumenta fortunæ, sed ornamenta animi, in electione spectanda veniunt. *Jun. quæst. pol. 17. Keckerm. 1. pol. 12. fol. 35. Timpl. 2. c. 2. quæst. 12. Piccolem. gradu 10. cap. 20.*

34. Quoad Originem: Indigenarum ac civium, potiorem habendam esse rationem, omnibus ferè placuit gentibus. *Anti Machiav. 1. de Regn. admin. c. ult. Bodin. 6. de Rep. c. 5. Jun. q. 15. Arist. 5. Pol. 3. Commin. lib. 7. comment. c. 14.* Undè illud Philosophi: Peregrinos civibus præferre, ad mensam vocare, & Reipub. custodes efficere, Tyrannorum non Regum esse, *add. Speckhan. cent. 2. quæst. 9. Class. 1. Mynsing. 4.*

Myuſing. 4. obſ. 30. & ibi notat. Arnoldi Reygers. Hoc tamen nolo, ut indigenis quibuſvis potius, quam alienigenis honores & munera publica conferantur, ſed potioribus tantum & qui poſſint commodè patriæ & Reipubl. præeſſe: Nec ſine cauſa quis enim non videt, quod peregrinorum major plerumq; autoritas ſit quam indigenarum? Et nota eſt ſententia Salvatoris noſtri, ſuo ipſius exemplo comprobata: Non eſt Propheta inhonoratus niſi in patria ſua & inter cognatos & domi ſuæ, quod dictum reperies explicatum *à Goclenio quæſt. Eth. 14.*

35. Ratione familiæ quæri ſolet. Num etiam ij qui *obſcuro loco* hoc eſt ex humilioribus parentibus, nati ſunt, admittendi vel *potius* eligendi ad magiſtratum. Ego poſthabitis omnibus illis quæ magno numero *in contrarium* afferri poſſunt, ſecundum illud: *Ariſt. 3. Pol. c. 8.* Non tam homines quam hominum virtutes reſpiciendas, aſſero; humiles & obſcuro loco natos non omninò à magiſtratu eſſe excludendos. 1. Quia Deus, qui in altis habitat, humilia reſpicit, ſuſcitans è terra inopem, & de ſtercore pauperem erigens. *Pſal. 113. v. 6. & 7.* Sic evexit ad honores & dignitates Joſephum è carcere *Gen. 41.* Gedeonem frumenta purgantem *Jud. 6.* Danielem captivum *Dan. 8.* Saulem patris ſui aſinas quærentem, & Davidem oves paſcentem. *1. Sam. c. 10. & 16.*

36. Auguſtus ille, cujus nomen tam celebre fuit, avum habuit argentarium, patrem adſtipulatorem *Cic. epiſt. ult. ad Q. Fratrem.* Helvius Pertinax Imp. patre libertino natus eſt *Dion lib. 73.* Anaſtaſius Imperator fuit ſcriba aulicus *Mel.* Juſtinus Imp. patre natus armamentario. *Melin. ib.* Amaſis Rex Ægypti cum privatus adhuc eſſet, paraſitica & furandi celeritate ſeſe aluit. *Hered. in Euterpe. p. 154. &c.*

37. Imò ſæpè contra generoſiſſimarum imaginum

fœtus in dedecus aliquod sese devolvunt, & lucem à majoribus acceptam in tenebras convertunt. *Valer. Max lib. 3.* Unde proverbium: Heroum filij noxæ. *Erasm. in Proverb. Cent. 6. Proverb. 32.* Quod quamplurimis exemplis illustrat. *Melch. Jun. part. 1. quæst. polit. 16. Keckerm. lib. 1. syst. Polit. c. 2. pag. 51.*

38. De Spurijs quid sentiam, non dubito quin cuivis obvium sit *ex disp. 2. th. 48.* quibus add. *Dn. Johan. Gerh. de Magist. Pol. c. 3. pag. 741.* Ubi tradit, regulariter quidem spurij ad magistratum quod non sint admittendi, interim propter heroicam uirtutem & certas quasdam Reipubl. circumstantias admitti possint.

39. Effectus electionis est, ut electus ita ritè delatum munus suscipiat. Verum cum sæpè fiat ut is qui electus est à munere abhorreat, vel etiam vi quadam majore & casu fortuito, impediatur, quo minus suscipere possit, videndum quid dicendum de eo qui munus oblatum recusat.

40. Comicus ait: *Invitos canes venatum ducere, id verò nihil est.* Quod enim invitum, atq; adeo violentum est, id diuturnum nulla ratione esse potest: Unde *Cicero pro Sexto Roscio.* Quod ego invitus & necessario facio, nec diu nec diligenter facere possum. Quod si ergò certum eum odisse patriam, qui imperium oblatum detrectat; nulla ratione assumendus erit, imò gravissima pœna mulctandus, tanquam qui omnem virtutis stimulum excusserit: Ut fecisse legimus Rempubl. Athenienſem, quæ capite, Romanam, quæ libertate, Spartanam quæ exilio eos mulctarunt, qui Magistratum repudiarunt.

41. Aliter tamen de excellentissimis viris qui Magistratum certis ex causis initio recusant, judicandum esse existimo. Nam hi virtutem præclariorem in administrando officio exercent, quam illi qui sponte prosiliunt. Ostenderunt

derunt hoc Numa Pompilius, Hadrianus & alij quos Romanum invitos quasi ad Magistratum pertraxerunt, qui sane multò ardentius patriam amasse comperti sunt. *Aristot. 2. Pol. c. 7.* Ambitiosum illum dicit, qui ad petendum Magistratum descendit. JCtus Ulpianus in *l. 25. ff. de procurat.* eum vocat suspectum, qui operam suam ingerit. *add. Schonbor. lib. 2. Pol. c. 8. Besold. lib. 2. Polit. c. 3. num. 9. Reinh. Koning. in theatr. Polit. part. 2. c. 14.*

42. Atq; hæc de Electione, sequitur Successio, quæ nil aliud est, quam ordinarius magistratum constituendi modus, per quem magistratui prædecessori vitâ defuncto succedit alius.

43. Hunc modum multi optimum existimant, atq; Electioni præferendum asserunt. *Bodin. lib. 6. de Rep. c. 5. Lipsl. lib. 2. civil. doctr. c. 4. Cas. lib. 3. Spher. civ. c. 11. Keck. lib. 1. system. Polit. c. 4. pag. 110. 111. 112.* Quibus & ergo, licet quoq; in alteram partem firma & valida argumenta extent, subscribo: Interim secundum præceptum illud Politicum: (Boni civis esse, præsentem statum quantumvis improbulum, boni consulere, quoniam sine majori malo mutari nequeat) illam superaddens limitationem, attendendam scilicet esse cujuscunq; terræ vel provinciæ consuetudinem. Eò respicit *Dn. Vultej.* quando *tom. 3. conf. Academ. Marpurg. conf. 35. num. 205.* ait: Imperatoris & totius Imperij interest, ut quilibet Imperij status in ea conditione sit & maneat, in qua fuit inde à suo principio & origine.

44. Successio est duplex, sit enim ex testamento vel ab intestato. *tot. tit. l. de testam. ord. tot. tit. l. de succes. ab intest.* Testamento acquiri magistratum extra controversiam est, si scil. is per successionem plenum jus disponendi de suo regno habet, alium heredem regni instituerit, sic legimus apud *Eutropum lib. 4. & Justin. lib. 36.* Attalum regem

Pergami ditissimum testamento scripsisse heredem populum Romanum. licet eum doli mali in adeunda hereditate Attali, non obscurè insimulet *Methridates* apud *Salustium & Horat. Od. 18. Car. 2.* simile scribitur de Alexandro Rege Ægypti, quod Alexandriam Ægyptum populo Romano legarit. *Cicer. 2. Orat. Agrar.*

45. Ab intestato succedunt prioris magistratus agnati proximi, quorum omnium primi filij sunt, qui & sui heredes dicuntur, quia & vivo patre quodammodo domini existimantur. *§. 1. de hered. qualit. & different.*

46. Unde quæritur: Quid dicendum eo casu quando defunctus tres pluresve reliquisset filios, utrum omnes, an unus, & quis eorum succedere debeat? Ubi communiter respondent *Dd.* Primogenitum præferendum esse: non attendentes ex jure civili quod affertur, inter liberos debere servari æqualitatem, sed potiùs contrarium probantes ex lege sacra, ubi ipse Deus prærogativas primogenitorum confirmavit: sic *Deut. 21. vers. 17.* primogenito jubentur ex hereditate *cuncta duplicia* dari, cum sit principium fortitudinis. De Rubeno primogenito dicit Jacobus Patriarcha, quod sit prior *in donis, major in imperio Gen. 25. v. 32. & 27. v. 29.*

47. Primogenitus verò is dicitur, qui tempore mortis patris alios antecedit. Quia successio habet naturam relationis ad tempus mortis, & ideo inspicitur prioritas, quæ tunc in rerum natura versatur. *l. ex facto §. pen. ff. ad SCt. Trebell. §. proximus l. de leg. agnat. succes. Bald. in l. 2. C. de jur. Emphyt. Alciat. in l. proximus ff. de V. S.*

48. Sic in simili existente consuetudine in Baronia, ut primogenitus ex primo matrimonio succedat: quidam Baro tres uxores habuit, ex prima nullos liberos suscepit, ex alijs multos: Primogenitus secundi matrimonij, vi consue-

tudinis

tudinis, vel statuti, dicit Baroniam ad se pertinere, alij repulsione utuntur, quod verba in primogenitum concepta sint: & quod is intelligi debeat, qui ex primo natus est matrimonio. Responsum est tandem à *Dd.* Baroniam ad primogenitum secundi matrimonij pertinere, quia secundum matrimonium respectu tertij elicitur primum: & propterea is dicitur filius primogenitus primi matrimonij, respectu sequentium. *Jacobin. & Aretin. Cynus, Alberic. & Baldus in l. si quis prioris C. de secund. nupt.* Unde *idem Bald.* subjicit. *Si ex pluribus matrimonijs liberi sint, & is qui ex primo matrimonio primum locum obtinet, repudiet Baroniam, quod ille qui eum sequitur eam obtinere debeat.* Sicut etiam dignitas quæ recedit ab indigno applicatur proximiori gradui, *arg. l. 3. §. emancipati ff. de bon. poss. contr. tabb. Corset. in tract. de potest. & excell. reg. q. 74. Socin. cons. 113. lib. 1.*

49. Hùc non incommodè quadrat quæstio. Uter ex duobus Regis filijs, quorum alter ante, alter post adeptum à patre regnum natus est, primogenitus & Imperij heres sit censendus? Ubi pro eo, quem Naturæ fælicitas & privilegium ætatis primum fecit, pugnant *Forster. tr. de succes. lib. 4. cap. ult. n. 36. Cujac. lib. 1. de feud. cap. 11.* pro secundo verò genito *Schrader. part. 7. cap. 5. num. 37. de feud. & Alciatus ad l. bonæfidei n. 8. ff. depositi.* Alij distinguunt, ut si dignitas regia competat patri ex avito genere, tunc is qui ante regnum acquisitum natus est jure primogenituræ gaudeat, sin verò ex causa adventitia dignitatem regiam, ipsumq; regnum pater adeptus fuerit, tunc filius non ante, sed post natus admittatur. Alij demum putant, quod si statutum, quo successio regni primogenito defertur, tunc is, qui, antequam pater principatum nactus erat, natus fuit, succedat: sin verò statutum conceptum fuerit de primogenito regis, ut principis filio, is admittatur solus, qui post

regnum

regnum natus, cum is solus rectè & propriè primogenitus regis filius dicatur. *Vid. Hotom. illustr. quæst. 2.* Ego omissa longa argumentorum refutatione, faciam cum primis, videlicet ijs, qui simpliciter asserunt, primogenitum eum rectè censeri, quem naturæ fælicitas talem fecit. *per l. senatorũ filium ff. de senatoribus. l. 2. §. in filijs ff. de decurionib. l. morũ §. sed utrum ff. de pœnũ. l. cum advocatio C. de advocat. diverſ. jud. l. 2. C. eod. l. neq; Dorotheum C. de decurion. lib. 10.*

50. Non minus controvertitur de duobus gemellis uno partu editis, si nemini de eorum primogenitura constet, uter eorum sit primogenitus? In qua quæstione tot ferè Interpretum sunt opiniones, quot capita, neq; me pigeret quasdam recensere, nisi prolixitatem nimiam timerem, ideoq; quæstionis hujus cupidum remitto *ad Dn. D. Hunnium Resol. civ. lib. 3. tr. 1. q. 21.* Cumq; eo concludo; si res sit dividua, neutrum primogenituræ prærogativa uti, sed utrumq; pari jure censeri. *per l. cum quis è pluribus ff. de manumiss. testam. l. nominatim ff. de lib. & posth.* Quod si verò res sit individua quæ dividi inter contendentes de primogenitura nequeat, tum judex autoritatem suam interponet, uni totam rem adjudicabit & eundem in partem æstimationis alteri condemnabit. *arg. l. 6. §. pen. l. 7. l. 10. cum sim. ff. commun. divid.* In feudis autem regalibus quæ primogenito soli debentur, eum alteri præferendum qui virtute, moribus & honestate præstantior est, suadente hoc publica utilitate quæ ad regimen illum evehendum postulat, qui quam optimè Rempubl. gubernare possit.

51. De naturalibus primogenitis dico, si sint per subsequens matrimonium legitimati, æquè atque legitimè primogenitos jure primogenituræ gaudere. *per Nov. Quib. mod. nat. effic. sui 74. c. reliqui.* Quod tamen verum est si de allodiali quæratur successione. In feudali enim legitimati

nec

nec soli nec cum alijs succedunt. *ff. naturales tit. 26. lib. 2. feud. & similib.*

52. Ultimus magistratum deferendi modus est, qui fit per justum bellum ac legitimum. Siquidem juris naturalis est ut quodcunq; ex veris hostibus captum, dominio victoris subjiciatur. *l. naturalem 5. ff. fin. l. adeo quidem 8. in pr. & l. transfugam 21. ff. de acq. rer. dom. ff. item ea quæ ex hostib. l. de R. D. de quo modo infr. ubi de jure belli plurib.*

53. Hisce ergò prædictis modis Administratione delata, sequi solet inauguratio, quæ est solennis imperij commissio & traditio, qua in possessionem quasi inducitur & mittitur magistratus novus. Hæc pro varia locorum consuetudine varia esse consuevit de quibus velim ipse videas *Bodin. lib. de Rep. c. 8. pag. 130. Schonborn. lib. 2. Polit. cap. 20. Hæn. disput. Polit. 3. th. 33. & 34.*

54. Illud in Inauguratione non ultimum, quod juramentum præstare teneantur illi quibus committitur administratio, se pro electione neq; dedisse quidpiam, nec daturos unquam postmodum fore, sive per se sive per personam interpositam, seq; piè beneq; administraturos. *l. sancimus C. ad L. Jul. repetund.* Forma itidem juramenti solet esse varia, imprimis tamen ad Deum καρδιογνώστην concepta. *Nov. 8. in fin. add. Schonb. lib. 2. Polit. cap. 21.*

55. Et hæc de modis quoq; legitimis, illegitimos quantum attinet, sunt violentia, fraus & largitio, de quibus agit *Schonborn. lib. 2. Pol. c. 19. item lib. 2. 17.* ubi etiam in specie de donatione Constantini Magni. *add. Ampliss. Vir Dn. Thom. Michaelis de jurid. concluss. 18. Arnisæ. de donat. Constant. Coler. de jure Imperij Germ. sect. 5.*

56. Sequuntur Magistratuum inauguratorum officia; Ea verò consistunt in conservatione humanæ societatis, legis tam divinæ quam humanæ, unde etiam eorum

officium est triplex. Ecclesiasticum, Politicum, Oeconomicum.

DE OFFICIO ECCLESIASTICO.

57. Ecclesiasticum primo loco pono, quia monente *Platone lib. 2. & 4. de Repub. & Aristot. lib. 7. Polit. c. 8.* Prima & præcipua pars offic j Magistratus esse debet Religio, seu cura rerum sacrarum. Sic gentilium Romanorum prima & summa Religionis fuit consultatio; *teste Polybio lib. 6. histor. Rom.* Nec ulla unquam Respubl. fuit, quæ non primam suarum legum partem de religione fecerit, scribente *Zacharia* Friedenreich. *in Polit. c. 12.*

58. Et quis quæso (nisi planè in jure hospes) non videt, quanta cura de Religione fuerit Imperatoribus & Imprimis nostro Justiniano. Nonnè in *l. 1. C. de summ. trin.* seriò monet, omnes illius subditos in religione debere esse tales, ut secundum Apostolicam disciplinam, evangelicamq; doctrinam, & filij & Spiritus sancti unam Deitatem sub pari majestate & sub pietate credant. In eandem sententiam idem laudatissimus Imperator *in l. unic. C. nemin. lic. sign. salv.* ait: Cura nobis diligens est, per omnia supernj numinis religionem tueri *& Nov. 3. in fin.* scribit: Non minorem sibi curam esse Ecclesiæ quam animæ.

59. Hinc est quod & Sacra Scriptura Principes vocet nutritios & patronos Ecclesiæ, *Esa. 49. v. 23.* & ad muros ejus ædificandos constitutos *cap. 60. v. 10.* Unde Psalmista David, *Psalm. 24 v. 7. & 9.* monet ut portas suæ ditionis aperiant, quo Dominus gloriæ introeat. Et sanè ita proprium esse Principis curare & tueri sacra, veteres statuerunt, ut plerique habuerint Sacerdotij & Regni munera conjunctim, referente *Bodin. lib. 3. de Republ. c. 8. Tholoz. lib. 8. de Rep. c. 2. n. 6. & seqq. Arnisæus in tractat. de subject. & exempt.*

exempt. Cleric. c. 1. num. 4. Hinc etiam in multis Imperij Receſſibus Imper. Romano id tribuitur, quod ſit Der gantzen Chriſtenheit ein Schutz vnd Schirmherr R. A. *de anno 1518. §.* Erſtlich. Item Advocatns R. A. zu Regenſpurg *de Anno 1541. §.* Aber Churfürſten. Item ſupremus Præfectus R. A. zu Augſpurg *de anno 1503. §.* Auff ſolch. Quare Lutherus ad Imperatorem ſcribens, ait: ſeſe confugere ad ipſum, tanquam aram præſidiumq; & rogare, ut doctrinæ Chriſtianæ tutelam ſuſcipiat exemplo Athanaſij *Schleidan. lib. 2. comment.*

60. Inde Magiſtratus Chriſtianus poteſtatem habet, covocandi Epiſcopos & Synodos congregandi: R. A. zu Speyr *de anno 1526. §.* Vnd erſtlich R. A. *de anno 1544. §.* Derhalben & paſſim: quia ejus eſt providere, ut verbum Dei purè & ſincerè tradatur, pax & tranquillitas in Eccleſia conſervetur, hæreſes & ſchiſmata, quibus pax & tranquillitas iſta turbatur juſta ratione & via tollantur. Sic in hunc finem olim Magnum illud & celeberrimum Concilium apud Niceam urbem Bithyniæ, à Conſtantino Magno adornatum *Ann. Chriſti 328.*

61. Qui conventus dictus eſt primo Synodus Oecumenica, id eſt totius orbis Synodus: ideo quod paſſim ex οἰκουμένη, per varias & diverſas terrarum partes Viri ſancti, religioſi & doctiſſimi ab Imperatore convocati eſſent. Unde & Imperator οἰκουμενικὸς dicitur, vel ut *inl. deprecatio 9. ff. ad L. Rhod. de jact.* Κύριος τοῦ κόσμου, Dominus mundi, eò quod nulli præterquam, ſoli Imperatori Synodi Oecumenicæ convocatio competat: hanc eandem Synodum Nicenam, in qua & Symbolum Nicenum promulgatum, omnium Synodorum matrem vocat, *Matthias Stephani de jurisd. lib. 3. part. 1. c. 14. num. 105. & 106.*

62. Sic inſtitutum olim Concilium Conſtantino-

politanum ab Imper. Theodosio Magno Anno Christi 385. Anno Imperij Theodosij 3. *Theodoret. lib. 5. c. 7. Niceph. lib. 12. c. 10. tom. 1. Concil. fol. 237. col. 2. Zonar. in vit. Theodos.* Ephesinum à Theodosio II. sive Juniore (qui respectu Theodosij avi ita dictus) *Liberatus in Histor. Concil. Ephesin. tom. 1. Concil. fol. 304. Col. 1. in med.* Anno Epochæ Christi 431. *Secundum Forsterum disp. 8. th. 39. de Concil.* juxta alios Ann. 432. vel etiam Ann. 433. Chalcedonense ab Imper. Martiano *secundum Funccium* Ann. Christi 455. Ann. Imperij Martiani 2. quibus addi possunt Concilia alia plura enumerata à *Christ. Matth. disp. Polit. 6. Arnisæ. in tract. de subj. & exempt. Cler. c. 6. n. 13.* Malè igitur facultas hæc convocandi concilia ascribitur Pontifici Romano R. A. zu Augspurg *de anno 1525. §.* Wir haben. Nec patrocinatur, quod in ipsis Imperij Recessibus Pontifici tribuatur hæc facultas. R. A. zu Regenspurg *de Anno 1532. rubric. concilium* betreffent. §. Ferner R. A. zu Augspurg *de anno 1551. §.* Wir ersuchen. Siquidem Papa illam facultatem non ex se, sed Imperatoris permissu & indultu usurpavit. Nam Imperator Carolus V. ex quadam Zelotypia Pontificiæ religionis, id permisit & indulsit Pontifici, ut is esset executor voluntatis Imperialis in convocando concilio. *Vid.* R. A. zu Nürnberg *de anno 1524. §.* Als auff vielgedachte vnsere *Instruction ibi.* eines gemeinen freyen Concilij, so durch Päbstliche Heiligkeit / NB. mit vnser bewilligung verkündiget vnd außgeschrieben.

63. Ratione præcedentium illâ exoritur quæstio, Anne etiam EE. & PP. Concilia convocare possint? ubi juxta *Forster. disp. 1. de Concil. th. 23. & ex Recessu* zu Speyer *de anno 1542. §.* Ob aber mitler zeit. distinguo, inter Synodos universales sive Oecumenicas, & Concilia Particularia, quæ & Nationalia seu Provincialia dicuntur; ita ut Principes quidem

quidem Particularia Concilia instituere possint, Universalia non item. *Forster. d. l.*

64. Nam & hi potestatem & auctoritatem tantam in suis territorijs obtinent, quantam Imperator in Imperio universo: exceptis ijs, quæ Imperatori in præeminentiam & signum superioritatis expresè sunt reservata. *Gail. 2. obs. 57. & lib. 1. de pac. publ. c. 6. n. 10. & 11. Wesenbec. cons. 27. n. 29. Kirchner. de legat. lib. 1. c. 3. num. 11. & seqq. Reinking. in reg. sec. & Eccles. lib. 1. class. 5. cap. 6.*

65. Quando jam ita Concilia legitimè sunt exscripta, cuivis liber & securus debet patere aditus, non solum veniendi & recedendi, sed & dubia sua ad conscientiæ exonerationem & fidei confirmationem proponendi R. A. zu Augspurg *de Anno 1551. §.* Wir sind auch. *ibi.* Sondern wollen auß Käyserlicher macht vnd gewalt alle die so auff dem Concilio erscheinen / gnediglich ersuchet haben / das ein jeder frey vnd vnverhindert darzu kommen / das jenige so er zu Ruhe vnd Sicherung seiner Conscientz vnd Gewissens / für gut vnd nothwendig achtet / fürbringen / vnd wiederumb von dannen biß in sein Gewarsam frey sicher abziehen vnd kommen möge.

66. Controversia autem fidei exorta, in ejus decisione non ad verborum pluralitatem aut Pontificialem dignitatem sed ad Scripturæ Sacræ auctoritatem & veritatem unicè recurrendum & respiciendum erit. R. A. zu Speyer *de anno 1542. §.* Ob aber mitlerzeit. R. A. zu Wormbs *de anno 1545. §.* Vnd sollen.

67. Nec statim approbandum, quod maxima pars opinetur, sed quid verum est, attendendum, quemadmodum constantissimum Hassiæ Landgravium Philippum p. m. Granvellano respondisse refert *Schleidan. lib. 17.* Non enim hic valet regula; justè creditur, quod communiter

creditur. *Gothfr. ad l. 3. in pr. ad Macedon.* sed potius illa Apostoli: nostrum unusquisq; de se ipso reddet rationem, *Rom. 14.*

68. Si quid etiam in religionis negotio esset statuendum vel immutandum, non nisi cum Consilio Theologorum rectè sentientium & auctoritate S. Sacræ Princeps id faciet. *l. 1. C. de summ. Trin. & ibi Magnif. & Ampliss. Vir Dn. Ernest. Cothmann. p. m. n. 52.* R. A. *de Anno 1555. §.* So haben *circa fin.* Unde rectè Imperator Honorius & Theodosius, inquiunt, si quid dubietatis emerserit, id oportet (non absq; scientia Antistitis Constantinopolitani) conventui Sacerdotali, Sanctoq; judicio reservari. *l. 2. C. de SS. Ecclesijs.*

69. Carolus V. Imperator, in deliberandis & concordandis religionis controversijs, dicit, se usurum præclarissimorum Theologorum multarum nationum consilio R. A. zu Augspurg *de anno 1530. §.* Demnach haben wir. Sic Antiochenses orta controversia, Hierosolymam ad Apostolos miserunt, & ab ijs decisionem petierunt. *Actor. 15.*

70. Nec sine causa. Nam sicut Princeps in ferendis legibus circa bonum civile, non disponit pro libidine, sed adhibitis prudentum consilijs, *l. 8. C. de ll.* ita etiam quando circa bonum Spirituale disponet, non disponet pro libidine, sed adhibere prudentiam Theologorum, secundum normam verbi Dei immotam, debet; juxta illud, Rex leget in libro legis, omnibus diebus vitæ suæ & non deflectat ab ea *Deut. 17.* sed faciet secundum omne, quod scriptum est in eo. *Jos. 1. vers. 8. Psalm. 2.*

71. De illo non una eademq; Theologorum est sententia, quali pœna Princeps in Hæreticos damnatos advertere possit & debeat. Placet mihi distinctio, *Admodum Reverendi viri Dn. D. Mentzeri in Exeg. August. Confess. art. 16.*

quam

quam etiam communiter esse approbatam testatur *Reinking. in reg. Eccles. lib. 3. class. 1. c. 5. n. 14.* Inter hæreticum quietum & seditiosum ac blasphemum. Ille propter solam hæresin quam privatim fovet capitali pœna puniri non potest, cum ejus supplicij nec argumenta, nec exempla ulla proferri possint ex N. T. & primitivæ Ecclesiæ praxi, sed ex Apostoli monito post unam & alteram correptionem, talis est devitandus *ad Tit. 3. v. 10.* Sic & ipse Christus civitates verbum suum non recipientes, deseri, non deleri præcepit *Matth. 10. v. 14.* Zizania non eradicari sed relinqui voluit. *Matth. 13.* Samaritanos infideles igne de cœlo descendente, ad petitionem discipulorum exuri renuit. *Luc. 9. v. 54.*

72. Blasphemus verò & seditiosus à Magistratu seculari pro qualitate blasphemiæ, non tantum ex Novissimis Imperij constitutionibus. R. A. zu Augspurg *de anno 1530. sub tit.* Von Gottslästerungen vnd Gottesschwärern/ sed etiam de jure civili *Nov. 77. c. 1.* puniri potest. Quia propter talia delicta, ut cum Imper. Justiniano loquar, Deus provocatur ad iracundiam, fames & terræ motus & pestilentiæ fiunt, civitas & Respubl. læditur. Unde etiam *Dn. D. Mentzerus d. l.* dicit. Etsi ad fidem nemo cogi debet, externa tamen disciplina conservanda est, ne liceat petulantibus hominibus turbare ordinem Ecclesiæ & disciplinam Christianam.

73. Atq; hæc de Officio Ecclesiastico (cum plura proponere prolixitas vetet) sufficiant; Interim si quis scire quid de Vocatione Ministrorum deq; eorum visitatione & sustentatione, alijsq; hùc pertinentibus, velit, adeat *Clariss. Virum Theodorum Reinking. ex professo in Regim. suo Eccles. hæc tractantem ibiq; alios ab eo citatos.*

DE

74. Sequitur Magistratus officium Politicum. Quod totum consistit in ista lege XII. tabb. *Salus populi suprema lex esto Besold. lib. 1. Polit. c. 1. n. 19. vers. 2.* quam legem implebit, si fortunas subditorum in tutò collocabit, justè judicabit, unicuiq; id quod suum est, tribuet, personam nullius respiciet, hoc est, potentem imbecilli, divitem inopi, gentilem inquilino, civem advenæ, patritium plebejo minimè anteponet, sed æqualitate jus universis æqualiter impertietur. *Unde JCtus Marcianus in l. 2. ff. de LL. ait.* Legi omnes obtemperare debent, tam boni quam mali.

75. Post hæc ad Magistratus officium publicum non minus pertinet cura bonæ Monetæ; Unde Philippus Hassiæ Landgravius p. m. tribus commendari bonum Principem dicere solitus. 1. proba moneta. 2. securis itineribus 3. præstatione promissorum. *Warem. ab Ereb. de regn. subsid. c. 5. num. 37.* Is enim Princeps optimè novit, quam ingens damnum Reipubl. per falsam monetam creari queat. *Aristoteles 5. Ethicorum c. 8.* monetam mensuram universalem appellat, quæ πάντα μέτρει, quæq; precia rerum inæqualium ad æqualitatem revocat, *teste Cælio Rhodigino lib. 12. Lect ant. c. 69.* Mutata verò mensura rerum omnium, omnia quoq; reliqua mutari necesse est.

76. Verum equidem est illud tritum dicterium,

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.

Ast occultè repens & glisCens, aulasq; magnatum inficiens, imò omnes angulos perreptans Tyrannis seu potius pestis ac lues monetaria plus damni nostræ Germaniæ intulit, quam tota moles bellica.

77. Meritò igitur quivis bonus Princeps suo in territorio constituere deberet monetæ censores, quemadmodum

dum de Romanis legimus, quod triumviros monetales constituerint, ijsq; rei monetariæ curam demandarint.

78. Marcus Gratidianus cum nummarias leges à multis negligi, à multis ignorari, à plerisq; jura tantum, vel etiam sublimiores scientias proponi cerneret, ipse Scholam monetariam aperuit, veram nummi substantiam publicitùs juvenibus proposuit, eoq; populum Romanum in tantum demeruit, ut is ei statuam in omnibus civitatis vicis erigi & ad eandem thus & cereos accendi jusserit. *Plin. & Cic. lib. 3. off. Bodin. lib. 6. de Rep. c. 3.*

79. Huic quoq; rei manum admodum salutarem adhibuerunt Carolus V. Imperator & Ferdinandus Rex Romanorum, & constitutione Imperiali promulgata veram nummi essentiam, quoad materiam & formam dilucidè proposuerunt. *Vid. Recess. Imp. de anno 1551. & 1559.* quæ ipsa forma in comitijs sequentibus tam universalibus quam particularibus circulorum comprobata est & imprimis Anno 1568. in circulo inferioris Saxoniæ.

80. Ab hoc tempore malum falsæ monetæ ultra 50. annos latuit, nisi quod uno saltem solido Thalerus excreverit. Verum postquam Aquila Imperij à proprijs suis membris affligi & deplumari cepit, idem malum simul recruduit, & cum alijs pœnis publicis totam Germaniam invasit, eoq; periculosius effectum, quò Porentiores Patronos & fautores nactum est, aurigantibus ipsi Avaritia & Impudentia, quarum illa quò plus capit, tantò magis cupit & captat, hæc torrentis instar, rupto repagulo legum, liberè grassatur.

81. Essentia ipsius monetæ est justus valor, qui consistit in materia & forma nummi proportionabili. Ut enim anima rationalis, forma licet hominis sit, hominem tamen, nisi in corpore habili, non perficit, ita ut nummus existat,

non sufficit forma aliqua externa nummum esse signatum, sed habili & proportionabili materiæ valorem impositum esse oportet.

82. Materia nummi est massa metallica auri, argenti, æris, licet non semper pura: nam ob commodiorem durabilioremq; usum & sumptuum monetalium pensationem certam mixturam admittit, *Molin. quæst. 100. num. 777.* non quidem pro Principum Collybistarum & Caponum monetariorum fraudibus, sed legibus Imperij publicis definitam, Germanis Des Reichs Korn / das Gehalt / liga, payement. De nummi *forma* velim consulas *Dd.* rem monetariam ex professo tractantes, *& imprimis Virum Amplis. & Consultiss. Dn. D. Thomam Lindemannum Præceptorem meum venerandum, in dissert. publ. de vera nummi essentia.*

83. Falsarios & adulteratores monetæ quod attinet, illi ut & hi, qui descalpendo, rodendo vel alio quovis modo numisma publicè signatum violant, gravissimis pœnis sunt coercendi. Jure civili *l. 2. C. de falsa. monet. & jure novissimo*, In der Peinlichen Halßgerichts Ordnung / *art. 120.* falsam monetam cudentes criminis læsæ majestatis fiunt rei, ideoq; ignis supplicio addicuntur, bonis omnibus confiscatis. Sueci adulterinam monetam colliquarunt, & in falsarios vivos immiserunt *Olaus lib. 6. c. 13.*

84. Insuper ad munus Magistratus Politicum spectat procuratio mediorum ad civilis vitæ commoditates necessariorum: ubi præ omnibus commendatam sibi habebit curam commerciorum, quam rectè adhibebit, si modo Res, Personas, locum & tempus attenderit de quibus singulis. *Vid. Reinhard. Konig. in theatro Polit. part. 2. c. 9. num. 104. & seqq.* Plura de officio Politico non trado, quia in disputat, omnibus de hoc quid occurrit.

DE

85. Tandem etiam pervenio ad officium Magistratus Oeconomicum. In quo docebo, quemadmodum bonus paterfamilias, omnia ea summa diligentia procurat quæ pertinent ad suorum domesticorum salutem, ita quoq; Magistratum, tanquam publicum Oeconomum decere ea procurare quæ ad subditorum suorum utilitatem & sustentationem spectare videntur.

86. Quo in officio primùm occurrit subditorum Nativitas: cujus intuitu pio Magistratui summa incumbit cura, cives ut habeat legitimo in matrimonio viventes, ne spurijs repleatur Respubl. ubi & hoc magistratui incumbit, ut obstetricum habeatur ratio & delectus *Keckerm. fol. 176.* Sic Pharao Rex Ægyptiacus, in officium & operas obstetricum singulariter advertit. *Exod. 1. vers. 15. & seqq.*

87. Civibus ita legitimè natis, altera cura Magistratus erit, prospicere ijs de sustentatione. Quamvis enim quilibet in sudore vultus sui pane vesci debeat, tamen multùm juvabunt bona media ad adquisitionem faciliorem ducentia.

88. Horum autem mediorum non est ultimum, publica constituere granaria, in quæ tempore ubertatis frumentorum reponatur copia, ibi ut necessitatis usui reservetur & difficilimis temporibus subditis succurratur: quo officio Magistratus gratissimum se reddet. *Plutarch. de Rep. opt. administr.* eoq; facilius subditos coercebit. Juxta illud Lucani, *Nescit plebs jejuna timere.*

89. De Josepho invenies *Gen. 21. v. 47. & 48* quod frugum abundantiam in singulis urbibus condiderit. Sic Roboamus filius Salomonis in omnibus civitatibus munitis sui regni horrea ciborum habuit, *2. Paralip. 11. v. 11.* Sic

Ezechias jussit parare horrea in domo Domini, quò primitiarum reliquiæ in futuram necessitatem reconderentur. *2. Paralip. 31. v. 11. & 12.*

90. Hunc in sensum Impp. Valentinus & Valens Authemio præsidi *in l. 2. C. de conditis in pub. horr.* ita rescribunt. Cum ad quamlibet urbem mansionem vè accesseris, protinus horrea inspicere te volumus: nam si per incuriam officij gravitatis tuæ, sartorum tectorum neglecta procuratione, aliqua pluvijs infecta perierint: ad damnum tuum referentur.

91. Quò verò annonæ caritas præcaveatur omnis ejus præcidenda est ansa, quod fiet si non permittantur monopolia, quibus pretium frumenti atq; alimentorum augescat, siq; severissima constituatur pœna in annonæ flagellatores, qui faciunt ut annona gravior & carior fiat ad privatam utilitatem. *l. 2. ff. ad L. Jul. de annon.*

92. Cæterum non tantum subditorum prospera adhuc valetudine utentium cura ad Magistratum pertinet, sed & valetudinariorum, imprimis miserabilium personarum, quæ nihil acquirere, neq; sibi superesse queunt.

93. Hinc laudabili consilio benè in constitutis Rebuspubl. fundata sunt Ptochotrophia, in quibus aluntur mendici & pauperes. *l. illud 16. l. sancimus 18. C. de SS. Eccles.* Orphanotrophia, ubi educantur alumni minores, parentibus atq; substantijs destituti. *l. Orphanotrophos C. de Episcop. & Cleric. l. omnia privilegia. C. de SS. Eccles.* Hoc nomine Bodin. *lib. 3. de Repub. cap. 8. n. 361.* commendat Parisienses, qui sanos & ægrotos humaniter alunt & curant: parentibus ac bonis orbatos pueros ac puellas partim literis, partim mechanicis artibus quatuor distinctis collegijs studiosissimè erudiunt. Sic meritò laudanda hodiè civitas Hamburgensis,

genſis, noſtraq; Roſtochienſis, illa quæ jam longè ædificia, talia habuit, noſtra quæ modò in ædificandis laborat.

94. Ne autem ἀπαξία quædam contra legem & voluntatem Dei præcipientis, ut homines qui modò poſſint in ſudore vultus ſui panem quærant. *Gen. 3. v. 19. & ap. Jobum c. 5. v. 7. ibi.* Quod homo ad laborem naſcatur, ſicut avis ad volandum, videbit Magiſtratus pius, ne ſub ſpecie miſerabilium mendicos alat validos. *Schonb. lib. 3. cap. 15.* Nam Deus ipſe per Moyſen edixit, ne mendicus in populo Iſraelitico reperiatur *Deut. 5. v. 4.* Et Lex Platonis fuit: Nemo in noſtra civitate mendicus eſto: ſi quis tentaverit & miſerabilibus precibus ſtipem victumq; collegerit, eum præfecti è foro, ædiles tota urbe, agrorum præfecti tota regione exterminent. *lib. 11. de legib. & l. 8.* quippe ſicut fucus apum, & pituita hominis eſt morbus, ita mendicus peſtis eſt Reipubl. ut ubi multi conſpiciuntur mendici, ibi etiam inveniantur fures, latibula quæritantes, erumeniſecæ, ſacriligi & hujuſmodi ſcelerum artifices.

95. Similis ferè eſt Conſtitutio Impp. Gratiani, Valentiniani & Theodoſij *in l. unic. C. de mendic. valid.* Itemq; Caroli Magni ita præcipientis: Mendici per regiones vagari non permittuntor: ſuos pauperes quæq; civitas alito; illis niſi manibus operentur, nullum quicquam dato.

96. Huc etiam pertinet utiliſſima in noviſſimis Imperij conſtitutionibus promulgata lex à Carolo V. Imperatore in Comitijs Auguſtanis de Anno 1548. quæ poſtea à Rudolpho II. Imper. repetita, Policey Ordnung zu Franckfurt *de anno 1577. ſub tit.* Von Betlern vnd Müſſiggängern & ita habet: Wir wollen auch das ein jede Obrigkeit der Betler vnd anderer Müſſiggänger halber ein ernſtlich einſehen thue / damit niemandts zu Betlen geſtattet werde / der nicht mit ſchwacheit oder gebrechen ſeines Leibs beladen / vnd deſſen

nicht notturfftig sey / Item das auch der Betler Kinder/ so sie jhr Brodt zu verdienen geschickt sein / von jhnen genommen/ vnd zu den Handwercken/ oder sonsten zu diensten geweiset werden/ damit sie nicht für vnd für dem Betlen anhangen. Item das auch die Obrigkeit versicherung thun / das ein jede Stadt vnd Commun. jhre Armen selbst ernehre vnd vnterhalte/ vnd den frembden nicht gestatte an einem jeglichen Orte im Reich zu Betlen/ vnd so darüber solche starcke Betler befunden / sollen dieselben vermöge der Rechten / der sonsten gebürlich gestraffet werden / andern zum Abschew vnd Exempel es were dann sache/ das ein jede Stadt oder Ampt also mit vielen Armen beladen / das sie der Ort nicht mochten ernehrt werden/ so sol die Obrigkeit mit einem Briefflichen schein vnd vrkund/ in einander Ampt zu befoddern macht haben.

97. Amasis Ægyptiorum Rex legem tulisse fertur, ut singuli quotannis apud Nomarchen, hoc est cujusq; præfecturæ præsidem profiterentur unde viverent: Qui autem hoc non faceret, aut genus vitæ præsidi approbare non posset, huic pœna extremum supplicium esset, *Herod. in Euterp. Schonborn. lib. 3. Pol. cap. 14.*

98. Ast nimis severus hic procedendi est modus, quippè magis ad extirpationem quam emendationem ociosorum tendit. Magis accommodata & humanior est quarundam Rerumpublicarum moderna correctio in Belgio alijsq; civitatibus recepta, ubi constitutæ sunt domus disciplinares vulgò Zuchthäuser / in quas ociosi, culpatæ conversationis & desperatæ pene emendationis homines, cujusvis ætatis & sexus detruduntur, & ad labores cujusq; ingenio, ætati & viribus convenientes arctantur, ita ut si debitum laboris pensum præfixo tempore non perficiant, non solum cibariorum tenuitate, verum etiam fustibus, virgis & corporis cruciatu ad id compellantur.

99. Et

99. Et hac disciplina consulitur Reipublicæ, auctoritati parentum, honestati familiarum & ipsis ociosis & malitiosis, qui hoc modo ad saniorem frugem disciplina & labore reducuntur, & ne se ipsos & alios in vitæ & existimationis periculum conjiciant, & extremæ calamitatis barathrum præcipitent. Hujus quoq; rei antiquissima extant vestigia in sacris literis. *Job. 36. v. 8. 9. 10. 11. 12.*

100. Tali coercendi ociosos & mendicos validos regimine laudatur meritò Amsterodamum Nobile Belgiæ emporium, ad cujus imitationem Bremensis civitas magnis sumptibus ejusmodi domum ad salutarem Reipubl. disciplinam erexit, cujus beneficio multa præcocia ingenia terrentur & emendantur. Extare ibidem columnam tradunt in media area, quæ ab omnibus conspici potest, in qua depictæ sunt senticæ, Virgæ, fustes, Ursi & Leones hoc addito emblemate: Kan man doch Lewen vnd Bähren zähmen / solte man dann die muthwilligen Buben auch nicht zwingen.

101. Ociosis non absimiles sunt illi æqualiq; pœna digni, qui sub prætextu militiæ rusticos exsugunt & ab ijs stipendium vel victum colligunt sæpè etiam invitis extorquent, vulgò Gardende Knechte / de quibus extat Constitutio Imper. R. A. zu Augspurg *de anno 1555. §.* Damit angeregte Vergarderung / Versamblung / Auffwigelung / vnd zusammen lauffen etc. quæ etiam constitutio repetitur, in der Policey Ordnung zu Franckfurt *de anno 1577. sub tit. 7.* Von dem Herrnlosen vnd Garden Knechten.

102. Hac quoq; classe continetur pessima illa hominum colluvies quæ in Germania vagatur, qui Cingari vulgò Zigeuner vocantur. de quorum ortu & vitæ genere disserit *Camerar. cent. 1. cap. 17.* quod non sint oriundi ex Ægypto & Æthyopia, ut quidam volunt, nec etiam ex Assyria & Persia: sed sunt inquit nihil aliud, quam manipulus furum

sum & colluvies ociosorum & fraudulentorum hominum, ex varijs nationibus, non ita remotis, sed vicinis collecta, qui extra civitates in agris, in trivijs, tentoria erigentes, latrocinis furtis, deceptionibus, & chyromantica divinatione, vivunt: *Schonb. 3. Pol. c. 16.* Sic in horum numero fuisse quosdam ex Holsatia novi, ipsaq; mea patria civitate Susatense.

103. Qua ratione moti pij Impp. constituerunt, cum sint exploratores & proditores, qui Germanorum consilia & negocia Turcis alijsq; hostibus prodant, nulla in imperio ut securitate gaudeant, sed impunè à quovis offendi queant. *d. ordin. Polit. Francof. de an. 1576. sub tit. 28.* Von den Ziegeunern.

104. Et hactenus quoq; de Magistratus cura circa subditorum suorum vitam dixisse sufficiat, nunc Colophonem disputationi præsenti imponat diligentia ejusdem circa mortem & sepulturā, cujus jus religiosum. *§. 9. l. de rer. divis.*

105. Absolvi autem hæc cura commodissimè quatuor potest capitibus: quorū 1. An etiam mortui sint sepelienda. 2. Quo apparatu. 3. Quibus solennitatibus & 4. quo loco.

106. Ad primum membrum quod attinet, corpora humana honorificè sunt sepelienda, idq; propter tres causas, quarum prima Dei mandatum: Terra es & in terram redibis *Gen. 3. v. 19.* 2. Nostra erga defunctos dilectio. 3. Nostra resuscitatio. Hinc est quod privatio sepulturæ pœnis annumeretur *Esa. 14. v. 19.*

107. Apparatus ut & solennitates erunt moderatæ, moderati sumptus & expensæ sepulchrales, *Ulpianus in l. 14. §. 5. ff. de relig. & sumpt. fun.*

108. De loco sepulturæ variè disputatur, mihi illi placent, qui eum extra urbem constituendum asserunt, Juxta legem tam divinam *Gen. 25. v. 19. cap. 35. v. 19. c. 49. v. 30. 31. Luc. 7. v. 12.* quam humanam *l. 3. §. 5 ff de sepulch. viol. & l. 12. C. de relig. & sumpt. fun.* Disp. V.

Disputationum
JURIDICO-POLITICARUM
QUINTA

DE SUBDITIS IN GENERE AC IN SPECIE.

DE NOBILIBUS, EORUMQUE IMMUNITATIBUS.

RESPONDENTE
JODOCO Ophoff Unnense
Westf.

THESIS I.

TRaditum est in præcedentibus, benè constitutæ Reipubl. duas esse partes, una jam absoluta, quæ fuit de Magistratu, recto ordine sequitur altera agens de Subditis.

2. Dicitur Subditus ille, qui domicilium in alicujus territorio constituit; & insuper domino territorij juramentum fidelitatis præstitit. *Frider. lib. 2. c. 46. n. 4. Pruckman. consil. 27. n. 63. & seq. add. l. 3. & seqq. ff. ad municip. c. licet ratione, de for. compet. Gædd. ad l. 203. num. 2. ff. de V. S.* siquidem ea vis & potestas domicilij est, ut subditum foro ac legibus istius loci obliget, & privilegiorum immunitatumq; pro diversitate tamen personarum, participem faciat.

3. Dixi *domicilium* quo innuere volui, subditum non propriè esse illum, qui bona in aliquo loco, sive sint feudalia sive allodialia possidet. Unde licet quis alicujus sit Vasallus, non tamen subditus statim est, plus namq; juris dominus obtinet in subdito quam Vasallo. Hic duntaxat feudi sive rei respectu recognoscit dominum: ille verò respectu personæ subjectionis jus sustinet. Tum etiam Vasallus certis tantum servitiorum alligarus est oneribus, hic minimè *Natt. consil. 313. n. 4. & cons. 445. n. 9. lib. 2.* Unde & laxior est potestas principum dominorum in collectandis subditis quam Vasallis. *Petr. Heigius part. 1. quæst. 18. num. 6.*

4. Dispesci subditi possunt in duas classes, ita ut quidam *propriè* loquendo sint tales, scil. illi qui origine fiunt subditi & patre subdito nascuntur, quemadmodum & cives proprie dicuntur, qui patre cive nati sunt. *l. 1. in pr. & l. fin. §. 3. ff. ad municip. Althus. lib. 1. J. R. cap. 9. & c. 5. Polit. n. 19. Schonborn. lib. 3. Polit. c. 34.* Quidam *modo quodam, de quib. Schonborn. d. l. & supr. disp. nostr. 2.*

5. Et cum nobiles sive sint nati sive subditi facti inter omnes subditos locum eminentiorem obtineant. *Besold. lib. 1. Pol. c. 11. §. 5. Matth. Stephan. de jurisd. lib. 2. part. 1. c. 7. membr. 2. num. 5.* ego etiam de his tanquam eminentioribus initium faciam, hacq; præsenti disputatione jurasorum qua poterit fieri facilitate ac breuitate exponam, de reliquis in sequentibus acturus.

6. Vocabuli hujus origo admodum controversa est. Quibusdam enim *Nobilis* dicitur quasi *non bilis*, cujus illam dant rationem, cum humilitas soror sit Nobilitatis, nobilis etiam mansuetus & humanus quam ad elationem pronus esse debet. *Bart. Chassan. in Catal. glor. mund. part. 8. consid. 32. Felix Malleolus in Dial. de Nobil. & rust. c. 7.* Alij prorsus contrarium sentientes, putant dici quasi *Nobis lis*, tan-

tanquam superbia & fastus nobilitatis sit pedissequa. *Livius 1. dec. ad. lib. 9. in fin.* Alijs est quasi *Non vilis*, *Gregor. Tholozan. in syntagm. Wechner. in disc. de Nobil. c. 1. Paris de Put. tr. de re mil. lib. 7. quæst. 1. num. 24.* eò quod Viles & Nobiles *in auth. præsides C. de Episc. aud. & l. ingenuæ 3. C. de murileg.* sibi opponantur. Viles autem & Ignobiles *in Nov. 90. c. 1.* conjungantur.

7. Mihi non inepta videtur eorum notatio, qui à noscendo derivari autumant, quasi Noscibilis: & Nobilitatem tanquam noscibilitatem, præcæteris notam esse, claram, illustrem, apertam, spectabilem conspicuam, atq; hominum sermone celebratam. *Andr. Tiraq. de Nobil. c. 2. n. 3. Tholoz. lib. 4. de republ. c. 2. num. 8. Chass. in catalog. glor. mund. pag. 8. consid. 2. Sonsbec. de feud. part. 7. num. 20. Bocer. tr. de qual. & natur. feud. c. 3. n. 15.* Hæcq; notatio non tantum grammaticæ sed & logicæ potissimùm notationi convenit, quippe ipsorum virtus maximè nota esse debet. *Senec. lib. 3. de benef. cap. 28.*

8. Notandum interim diligenter, vocabulum nobile quasi noscibile in sinistrum flecti etiam sensum posse: Sic enim Poppea, quæ omnem pudorem ejuraverat nobilis dicta fuit. *Tacit. lib. 13.* & Quintilla quæ nunquam virginem se noverat. *Gregor. Rollenhag. in certam. masculin. femin. cap. 19. num. 25.* Chion, quæ mille procis placuit bis septem nubilis annis, apud *Ovid. lib. 11. Metamorph. fab. 9.* nobile scortum vocatur. Sic Romani in Cannensi clade cæsi, Nobiles Cannæ salutantur, *de quib. Livius lib. 22. histor. c. 47. & seqq. Polyb. lib. 5. c. 18. lib. 33. c. 1.*

9. Germanis nobilis est ein Edelman/ à Germanico Adel. Unde autem Adel descendat, non una Criticorum opinio est. Sunt qui à Græco ἀέθλιος, quod benè meritum seu præmio affectum denotat, derivent *Christoph.*

Besold. lib. 1. Polit. c. 11. §. 6. num. 38. Alij è latino Ædili deducunt. *vid. Joh. Geiler. in navi stultifera sub turba 76.* Alij demum à germanico Adler dictum putant, eò quod ut Aquila altiùs volatu penetrando omnes aves longè post se intervallo relinquit: Ita & Nobiles virtutum gloria cæteros hominum ordines longè antecellant, quæ notatio præcedentibus etiam videtur convenientior. Dicitur & Germanis ein Juncker/ quasi Junckherr/ h. e. ætate ac robore juvenili pollens heros. Saxonibus vocatur Schufft/ quæ vocula per se ignominiosa non est, sed in lingua Hebraica judicem denotat.

10. Nobilium nomen dupliciter considerari potest laxè & strictè; *Laxè* considerato tribuitur omnibus qui in suo genere excellunt, atq; hac ratione eo nomine salutantur omnium ordinum Principes, rerumq; Potentes: sic Duces, Marchiones, Comites, licet hodiè majoris dignitatis titulo vocentur, attamen appellatione nobilium comprehenduntur. *Thob. Paumeist. lib. 2. de jurisd. c. 11. n. 12. Schrad. de feud. part. 10. sect. 7. n. 59. Chassan. in Catalog. glor. mund. p. 8. consid. 46. Tiraquell. cap. 2. de Nobil. Henning. & Arnisæ. lib. 1. doctr. Polit. cap. 12. pag. 312.* Hinc Innocentius III. vocat Marchionem Misnensem Virum Nobilem *c. constitutus de test. & attest.* & Innocentius IV. Comitem Bononiensem Nobilis nomine citat. *c. grandi in pr. de suppl. neglig. prælat. in 6.*

11. Strictè seu specificè vocabulo sumpto, hodiè dicuntur Nobiles illi, quorum familiæ natalium splendor, generis claritudo & dignitas stemmatum, imaginum & gentilitatis, certaq; privilegia, quibus fruuntur, à principe, lege vel consuetudine ob virtutes Reipublicæ & vitæ communi salutares & commodas, scientiam vel res præclarè gestas, præ cæteris civibus collata sunt. Dixi *hodiè* quia illa significatio

catio superior *lata* nimirum hodiè ferè in usu esse desijt. Sic cum Anno 1561. conventus Principum August. Confess. Naoburgi ad ripam Salæ celebraretur: Pontificum Legati singulis Principibus exhibuerunt Brevia seu literas Pontificis, cum hac inscriptione: Dilecto filio, Nobili viro N. Duci N. quæ omnes non resignatæ in hospitium Pontificiorum remissæ sunt: *Chytræ. in Saxon. lib. 20. fol. 525.* nec immeritò. Ut enim in veteri Rom. Republ. quatuor fuêre ordines dignitatum: Maximi, ut superillustres: Magni, ut Illustres: Medij, ut spectabiles: Minimi ut Clarissimi *l. 2. & tot. tit. C. ut dign. ord. serv. & tot. tit. de dignitat. l. 12. & 14. de munerib. Nov. 23. c. 1. 2. 3. 4.* Ita sublatis Antiquitatis titulis & juribus illis, novisq; ordinibus institutis, qui vocantur, Stände des Reichs/ hodiè specialibus titulis & nominibus Serenissimi, Illustrissimi, Illustres, Generosi, à Nobilibus sic in specie dictis discernuntur, quem ordinem interturbare, sacrilegi instar haberi, rescribitur *in l. 1. d. t. C. ut dign. ord. serv.*

12. Conferre Nobilitatem solus potest Princeps jure Majestatis jus nobilitandi exercens. Qualis *propriè* loquendo in Augustissimo nostro Imperio Romano est Imperator. *l. 3. §. 2. C. ubi Senat. vel Clariss. l. 3. C. de consulib. l. 2. & l. fin. ff. de nat. restit. Vultej. de feud. cap. 8. n. 9. & seq. Schneid. de feud. part. 3. n. 53.* quid per vocabulum *propriè* intelligam, enudabo Deo volente *infr. in diss. de Jure Majest.*

13. 2. Nobilitatem conferunt Reges, neminem præter Deum, sive de jure sive de facto superiorem recognoscentes. Hi enim in suo regno & Rebuspub. ad similitudinem Imperatoris, supremæ potestatis & Majestatis jura sibi vendicant. *Bart. in l. hostes ff. de capt. & postlim. reversi. Zas. de feud. part. 5. num. 4. Rosenth. de feud. cap. 5. conclus. 10. Vultej. de feud. lib. 1. c. 1. n. 7. Sixtin. 1. de Regal. c. 4. n. 15.*

& *seq.* Unde regem Hispaniæ in suo regno dici Imperatorem, scribit *Boer. decis. 178. n. 9.* Imo ratione hereditariæ successionis plus juris habere tradit. *Schrad. d. l. num. 48. Sixtin. d. l. num 17.*

14. 3. ArchiDuces Austriæ, qui non solum Nobiles sed etiam Comites, Barones creare, ijsq; insignia dare possunt. *Sixtin. de Regalib. lib. 1. c. 4. n. 34. 64. & c. 5. n. 127. Joach. Cluten. in syllog. rer. quotid. concluſ. 25. in fin.* Doch das sie voran gebürlich Gelübt vnd Eydt darumb von jhnen / an des Käysers vnd des Reichsstat nehmen / als dann solch Eydt vnd Gelübt von deroselben Ehren vnd Würdigkeit wegen zu thun gebüret. Ut refert *Sebast. Munster. lib. 3. Cosmogra. c. 406.* De Comitibus Palatinis κατ' ἐξοχήν ita dictis videatur. *Sixtin. de Regalib. c. 4. n. 104. Matth. Stephan. de jurisdict. lib. 2. part. 1. cap. 7. membr. 2. num. 18.* ubi dicit, nobilitare quidem eos posse, sed tamen eo casu omnem collationem & dignitatem solius Imperatoris esse, quia ipse fecisse videtur id, quod per alium facit, *c. quod quis de R. J. in 6.*

15. De Electoribus, Ducibus, Marchionibus, alijsq; Romano-Germanici imperij Principibus, num Nobilitare queant; non adeò expeditum est? Dubitare quis posset, quia constat quemlibet Principem, Comitem, Baronem &c. posse in suo territorio quod potest Imperator in universo. *Knichen. de jure territ. c. 1. n. 413. Gail. 1. obs. 21. n. 2. in fin. 2. observ. 57. n. 7. & de P. P. c. 6. n. 10. Coler. de process. exec. p. 1. c. 2. n. 8.* Ast notandum diligenter, Theoricam illam esse veram salvis omnibus ijs quæ Imperator in præeminentiam sibi reservavit. *Reinking. in regim. lib. 1. class. 5. cap. 6. n. 73.* Quorum hoc non ultimum. *Reinking. d. l. n. 120.*

16. Quicunq; ergò nobilitatem sibi asscribit, ille videat collatam ab eo ut habeat, potestas conferendi cui fuit, Nam qui sua authoritate Nobilitatem assumit, & Nobilem

bilem se vocat, incidit in crimen falsi. *l. eos 27. §. qui se pro milite. ff. ad L. Corn. de fals. Matth. Steph. de jurisdict. lib. 2. part. 1. cap. 7. membr. 2. num. 17.*

17. Et quod dixi conferri Nobilitatem, id intelligendum est de Nobilitate Politica & Civili. *Tiraquell. de Nobil. cap. 6. num. 25. vers. tantam habet.* Nobilitatem enim eam, quæ ex sanguine, vel ex virtute provenit Imperator aut quivis alius dare non potest. Atq; huc spectat, quod Imperator Sigismundus dixit, se eum qui plebejus est, posse quidem facere divitem, sed non nobilem.

18. Nobilitat autem princeps dupliciter, expressè vel tacitè. *Expresse* quando alicui expressis verbis vel scriptis nobilitatem cum insignibus confert, quod fit, Wann einem von wegen seiner dapfferen thaten ein Wapenbrieff mitgetheilet wird. *arg. l. 3. §. viros C. ubi senat. vel clariss.* Taliterq; nobilitati ipsa Nobiles fiunt, nec possunt dici indigni. Principi enim attestanti se ob benemerita beneficium concessisse, creditur, idq; adeò verum est, ut qui de hoc disputet, an dignus sit, quem Princeps elegit, committat crimen sacrilegij *l. disputare C. de crim. sacrileg.* Quibus enim præstanda fides, si non ijs in quibus fides clariori lumine effulget? *l. 8. C. de summ. Trinit.*

19. Ad hanc classem pertinent & ij, Welche von wegen jhrer Tugenden zum Ritter geschlagen werden. *arg. l. 2. C. de primicer. l. fin. C. de comit. rei milit. l. unic. C. de Equestr. dign. Boer. class. 5. disp. 14. th. 18. Ant. Godfr. disp. feud. 2. th. 4. in fin. Matth. Steph. de jurisd. c. 7. membr. 2. num. 65.* Qui mos creandi Equites à priscis temporibus recessit. Olim erat præmium fortitudinis *Carsias de Nobil. gl. 1. §. 1. n. 5. & seqq.* At hodiè Equites sunt etiam illi quibus vix gladius unquam vagina vacuus visus. *Schled. lib. 2. com. circ. fin. Boer. de bello lib. 1. c. 11. num. 9.*

20. Sic

20. Sic ex lege sive scripto confertur nobilitas mulieri plebejæ, quæ viro nobili nubit, *per text. in l. fœmina. ff. de Senat. l. cum te & l. ult. C. de nupt. l. mulieres C. de dignitatibus l. ult. C. de incolis.* Uxor enim coruscat radijs mariti, *Nov. 105. c. 2. in pr.* uxorq; & maritus duo connexa censentur. *c. nec illud q. 5. c. admonere 33. q. 2. l. pen. ff. de rit. nupt.* Unde & viri sui nobilis privilegijs gaudet. *d. Nov. 105. l. 2. C. de Episc. & Cler. l. ult. C. de injur. l. medicos. l. ult. C. de profess. & med.* etiam mortuo marito, usq; dum in viduitate permanet. *l. filij §. vidua, ff. ad municip. l. fœminæ. ff. de Senatorib. l. cum te C. de nupt. c. is qui §. mulier de sepult. in 6.* Durante enim viduitate, dicitur viva imago viri mortui, & quasi in eodem matrimonio cum marito adhuc perseverare. *l. fin. ubi Bart. & Salicet. C. de bon. matern. l. fin. C. de V. S. l. de emancipatis ff. de legitimis heredibus.* Excipe tamen, si talia essent privilegia, quæ maritis ad vitam usq; fuissent concessa, *l. Archiatros C. de metallar.* Vel ratione officij non dignitatis ad maritos pertinuissent, Multum enim refert an quid competat ratione dignitatis an officij, cum dignitas alijs facilius communicari possit quam officium. *l. filium ff. de senat.* Et mulieres fulgent quidem maritorum suorum dignitate; at eorum officio non funguntur, *l. ult. C. de incolis, l. mulieres 13. C. de dignitat.*

21. Quod autem de conjuge dicitur, illud etiam extendi potest ad *Sponsam Curt. de Nobil. pag. 3. num. 188.* Quemadmodum enim confestim cingendus habetur pro cincto. *l. filiusfam. 43. ff. de testam. milit.* Manumittendus pro manumisso *l. Herennius 22. ff. de statu hom. l. si quis 53. ff. de fideicom. l. cum vero 6. §. 1. ff. eod. l. 3. in fin. C. eod.* absolvendus pro absoluto, condemnandus pro condemnato *l. qui pœnæ 8. §. 2. ff. de manum. Lup. in rubr. de don. int. vir. & ux. §. 38, num. 12. & per tot.*

ferè

ferè Menochium consil. 108. n. 17. investiendus pro investito *Schrader. de feud. p. 10. sect. 1. num. 4. tom. 2. Knich. de jur. territ. c. 6 num. 148.* liquidandum pro liquido *l. fin. C. de compensat. Trentac. var. resol. lib. 2. resol. 3. de except. n. 4.* Complendum pro completo. *l. non tantum 17. ff. de excus. tut. l. à quas. ff. qui testam. fac. poss.* Ita producta & copulata carnaliter habetur quæ de proximo est copulanda. *Salycet. in l. cum inte 6. num. 7. in fin. C. de donat. ant. nupt. Paul. Cypr. de jur. connub. c. 3. §. 4.*

22. *Tacitè* Nobilitas confertur quando Imperator vel alter quispiam nobilitandi potestatem habens, sine expressa nobilitatione, sive sine expressa creatione, aliquem nobilem reddit, per necessariam quandam consequentiam: quod ipsum pluribus modis contingere potest: Et 1. quidem si princeps lateri suo adhærere quem sinit. *l. 1. C. de præpos. lab. l. 2. C. de domest. l. ult. C. de excus. tut.* 2. Si princeps aliquem tanquam Cancellarium & Consiliarium sui Palatij assumit. *l. fœminæ 8. ff. de Senat. l. omnium in pr. C. de testam. l. 2. in pr. C. de legib. l. judices 12. C. de dignitat. l. honores 7. §. à qui ff. de Decur. Sixtin. de regalib. cap. 15. n. 22. lib. 2.*

23. De illo dubitatur, si Princeps aliquem de feudo Nobili investiat, num statim fieri nobilis censeatur? Mihi, si quis dicat, feuda per se & simpliciter nobilitare, à verò videtur alienum. Siquidem Nobilitas non rebus sed personis cohæret. Et non à rebus sed à concedentis arbitrio dependet. Itaq; puto, ita demùm quempiam ex concessione feudi nobilem dici posse, si feudum est nobile & conceditur ab eo qui nobilitandi potestatem habet: qui in dubio quoq; voluntatem conferendæ nobilitatis habuisse, & verè quoq, investitum nobilem facere voluisse existimatur. *Gail. in tr. de Arrest. cap. 6. num. 9. Mascard. de probat. conclus. 1094. n. 5.*

vol. 2. Rosenthal. de feud. cap. 2 q. 2. in fin. & cap. 9. quæst. 55. n. 4. & 5. Wesenbec. consil. 135. num. 70. Valtej. lib. 1. de feud. cap. 18. n. 10. Tiraq. cap. 7. n. 14. & seq.

24. De Doctoribus & Licentiatis (qui in actibus maximè favorabilibus etiam pro Doctoribus habentur *Ruland. de commiss. lib. 1. part. 1. c. 14. n. 11*) res est planissima. Ad quid enim JCti vocantur Nobiles? *in l. 2. §. fin. ff. de excus. tut.* Nobilissimi? *in l. diximus 4. §. 1. in fin. ff. eod. l. providendum 7. C. de postul.* Egregij & Illustres? *l. 2. §. fin. ff. qui pet. tut. l. 2. §. 9. C. de vet. jur. enucl.* forsàn quia Doctoratus nobilis & egregia est dignitas. Et per consequens Doctor egregia & nobilis personæ.

25. Et si ex effectu loqui debeo, ijsdem Doctores cum Nobilibus gaudent privilegijs. Insignia enim portant Nobilium; Wapffen mit offenem Helm/ Imò vestes & aureas catenas gestant unà cum Nobilibus in genere, Policey Ordnung *de anno 1577. t. 11. §. 1. & tit. seq.* P. O. *de anno 1530. §.* Vnd so einer, *add. Georg. Becht. de salv. conduct. class. 3. n. 226.* De differentia inter Dd. Bullatos & eos qui in Academijs promoti sunt *diss. seq.* in specie quædam proponam.

26. Atq; hûc usq; dixisse sufficiat, quomodo fiant nobiles. Nunc dicendum erit quomodo nascantur. Sciendum ergo nasci nobiles, qui ex parentibus Nobilibus veluti ex traduce legitimè acquisitæ nobilitatis descendunt. *l. 1. C. de dignitat.* Hæcq; Nobilitas dicitur generis & Nativitatis, cui ut plurimum tribuere solent Germani, adeo ut is imprimis nobilis censeatur & dicatur, qui ex nobilibus parentibus nascitur, magis tamen si claris natalibus literarum studia conjungantur. Quo ipso elegans illa deciditur controversia quæ est de Doctore & Nobili, uter præferendus? Et decidi-tur, si quando nobilis etiam virtute sit præditus meritò ille præ-

præferri debeat, cum jam duplici dignitate sit cohonestatus, juxta illud Taubmanni in Epigrammate:

Is meruit veræ sibi Nobilitatis honorem,
Quem genus & genij nobilitavit honor.

Sic Comes & Baro, præfertur illi, qui Comes tantum. Sunt enim duo vincula fortiora uno. Aliàs si genere à majorum virtute deficiat, meritò audiet illud.

Jactat otia parta negotijs paternis,
Ac ignavus Nobilitate gloriatur.

27. Parens autem uterq; vel saltem ut pater nobilis sit necessè est. Nam & à solo patre deducitur nobilitas. Hoc est quod Aluarottus dixit, liberos accipere formam à patre, à matre verò naturam. Nobilitas verò non ex natura sed ex jure civili dependet. *Matth. Stephan. de jurisd. lib. 2. part. 1. cap. 7. membr. 2. num. 13. & seqq.* Nam cum Adam primus nasceretur & reliqui subsequerentur, nemo præ alijs in dignitate constitutus videbatur. Unde vulgatum proverbium:

Da Adam radt vnd Eva span/
Wer war damahls ein Edelman.

28. Hinc est quod in incunda ratione Nobilitatis, nulla habeatur ratio matris sed patris. Et quotidiana experientia comprobat, qua videmus, natos ex patre ignobili matre verò nobili, ignobiles esse. E contrario verò natos ex matre ignobili & patre nobili, nobiles esse. *Alciatus in l. pronunciatio 195. ff. de V. S.*

29. Sed mirari quis posset, quî fiat, quod liberi materna dignitate non nobilitentur, cum tamen qui matre libera nascuntur, liberi sint, qui servâ servi, quod forsan majus quid. Verum ita argumentari non licet; Nascitur quis liber ex matre libera & patre servo: Ergo etiam nascitur quis Nobilis ex matre nobili & patre ignobili. Distinguendum enim est inter statum qui est jurisgentium, iterumq;

rumq; inter dignitatem & nobilitatem quæ est juris civilis. Quoad statum, nascitur quis liber ex matre libera, patre verò servo. Nam cum mater semper certa sit *l. quia semper ff. de in jus vocand.* & in generatione plus operetur quam pater, traditum est, partum conditionem matris sequi debere *l. cum legitimæ ff. de stat. hom.* At quò ad originem honorem & dignitatem filij non matris sed patris conditio attenditur, *arg. l. mulieres 13. C. de dignitatib.*

30. Optimè hùc quadrare videtur quæstio: An qui natus est ex Patre Principe, Duce, Marchione, Comite, Barone, Nobili, matre verò plebeja, sit particeps patris dignitatis & privilegiorum, ita ut jure etiam in feudis succedat. Equidem licet libenter fatear clariorem & illustriorem esse liberorum nobilitatem, si ex parte matris quoq; præclara nobilitas accedat: Quod & hinc novimus, moribus Germanorum receptum esse, ut octo generationes Nobilium ex utroq; latere sine defectu nobilitatis probentur, uti ea ipsa Germaniæ consuetudo in Ecclesiasticis Collegijs Capitularium, præsertim superioribus *auff die Hohen Stifften*/ tam Principum & Comitum quam Nobilium observatur. Attamen quia in præcedentibus probatum est, filium legitimè natum, quoad dignitatem, familiam, gentem & similia quæ juris civilis sunt, patris non matris conditionem sequi, non dubito quin & in feudis talis de quo quæstio concepta est succedere jure nostro queat. Quod autem ad ludos equestres item q; in Collegium Canonicorum non recipiantur liberi nati ex ejusmodi matre ignobili, vel statuto vel consuetudine inductum est.

31. An autem Princeps vi supremæ potestatis contra consuetudinem istam quempiam ita nobilitare queat, ut ad hastiludia admittatur, jucundæ quæstionis thema est? Mihi affirmativa placet, eò quod ut supra dixi, nobilitas juris civi-

lis

lis est. Princeps verò vi immensi imperij potest statuere contra ea, quæ juris civilis sunt, & nullius detrimentum conjunctum habent. Sed nullius detrimentum est, quod plures in nobilium ordinem cooptentur: Imo potiùs interest Reipublicæ, pluribus id gratiæ tribui: ut præclara ingenia, ad bene de Republ. merendum excitentur, quod fit si Principis gratia, virtute prævia ad honorum fastigia aspirare se posse viderint. Nec obstat quod lex ludorum equestrium pro forma nobilitatem à quatuor avis deductam requirat. Illud enim intelligendum est, absq; Principis gratia. In omni enim actu, authoritati superioris sive Principis nil quicquam derogatum esse intelligitur. *add. Frider. Pruckmann. in tr. de Regalib. §. soluta potestas 4. membr. 1. effect. 4. num. 12.*

32. Atq; hæc etiam de liberis legitimis & naturalibus simùl sufficiant: post eos videamus de Adoptivis. Per adoptionem nobilitatem conferri voluit. *Bocer. lib. 2. de Regal. c. 2. n. 37. & seqq. Arum. exerc. 2. th. 21. Menoch. lib. 4. præsumpt. 89. n. 35.* eò quod adoptio cognationem, *l. 1. §. 4. ff. unde cognati* Consanguinitatem *l. si is qui 44. ff. de adopt.* agnationem *l. qui adoptionem 23. ff. eod.* & dignitatem tribuat, *l. in omni 13. l. per adoptionem 35. ff. de adopt.* A quibus tamen recedo, & cum *Besold. lib. 1. Pol. c. 11. num. 54.* statuo: Plebejum à Nobili adoptatum, haud ideo Nobilem evadere; nisi speciali Principis auctoritate id agatur.

33. Spurios & nothos seu Bastardos quod attinet, ne quidem pro filijs Nobilium civiliter habentur, quid dicam de consuetudine? Sordes enim non merentur poni inter præcipuos *l. humilem C. de incest. nupt.* quodq; in tantum verum, ut etiam procedat, licet mater quoq; fuerit nobilis. Etenim qualis est causa, talis effectus: Concubitus ille turpis habetur, ergo & partus. Imo ne civiliter quidem legiti-

nati Bastardi veram Nobilitatem Parentum consequuntur, præsumitur enim Imperator semper improbare ejusmodi illicitos concubitus; & per consequens non dare nobilitatem non legitimè natis. *vid. Besold. lib. 1. Pol. c. 11. 08.*

34. His consequentèr quæritur Num etiam Nobilitas filio collata, collata censeatur ejus parentibus? quod negandum omnino puto. Quemadmodum enim feudum regulariter non transit ad parentes. *c. un. de nat. succed. in feud. & ibi. Dd. Vultej. de feud. c. 9. n. 101.* Ita nec nobilitas. *Tiraq. de Nob. c. 16. n. 2.* Siquidem non ascendit sed descendit. *Tiraq. d. l. n. 1. Matth. Steph. tr. de Nobil. c. 5. num. 80.* Et quamvis multa jura contrarium probare videantur. *l. in sacris 3. in pr. C. de sacr. scrin. l. ult. vers. hæc autem C. de castr. & instrum. l. ult. C. de priv. schol.* revera tamen nihil aliud probant, quam quod parentes ex nobilitate filiorum quodammodo cohonestentur, quod multis probat authoritatibus *Tiraquell. d. l. n. 3. & seqq.*

35. Idem judicium fero de transversalibus, siquidem nec ad hos fratrum nobilitas transfertur, nisi Imperator eosdem etiam nobilitaverit: cum privilegium personale non egrediatur personam; *l. 1. ff. de constit. Princip. & c. privilegium de reg. jur. in 6. Joann. Ray. in tr. de nobilit. p. 15. quæst. 5. Tiraquell. d. tr. cap. 17.*

36. Et hi sunt modi quibus Nobilitas defertur, sic jam legitimè delatâ, egregia sanè ejus sequuntur privilegia, quorum quædam ex longa seriè & prosapia prædecessorum vel ex speciali concessione Principis, qui & nobilitatem contulit, promanant, quædam verò jure communi vel consuetudine aut statuto competunt.

37. Atq; ut ab his quæ ex prosapia prædecessorum vel ex speciali concessione competunt initium faciam, sunt ea insignia, nobilibus ob virtutes primùm concessa, cum

apertis

apertis galeis, mit offenem Helm / quibus alijs præstant. Quamvis enim uniuscujusq; familiæ sua sint insignia: quæ inventa sunt ad cognoscendas familias & agnationes *l. sanctum §. 1. de rer. divis.* prout nomina sunt inventa ad cognoscendos homines. *l. ad recognoscend. C. de ingen. manumiss. §. si quidem 29. Inst. de legat.* Unde etiam quilibet eodem modo, authoritate propria absq; concessione Principis insignia assumere possunt *Tiraq. de nobil. cap. 6. num. 17.* modo id fiat absq; dolo *d.l. ad recognoscendum.* Non possunt tamen talia eligere insignia, qualia Nobiles ut & Doctores hodiè sibi usurpant cum apertis galeis: ut confusio evitetur, siquidem aliàs non facile possent nobiles discerni à plebeis. Hùc quadrat illud *Bonifacij in tr. de furtis*, factum distichon de quodam, quem ambitio eò compulerat, ut fingeret sibi loco insignium Aquilam & Ursum catena columnæ alligatum.

Redde Aquilam Imperio, Collumnis redde Columnam,
Ursinis ursam: sola catena tua est.

Quibus innuere voluit *d. Bonifacius*, nihil illi futurum venustius, quam catena gutturi ejus injicienda.

38. Hinc dubitavêre Dd. quid eo statuendum casu, quando quis contrà hanc prohibitionem Nobilem se fingat, & arma cujusdam antiquæ familiæ assumat: *Tiraquell. de Nobilit. c. 13. n. 1.* putat quod simul incidat in crimen lœsæ Majestatis. *per text. in l. 1. ad L. Jul. Majest.* Ast cum ex sola verbali falsa nuncuparione Nobilis, absq; occupatione jurisdictionis crimen illud committat, meliùs loquuti videntur illi, qui eum tantum criminis falsi reum pronuntiarunt. *l. eos 27. §. fin. l. falsi 13. ff. ad L. Corn. de falsi. Wesenb. in parat. ff. eod. n. 8. Stephan. tr. de nobilib. cap. 6. n. 6.*

39. Præterea Nobilibus ijsq; in gradu similibus præ alijs prærogativa datur in vestitu & habitu, *juxt. l. observand. ff. de*

ff. de off. præf. tot. t. C. de vestib. holos. & aur. vid. etiam th. nostr. supr. 25. Sic olim apud Romanos aurea Bulla & aureus annulus Nobilium insigne fuit: Iorum; erò plebejorum ut tradunt *Asconius Pedianus orat. 3. in verrem & Plinius lib. 33. c. 1.* Hodiè autem ex perversa consuetudine & nimia hominum luxuria, eò res, proh dolor, devenit, ut inter plebejum & nobilem quoad vestes nulla appareat differentia: quoad virtutes sæpè maxima, licet enim coronam asino imponas auream, asinus tamen manet: quod equidem dolendum magis quam approbandum est.

40. Gaudent etiam prærogativa præ alijs plebeis in sessionibus & salutationibus. *l. ad subeunda C. de decurionib. l. ad honor: ff. eod. l. 2. l. 3. C. de off. div. jud. l. 1. c. de offic. civ. jud.* Digniores enim altiori loco sedere debent. *§. aliam ubigloß. de bon. possess. l. peritiores C. de off. Rect. Provinc.* Adeò etiam ut nisi hoc fiat & quis nobiliori & digniori cedere nolit, ille non solum officio judicis prohibere potest, sed etiam pro defensione honoris actioni injuriarum adversus eundem locus est. *l. injuriarum 15. §. si quis ff. de injurijs.*

41. Ex illis autem quæ dicta sunt; inferiorem sive plebejum cedere debere viro nobili, quidam inferunt: Si rusticus à viro Nobili insultaretur, quod rusticus nobili cedere, sive eum fugere debeat; è contrario verò si vir nobilis rusticum occidat, licet commodè fugere potuisset, tamen nobilem non debere puniri; eò quod cedere turpe sit homini nobili, & contra ejus honorem. *Bald. in c. 3. de pace tenend. in usib. feud. Bart. in l. ut vim de just. & jur. Tiraq. de Nobil. c. 20. n. 63.* Sed mihi non videtur hoc in casu constituenda differentia inter Nobiles & plebeos, tum quia *L. Cornelia de sicar.* nullam facit distinctionem inter homicidam humilioris vel altioris conditionis, modò uterq; do-

loſus

losus homicida sit, tum quia LL. nostræ indistinctè omnes fugere jubent, si commodè fuga sibi consulere possunt. Et si legem consulamus divinam, nullâ personarum differentia respectâ, dicit, Anima quæ peccavit, ipsa morietur, *Deut. cap. 18. Reg. c. 14. Ezech. cap. 18.*

42. Quædam etiam Nobilium privilegia consistunt in præsumptionibus; quia nimirum major præsumptio virtutum, integritatis & innocentiæ stat pro Nobili, quam pro plebejo? Hinc *Tiraq. cap. 20. n. 33.* tradit: fœminæ nobilis testimonio ob nobilitatem generis majorem fidem habendam esse, quam viri plebeji, cum aliàs in testimonio dicendo viri præferantur fœminis. *l. in testibus & seqq. de testib. Specul. de testib. §. postquam vers. primo.*

43. Et quemadmodum hoc in casu differentia est inter Nobilem & plebejum, sic rursus Nobilibus inferioribus præferuntur, Nobiles in Nobilitate summa constituti, quales hodie sunt Reges, Marchiones, Duces, Principes & similes: quippè cum hi pro se majorem præsumptionem virtutis integritatisq; habeant, & in illis magis cesset omnis sinistra suspicio simulationis, doli & fraudis. *Schrader. de feud. 2. feud. 9. part. pr. sect. 12. n. 19.*

44. Adhæc gaudent etiam Nobiles hac prærogativa, quod testimonij dicendi, vel jurisjurandi causa à domo ad tribunal non evocentur, sed judex ad eorum domum Notarium, à quo examinentur, mittere teneatur *l. 15. ff. de jurejur.* sic receptum esse in Bohemia, Archiducatu Austriæ, Bavaria, alijsq; locis testatur *Gail. 1. obs. 101. num. 14.* quibus addit *Menochius de præsumpt. præsumpt. 59. num. 2.* quod Nobilitas interdum faciat, ut simpliciter asserenti fides habeatur. Hinc est quod promissiones Nobilium, sub Nobilitatis fide, Bey Adelichen Ehren vnd Glauben factæ, in contractibus, in renunciationibus vim corporalis juramenti

obtineant & pro impletis habeantur. *c. ad aures, de his quæ vi. metusv. caus. Mynsi. 1. obs. 17. Gail. 2. obs. 59. Wesenb. cons. 52. num. 22.*

45. Sequuntur privilegia Nobilium, quæ in pœnis temperandis consistunt. Hæc autem varia sunt & numero multa, ex quibus ego paucula percurrendo saltem attingam, de cæteris B. L. authores ipsos in specie jura Nobilitatis tractantes consulere poterit.

46. Regula trita & vulgata est, *qui non habet in ære luat in corpore*, deducta ex *l. fin. ff. de in jus vocand. l. quia des ff. de incend. ruin. l. quicunq; 4. C. de serv. fugitiv. & passim.* quam Zasius ita effert, subsidiarium tergum præbeat cui non suppetit pecunia; *in §. pœnales 12. Inst. de actionib.* Hæc tamen regula non procedit in Nobilibus & personis egregijs. *Sichard. ad l. quicunq; 4. num. 41. C. de serv. fugit. Schneid. ad §. pœnales num. 58. Inst. de Actionib. Speckhan. cent. 1. q. 40. num. 5. Covarruv. lib. 2. var. resol. c. 9. num. 4.* Ratio hujus est, quia quotiescunq; ex legis permissu pœna in aliam & diversam commutanda venit, non in graviorem, sed æqualem vel mitiorem converti debet. *arg. c. non afferamus ubi gloss. in verb. sceleratus caus. 24. q. 1.* Jam vero in nobili quævis pœna corporalis vel etiam minima gravior est qualibet pœna pecuniaria. *Schneid. d. l.*

47. Neq; propterea putet quispiam, Nobiles impunè esse dimittendos. Licet enim non statim pœna corporis afficiantur, possunt tamen tali affici, quæ respectu ipsius personæ non sit pœna pecunia gravior. *Harpr. tr. crim. §. in summa 10. num. 35. & seqq. de injur.* Sic apud priscos Germanos scabiosus canis ignominiosæ pœnæ loco viris nobilibus vicatim gestandus imponebatur, utraq; manu prioribus canis pedibus apprehensis. Hac pœna affectum fuisse Eberhardum Comitem Franconiæ, quod Ottoni I. Imper. & Her-

& Hermannum Electorem Palatinum, quod Conrad. IV. Imper. rebelles fuerint, scribunt, *Otto Frising. de gest. Frid. Imper. lib. 2. c. 28. Crantz. in Saxon. lib. 3. c. 15.*

48. Precedentibus concinit, quod Nobilis ob debitum civile, vel ex causa æris alieni non possit realiter citari, vel in carcerem detrudi, quod Saxo ita exponit, Sollen nicht an die Handt oder Hafft genommen werden. Siquidem beneficium habent competentiæ, ne in solidum conveniantur, sed in quantum facere possunt, habita ratione suæ nobilitatis. *Tiraq. de Nobil. c. 20. n. 142. Coler. de proceß. exec. c. 6. num. 146.*

49. Hanc eandem quoq; immunitatem Nobiles habere in criminalibus tradit. *Lipsius consult. Saxon. p. 3. quæ est de judicialib. q. 25. n. 14. per leg. ult. C. de accusat.* Quod tamen *Bald. in l. 2. C. de exhib. reis* aliter exponit, dum inquit. Si nondum sit convictus aut confessus, debet mitti in carcerem, si est vilis persona: Sin nobilis, debet honestè in palatio detineri, & ita judex arbitrabitur. Sic non sunt Nobiles cruciatibus & torturis subjiciendi. *arg. l. omnes 33. C. de dignit. l. milites 8. & l. Divo C. de quæst. l. 3. §. 1. ff. de re milit.*

50. Excipiuntur tamen à præcedentibus causæ Majestatis, in quibus veniam non merentur, *arg. l. nullius 4. C. ad L. Jul. Majest. l. si quenquam 31. C. de Episc. & Cleric. l. Decuriones 16 C. de quæst.* Quibus accedit crimen proditionis, *l. proditores 7. l. 3. §. is qui ff. de re milit.* Veneficij *l. sed etsi 7. C. de malef. & mathem. Schrader. de feud. q. 9. sect. 13. n. 84. part. 9. part pr.* Assassinij *arg. c. 1. de homicid. in 6. Schneid. §. pœnales 12. n. 64. Instit. de act.* Sodomiæ, Falsi, Furti, modò indicia certa ad torquendum reperiantur. Nam cum reatus omnem honoris prærogativam excludat, *l. quoties C. de dignit. l. qui sine ff. de negot. gest. l. libera ff. de pecul. l. cæteri*

veri ff. de custod. reor. l. Judæos C. de jud. l. si quos C. de off. præf. præt. Or. l. 1. C. ubi senat. vel clariss. l. presbyteri C. de Episc. & Cler. beneficio etiam juris vel legum se tueri nequeunt. l. auxilium 37. ff de minor. l. fin. §. si verò 12. C. de jure delib. add. Stephan. de Nobilit. lib. 1. cap. 6.

51. Et hæc sunt quæ de Nobilitatis constitutione, jure & privilegijs dici pro instituti ratione possunt, sequuntur modi quibus Nobilitas constituta rursus denigratur & amittitur.

52. Atq; horum modorum primum tradunt Dd. Si Nobiles sese vili dedant artificio *per text. in l. ne quis C. de dign.* h. e. si existant *Pictores*, excipe tamen si animi ergò artem pictoriam exerceant. *l. Archiatros C. de medic. l. ult. C. de excus. artif. Schonborn. lib. 3. Polit. c. 5. Tiraq. de nobil. c. 34. num. 2. cum seqq.* Si sint Coqui, Laniones, *per l. si quidem 18. in fin. ff. de ædil. edict. l. cum lanionis 18. ff. de fund. instr.* Pistores *l. quæsitum 12. §. Trebatius 5. d. t. l. maximum 12. vers. sordidorum C. de excus. mun.* Fabri lignarij, Aurarij, Vitrarij, *per l. 1. C. de excus. art. l. 34. ff. de aur. & arg. leg.* Tabernarij, Popinarij, Caupones, Nautæ, Stabularij, Fullones, Sarcinatores, viles enim sunt & abjecti, illorumq; exercitium humile *per l. humilem C. de incest. nupt. l. 1. C. de nat. lib.* Agitatores h. e. equorum rectores. *l. Titium 43. §. ult. ff. de act. empt.* Monetarij, Arenarij, Histriones, Tibicines, Lyristæ, aliorumq; instrumentorum in nuptijs cæterisq; festivitatibus lusores. *Wesenb. in parat. ff. de adq. rer. dom. n. 7.* Histrionibus annumerantur Pantagrueles sive Gnatones aulici, qui civiliori vocabulo, Kurtzweilige Räthe vocantur, hi, ut nunc sunt mores nostrorum temporum in aulis plus diteſcunt, quam vigilantissimi consiliarij, contra *l. 4. quod vi aut clam:* Rapiunt, capiunt quantum possunt, dum durat gratia, quia norunt, quod post Obitum principis nil exspectare

spectare queant ab heredibus; juxta illud vulgatum, Wer auff Gnade dienet / dem wird mit Barmhertzigkeit gelohnet. Tandem si sint Athletæ, Pugiles, Balneatores, Tonsores, *add. Tiraq. de Nobil. c. 34. n. 19. cum seqq.*

53. De Mercatura, num nobilitati officiat, magnoperè inter se certant. Dd. mihi magis placent illi, qui mercaturam nobilitati non convenire statuunt: siquidem illud juris est indubitati, privilegium amitti per actum contrarium. *l. 2. C. de Carbon. edict. l. privilegio 27. C. de Decurion.* Jam verò nobiles mercaturam exercentes actum contrarium & non nobilitati correspondentem, faciunt, *l. nobiliores 3. C. de commerc. & merc. l. milites C. de locat. & conduct. l. ne quis 6. C. de Dignit. l. si cohortalis in fin. de cohort. princip. l. humilem 7. C. de incest. nupt. Tiraq. de Nobil. c. 33. cum seqq.*

54. Neq; multùm obstat huic sententiæ, quòd emptiones & venditiones cæteriq; contractus pœnè omnes & commercia sint ex juregentium *l. ex hoc jure ff. de just. & jur. § jus autem gentium Inst. de jur. nat. gent. & civ.* & consequenter ex hoc jure procedentibus commercijs nemini non perfrui liceat, neq; alius alium prohibere debeat, *l. in his C. de prad. & alijs reb. navicularib. l. sicut. C. de obl. & act. l. dudum. C. de contrah. empt. l. libertini l. quaro ff. de jur. patron.* imò injuria censeatur si fiat. *l. prætor § si quis in mari ff. ne quid in loc. publ. l. injuriarum 1. § si quis ff. de injurijs.*

55. Nam nemo negabit Principi etiam de ijs, quæ ex juregentium originem traxerunt, etsi non in totum tollendo, tamen in partem limitando moderandoq; præsertim ob causam tranquillitatis & publicæ utilitatis disponendi potestatem competere. Causam autem hujus si quis desi-

deret videat. *d. supr. l. & imprimis l. nobiliores C. de commerc. & merc.*

56. Hunc in modum Imperator Theodosius ad uxorem dixisse fertur. Cum me Deus Imperatorem designarit, tu me mercatorem facere contendis? Scito autem, mercaturam privatis hominibus esse concessam, ut eum tolerandæ vitæ modum habeant. Quod si nos præter Imperij opes, etiam mercaturæ emolumenta interceperimus, undenam subditi victum comparabunt? *vid. Zonar. tom. 3. & Annal. in vit. Theodos.*

57. Et quemadmodum distincti subditorum sunt status, quis non etiam distinctos acquirendi modos esse debere, recognosceret? Elegans hac de re apud *Keckerm. in discurs. Philosoph. disp. 31. q. 2. fol. 593.* extat responsum Sigismundi Regis Poloniæ, quando nonnullis nobilibus petentibus jus negotiationum respondit: Oportet me in regno habere triplex genus hominum: nempè rusticos qui agrum colant: Mercatores qui necessaria importent, & exportent: & deniq; Nobiles qui me & patriam defendant: quæ defensio patriæ, cum per se sit ardua, & simul cum aucupio quæstus & lucri vix consistere possit, nolim generosa pectora patriæ defendendæ nata, mercatorum negotijs implicari: aut si hoc cupiant, permittant mercatores in suum locum succedere, quod quidem quia nobiles facturi non sint, idcirco mercatoribus suum statum permittant.

58. Neq; mihi applaudit illa distinctio, qua distinguitur inter mercaturam tenuem, & inter magnam seu copiosam, ita ut quidem magna conveniat nobilitati, quamvis tenuis non sic. Nam si pro regula illud tenendum, *ut tradit Tiraq. de nobil. cap. 37. num. 4. num. 34. & 50.* Omnia exercitia in quibus est turpis lucri seu quæstus occasio &

capta-

captatio nobilitati præjudicare, sequetur magis copiosam, quam tenuem mercaturam nobilitati contrariari.

59. Similiter nec placet hoc, quod quidam tradunt, detrimento non esse nobilitati, quando Nobiles negotientur per alium: quippè leges nobilibus negotiationem prohibentes loquuntur indistinctè, & juris regula est, quod quis suo nomine exercere prohibetur, id nec per alium ipsum agere debere. *l. unic. quib. ad conduct. prad. fisc. l. 2. §. 1. ff. de administr. rer. ad civ. pert. Bor. de Regal. c. 2. num. 56. Niell. disp. feud. 2. th. 2. lit. c.* tum quoq; fieri non potest quin ille qui per alium mercimonia gerit, fœdo quæstui non inhiet, ejusq; animus cogitationibus eventus & lucri aliò ducatur. *Jesuit. Molinæ. de just. & jur. disp. 342. conclus. 1.*

60. Notari tamen poterit illud, Nobilibus nihil obesse, etiamsi fructus suos superfluos vendant *Cravett. cons. 549. n. 9. part. 4.* siquidem hæc venditio non statim importat mercaturarum, cum mercatores illi propriè dicantur qui comparant, & revendunt. *Surd. decis. 313. n. 1.*

61. Agriculturam quod attinet, sunt qui simpliciter affirment, præjudicare eam nobilitati, quidam simpliciter negant. Sed mihi media sententia videtur tutior, qua statuitur, nobilitatem quidem non amitti ex eo, quod vir Nobilis tela in usum vomeris ligoniſq; converterit, ut loquitur *l. fin. C. de mancip. & colon.* Vnd das er die Hand an den Pflug gelegt habe/modò non ut rusticus bona censitica Zins oder Pfacht Gütter possideat, vnd den Harnisch/ Schwerdt vnd Spieß an die Wandt gehenckt/ vnd gar zum Bawren worden/ bona enim censitica ita simpliciter absq; detrimento dignitatis possideri non possunt. *Fr. Pfeil. cons. 202. n. 39. cent. 2.*

sent. 2. Nec Nobilis conductus alienos agros colat. *Tiraq. de Nobil. c. 32. n. 13. in fin.*

61. Ob paupertatem nimiam, de qua *vid. Jos. Nold. tr. de statu Nobil. civ. cap. 23. in pr.* Nobilitatem extingui dixit *Chassan. ad consuetud. Burgund. rubr. 4. §. 19. num. 29.* Aſt malè; potest enim quis esse pauper, dignitate, & fama domus integra manente. *l. 14. ff. de serv. corrupt. l. 2. §. 17. vers. Ergo Sabino ff. de O. J.* nec paupertas est de genere malorum, Armuth iſt kein Schand noch Vnehr. *Wesenbec. cons. 18. num. 27.*

63. Doctoratus, Licentiatus, Magiſtratus dignitatem, non officere Nobilitati, vel saltem ex eo constat; quod etiam Reverendiſſimi, atq; Illuſtriſſimi Principes dignitatibus talibus fuerint ornati. JOHANNES Dux Megapolitanus fuit Theologiæ D. Ulricus von Kemmingen & Sebaſtianus von Rottenhan / EE. Moguntini DD. Comes Albrecht von Hohenburg / Decretorum D. Episcopus Wurtenburgensis & multi plures. Daniel Brendel Elect. Moguntin. Licent. Hermann. Landgrav. Haſſ. M. *de quibus ut & aliis vid. Jos. Nold. in tr. de stat. Nobil. civil. sub fin.*

64. Parergon sic hæc quæstio. An pater amiſſa nobilitate liberis adferat præjudicium? Ubi distinguo inter Nobilitatem dativam & nativam; per amiſſionem dativæ præjudicat, siquidem illâ amiſsâ, eam alijs dare non potest. *l. nemo 54. ff. de R. J.* Per nativam non ita, hæc enim non à solo patre sed per longam majorum seriem in posteros continuatur. *Tiraq. de Nobil c. 35. num. 4.* atq; ita dignitas quæsita liberis propter crimen patris auferenda non est *l. generali 34. de rit. nupt. l. 7. §. fin. l. filiam 9. ff. de Senat.* Hinc rectè docuit Garzias de *Nob. Hiſp. gl. 12. n. 48.* dari casum, in quo pater plebejus, filius verò in poſſeſſorio Nobilis pronuncietur.

Diſp. VI.

Disputationum JURIDICO-POLITICARUM SEXTA

DE ACADEMICIS EORUMQUE PRIVILEGIIS ET PRÆROGATIVIS, competentibus ex Auth. Habita C. ne fil. pro patre.

RESPONDENTE
ARNOLDO von Walsen/ Brunsuicense.

THESIS I.

VEtus & sat tritum est proverbium; Omne promissum facere debitum; cujus & ego memor, juxta *th. meam 5. disp. præced.* de Literatis dicere quædam incipiam, utpote Personis Nobilibus proximis: Unde & Nobilitas cum Eruditione, tam benè convenire dicitur, quam benè gemma auro includitur, & rosæ lilijs intexuntur.

2. Dicam autem de illis non in genere, hoc est, de Omnibus omninò literatis, eorumq; dignitatibus, immunitatibus & prærogativis; quippè facile agnosco, fieri hoc ab alio haud posse, quam eo, cui scientia magna, experientia longa, utraq; in me quæ nimis parva.

3. Sed referam saltem breviter quædam de Academicis. Causa me quæ impellit illa est, quod scribat *JCt. Pomponius in l. 2. §. Servius 43. de O. J.* Servium Sulpitium à Q. Mutio

Mutio Scævola graviter objurgatum & notatum esse, quod patricius, jus Romanum in quo cotidiè versaretur, ignoraret. Si verò turpis hæcce ignorantia in patricio reputata fuit, acriori certè censura & reprehensione digni erunt cives seu patricij Academici; nisi Academiarum in quibus versantur, quarumq; privilegijs fruuntur, jura pervestigent & cognoscere aveant.

4. Inter Personas Academicas, primus occurrit Magnificus Rector. Qui in Academijs Germaniæ ferè eligitur à Professoribus, & ex numero Professorum, vel generosorum atq; Illustrium Studiosorum, aliquando etiam Ducum vel Principum. Sic, ut de alijs Academijs nil dicam, Anno 1470. Illustrissimus & Celsissimus Princeps ac Dominus, Dominus Balthasar Dux Megapolensis, Academiæ hujus Rostochiensis Rectorem egit. Post anno 1499. Illustriss. ac Celsiss. Principi ac Domino, Domino Erico Megapolensium itidem Duci honor Magistratus Academici tributus est. Anno 1575. clavum Reipublicæ Academicæ tenuit Celsissimus Princeps ac Dominus, Dominus Gulielmus Lunæburgensium & Brunswicensium Dux. *vid. Magnif. virum Dn. Cothmannum Resp. Academ. 28. n. 11. ubi quam plures adducit.*

5. Dixi *in Academijs Germaniæ*, quia ex relatione aliorum habeo, quod in Italia Scholares sive nationum Consiliarij Rectorem Magnificum eligant *Besold. lib. 1. Polit. c. 12. num. 33.* ubi simul refert quod & Basileæ olim studiosi quoq; interfuerint electioni.

6. Postquam ita Rector electus est, in omnibus solennibus præcedit omnes omnino Doctores, etiam Cancellarium Academiæ, Imo Nobiles, Barones, Comites, Principes: Quid dicerem de Civitatum Consulibus?

7. Ita legitur de Ludovico XII. Gallorum Rege, quod cum subactâ Genuâ de Liguribus triumphasset, quinq;

Car-

Cardinalibus & centum Proceribus subsellia implentibus Academiam Ticinensem honoris causa adiverit: Et ferunt Regem, cum ad Collegium perventum esset, Jasoni sinistrum adequitasse, cum his verbis: NUNC JASON INCIPIT REGNUM TUUM. *Mich. Pichard. Observ. Histor. Polit. decad. 7. c. 1.*

8. Memorabile quoq; in hanc rem est Ferdinandi Regis Hispaniarum avi Imper. Caroli V. factum. Venit is Complutum in Idelphonse collegium, Ximenio latus claudente. Sed Rectore cum patribus Academiæ collegio in in Regis occursum progrediente, cum ministri regij, qui & ipsi sceptra gerebant, præeuntes ejus sceptigeros conspicarentur & voce interiori, ut illi sceptra Academica submitterent aut deponerent, inclamarent: tunc verò Rex, nihil illa re majestatem suam imminui sentiens, Academicos solito more procedere jubet, inquiens, illas ædes esse, in quibus fas poscebat, ut Musarum sacri initiati regnarent *Gomecius de reb. gest. Fr. Ximen. lib. 4.*

9. Quin & tanta Rectorum dignitas est, ut quibusdam in Academijs utpote, Vienniæ Austriæ ex singulari Imperat. Maximiliani I. gratia Rector Palatini, ut vocant, Comitis potestate fruatur, & laurea Poetas, si quos dignos studiorum præmijs putaverit exornet *Herm. Kirchner, de fatal. Acad. dissip. & ruin.* Sic in Academia Julia Rectori privilegium datum creandi Notarios.

10. Et hæc de Academiæ capite, sequuntur membra tam imperantia quam obedientia. Ad classem priorem refero quatuor Facultates, Theologicam, Juridicam, Medicam, Philosophicam. Ad posteriorem, Studiosam Coronam.

11. Harum prædictarum Facultatum quælibet sibi eligit superiorem, quem Decanum vocant, eò quod in pri-

scis Academijs singularum Facultatum deni habebantur, qui singulas diei horas, antemeridianas & postmeridianas in explicandis facultatis suæ dogmatibus consumere possent; unde adhuc hodiè denominatio illa mansit *Francisc. Jun. de Acad. c. 4. pag. 37.* Is causas collegium concernentes moderatur.

12. De Ordine Facultatum, sive de prioritate Professorum inter se si quæratur; ibi non recedendum est à recepta & inveterata observantia, qua primus locus datur Facultatis Theologicæ Professoribus & Doctoribus. Sed diceret quis, quarè autem hi præcedent? cui occurro duobus fundamentis, uno petito à Nobiliori subjecto, quod est Deus. Unde Theologia à Θεὸς Deus & λόγος sermo, quasi sermo de Deo. At quantò subjectum alicujus scientiæ est nobilius & excellentius, tantò scientia & facultas illa est dignior: Altero sumpto ex ratione certioris veritatis. Habet namq; Theologia certitudinem suam ex supremo lumine, sapientiæ increatæ, quæ errare non potest, quia Deus est ipsa veritas *Joan. 14. & 1. Pet. 1.* Et quantò una scientia nititur certiori demonstratione, tantò etiam præstantior est.

13. Hosce meritò præaliarum scientiarum Professoribus & Doctoribus sequuntur Doctores Juris, quorum officium est Justitiam colere, æquum ab iniquo separare, licitum ab illicito discernere, veram & non fucatam Philosophiam afferre *Ulp. in l. 1. ff. de l. & J.* Indeq; merito juris sacerdotes *d. l. 1.* Est namq; res sanctissima civilis sapientia & inæstimabilis *l. 1. §. proinde 5. ff. de variis & extraordin. cognit.* necessaria & laudabilis *l. 4. C. de Advoc. diverf. jud.* honoris plena *arg. l. 6. in pr. C. de postul.*

14. Licet autem dici possit, generalem omnem scientiam esse sanctissimam & à Deo ortam, cum omnis ratio supernæ scientiæ, vel terrenæ creaturæ in eo est, qui est caput

caput earum & autor *l. legimus §. fin. 37. de summ. trin.* tamen magis particulariter rem considerando, origo juris & legum est à Deo immortali. Sic enim sacræ literæ docent, quod primus homo Adam acceperit legem ne arbore vetita vesceretur; qua violata, juris servato ordine, pœnam sustinuit, *en. c. 3.* Habemus etiam leges à Deo per Moysen datas quæ exstant *Exod. 2. v. 22. & 23. & Deut. 19.* ex quibus judiciariæ actiones tanquam ex fonte promanant. Et quidem mirabilis est illa & divinarum & Romanarum nostrarum legum harmonia. Ut enim divinæ leges *Exod. 20.* sic & Romanæ jubent Deum credere, *l. 1. C. de summ. Trin. & fid. Cathol.* Non assumere nomen Domini in Vanum *l. juris-jurandi 2. C. de reb. cred. & jurejur.* Sabbatum sanctificare *l. actus 8. l. dies festos C. de feriis.* Reverentiam parentibus præstare *l. parentes 6. ff. de in jus. voc.* neminem occidere *l. 1. §. præterea ff. ad L. Cornel. de sicar.* adulterium non committere *l. 1. C. de rapt. virg.* non furari. *l. incivile C. de furt. & serv. corrupt. l. de pignore §. species ff. de furt.* & falsa testimonia perhibere *l. 1. §. præterea ff. ad L. Cornel. de Sicar. l. 10. ff. de testib.*

15. Quod autem aliquando Juris Doctores contemnantur, quidam adscribunt multitudini, juxta proverbium, omne rarum carum, vilescit quotidianum *c. si officia distinct. 93.* Verum quemadmodum utile civitatem repleri civibus *l. 1. ff. solut. matrim.* sic multò magis utile est repleri eam sapientibus & Doctoribus. *Socinus junior in d. l. 1. n. 278. add. Magnif. vir. Dn. Cothman. resp. acad. 14. n. 78.*

16. Interim non nego contemptus hujus posse esse quasdam causas, & quidem sequentes 1. quod multi potius propter gratiam vel pecuniam hodiè, quam propter scientiam ad honores admittantur; Unde illud de Gallis referunt proverbium: Nos sumimus pecuniam & mittimus asi-

num in Germaniam. 2. Causam illius contemptus adferunt imperiti illi Causidici & Rabulæ illæ forenses, ignari litium concionatores. *Cujac. 4. obs. 40.* quibus præter latratum nec eruditio nec doctrina est. Inde *idem* eorum notitiam caninam dixit. Cui congruit Prudentij versus.

Inde canina foro latrat facundia toto.

17. Jureconsultos sequuntur Doctores Medici. Sanè non ignoro sæpè conqueri Medicos de hoc ordine. Verum si præcedentia non sufficiant, addant sequentia. 1. Nonnè objectum juris nobilius est quam objectum Medicinæ? Objectum autem Jurisprudentiæ est justitia, quæ, teste Aristotele, Hespero Luciferoq; pulchrior æstimatur; Objectum verò Medicinæ est corpus sanabile, undè sicut finis Medicinæ est corporis sanitas, ita finis Jurisprudentiæ est mentes hominum facere sanas, & conformes reddere Decalogo voluntatiq; Divinæ. *Nevizant. in sylv. nupt. lib 5. nu. 75. & seqq.* Quantum itaq; præstat animi sanitas sanitate corporis, tantum etiam præstat Jurisprudentia Medicina. Hinc Plato animi bona maximè bona dixit.

18. Adhæc penuria Medici unus vel alter homo periclitatur: Prudentis verò viri & juris rerumq; gerendarum periti sæpè tota Respublica. Sic apud *Isidor. lib. 4. Orig. sive Etymolog.* legimus: Romanos per quadringentos annos sine Medicis vivere potuisse, sine consiliarijs nunquam: Hùc *Anton. de Gueverr. in horolog. Princip. lib. 1. c. 43. num. 190.* respexisse videtur. Quando insit; Glisçente aliquo inter cives tumultu, plus unicum prodesse consilium maturum, quam centum Purgationes de Rhebarbara. Quod ego tamen non in Medicorum contemptum, sed saltem comparativè refero. Sanitatis namq; autor Deus; Dei instrumentum natura, utriusq; minister Medicus.

19. Et ùt inter Jureconsultos ut supra dixi, dantur

Rabu-

Rabulæ forenſes, ſic etiam inter Medicos homines inveniuntur tales imperiti & circumforanei, vulgò Storger oder Quackſalber / qui ſe Medicinæ Doctores venditant, quibus tamen præter latratum nec eruditio nec doctrina eſt. De tali imperito exemplum refert *Nevizant. in ſylv. nupt. lib. 4. ſub. num. 177.* qui conſultus ab imperito ſcripſerat, *Recipe neſcio quid, & ſanabitur neſcio quando.*

20. Eadem artium Profeſſores, nobis qui in ſpecie Philoſophi dicuntur, ſubſequuntur: Hi ſanè, ſi antiquum Philoſophiæ ſplendorem tuerentur; & Pythagoræ, Platonis, aliorumq; premerent veſtigia, vel omnium primi, vel ſtatim poſt Theologos locandi eſſent. Erat enim olim Philoſophia, rerum divinarum humanarumque encyclopædia: quæ comprehendebat, quicquid mens humana ſcire aut capere poſſet. Sec nunc liberalium artium diſciplina ſubalterna magis eſt quam collateralis alijs ſuperioribus diſciplinis. Unde etiam in Jure noſtro differentia eſt, inter Philoſophos & liberalium artium Profeſſores, *arg. l. 1. in pr. & §. 4. ff. de var. & extraord. cognit. l. 6. §. 3. & 4. de excuſat. tut.* De Ordine Studioſorum inter ſe nil dicam, potiùs hæc omnia cujuſvis diſcretioni pro ratione loci, temporis, atq; ſtatus, relinquam.

21. Atq; ſic pergo ad ipſa privilegia Studioſis competentia *ex Authentica Habita C. Ne filius Pro Patre.* Verba conſtitutionis ipſe videre poteris, digna enim ſunt quæ legantur.

22. Tractaturus autem illam, 5. ſequentibus capitibus eam abſolvam: Ita ut in 1. demonſtrem quis ille ſit, talia privilegia qui largitur. 2. quibus. 3. quæ fuerit cauſa impulſiva. 4. quænam illa privilegia ſint. 5. quamdiu concedantur & quibus modis amittantur. Faxit ſacroſancta Trinitas ut omnia benè beatèq; cedant.

23. De

23. De Authore prædictæ Constitutionis variè differunt Interpretes. Quidam eam *Friderico* II. Quidam *Friderico* III. tribuunt, nec suis, destituuntur rationibus, cum & ipsi Impp. literarum amantes, & literatorum patroni eximij extiterint: tamen cum ex historijs constet, *Fridericum II.* Anno 1212. *Fridericum III.* Anno 1414. regnasse, dictam verò constitutionem Anno 1158. apud Roncalias publicatam esse, Epoche subscripta indicet, & eodem tempore Frideric. I. Comitia celebrasse, Guntherus notet, ideo veritati historicæ convenientius est *Fridericum I.* hujus constitutionis Authorem laudare & adserere.

24. Propter hunc Authorem quibusdam in Codicibus Sanctio isthæc inscribitur *constitutio nova Friderici*, in quibusdam *Authentica*, qua occasione notandum, Novellas Justiniani, à Juliano in Epitomen reductas, & latinitate donatas, sed tempore *Friderici I.* ab alio quodam Juris Interprete de verbo ad verbum translatas esse. Quò autem inter Juliani Epitome & translationem illam Interpretis differentia quædam maneret, Epitome Novellarum nomen retinuit, translatio verò posterior Authentici nomen meruit. Indè rursus *Irnerius JCtus Germanus* cum Authenticas quasdam deduceret, & Codici insereret, Authenticæ dici ceperunt *Rittershus. ad Novell. const. c. 1.*

25. Neq; hîc prætereundum, quod in initio hujus Constitutionis legatur *super hoc diligenti inquisitione Episcoporum, Abbatum, Ducum, omnium judicum & aliorum procerum sacri nostri palatij examinatione.* Ex hoc enim appareret Imperatorem *Fridericum* hanc constitutionem non ex plenitudine potestatis, ut vulgò vocant, vel motu solo proprio, sed convocatis Ecclesiasticis & secularibus Imperij statibus omnibusq; sacri Palatij Proceribus, habita priùs diligenti examinatione, promulgasse.

26. Eodem

26. Eodem nomine Lampridius laudat Alexandrum Severum, quod nunquam leges de jure populi & fisci, nullamve aliam constitutionem, non advocatis ad minimum 20. JCtis alijsq; viris cordatis, tulerit. Idemq; Theodosium & Valentinianum observasse *l. humanum C. de legib.* docet.

27. Quibus ita præmissis, dispiciendum nunc est de personis, quibus Fridericus Imper. privilegia hæc indulget. Et quidem in genere omnibus Viris Juvenibus & Senibus, pijs literarum studijs, quibus Deus colitur & mundus beatur, discendo, docendoq; vacantibus, ijsdemq; necessarium servitium præstantibus, privilegia hæcce Academica competunt, sicuti ordine demonstrabo.

28. Quod autem *Imper. Frideric.* primo loco ponat Studiosos, non hanc habet significationem, ac si Doctores & Præceptores voluerit excludere, siquidem statim *verb. Professores* illorum quoq; facit mentionem, *de quib. infr. pl.* sed exinde est, quod eorum gratia Academiæ aperiantur. Cum enim in statu Integritatis quilibet sat doctus fuisset, illam autem eruditionem primi, proh dolor, nostri Parentes perdiderint, Divina Majestas in horto Edene seu Paradiso, primam piorum societatem seu Academiam aperuit, eiq; Professores nominis sui cultores præfecit, illi in pijs doctrinarum studijs alios ut informarent, Deoq; sic Ecclesiam propagarent.

29. Hos Studiosos *Imperator Fridericus* Italorum more appellat Scholares. Nos verò Studiosorum appellatione, tanquam honestiore magisq; latino, discentes in Academijs, designamus. Quin etiam studiosorum nomen, apud veteres Jureconsultos & Romanos adeo nobile & augustum erat, ut non tantum hoc sibi discentes sed etiam docentes usurparent *arg. l. 1. de assessor. l. morù §. 4. de pœn. l. 4. de var. & extraord. cognit. l. 52. §. 20. de furt.*

30. Non tamen, ut quis studiosus reputetur, hisq; privilegijs gaudeat, sufficit, si vivat in Academijs: sed & hæc insuper requiruntur, ut sit ritè initiatus, matriculæ inscriptus, Magistratui suo juramento obstrictus, & sic faciat studiosum quæ decent.

31. Per initiationem Depositionem intelligo, cujus origo laudabilis ac vetusta: quippè ab Athenienſi Academia primùm hæc ceremonia depositionis est inventa, atq; in reliquas totius Europæ Universitates propagata & traducta.

32. Voluerunt verò veteres laudabili hoc instituto Scholas inferiores sive Particulares ab Universalibus & privilegiatis Academijs perpetuo esse distinctas & separatas. Cum enim dicti Majores particulares scholas ad id fundassent, ut in ijs primordia scientiarum & artium adolescentes addiscerent. Ne igitur ita liberè & impunè citra ullam perceptæ doctrinæ & morum explorationem ad illustriores scholas sive Academias transirent, placuit ijsdem veteribus juniores priùs ad depositionem adlegare, ut in ea tum de moribus, tum de studiorum initijs sive fundamentis mediocriter jactis, testificatio aliqua publicè eluceret & conspiceretur. De quibus hodiè quidem in nostris Academijs illud restat, quod Juvenes deponendi priùs examinentur, ast contra institutum veterum hoc est, quod tam pueruli admittantur.

33. Et licet in Depositione vexationes quædam admittantur: Non tamen introducenda illa Bergenſium in Norwegia mercatorum consuetudo, qua tyrones suo collegio initiandos multò immaniùs quam olim Lacones ad aram Dianæ, & puberes & impuberes ad animæ usq; exhalationem cædebant ludo, uti appellant, Neptunio, Das Waſſerſpil/ excipiunt, & singulis annis ad octennium usq; miſer-

miserrimè flagellant, ita quidem ut multi etiam occumbant; Verum quid tandem Deo respondebunt, videbunt illi: ibi meritò locum sib vindicaret *illud Horatij.*

Multa tulit fecitq; puer, sudavit & alsit. &c.

34. Post ritum depositionis confectum, à Novitio (qui tamen & alio nomine salutatur, sed modò non incidit) requiritur, ut etiam in albo seu Matricula studiosorum inscribatur. Album autem vocant matriculam, eò quod illi, qui nomen literariæ militiæ dant, velut à matre in numerum alumnorum recipiantur, nomen & cognomen professi *Rebuff. de privileg. scholast. privileg. 141.*

35. Hinc acerrimum Dd. resultat certamen. An inscriptio Matriculæ ita necessariò requiratur, ut etiam pro studioso non sit habendus ille qui inscriptus non est, licet studiorum gratia ibi vivat, Magistratumq; Academicum pro suo superiore agnoscat. Equidem sunt, qui præcisè inscriptionem requirant, inter quos *Petr. Gilken. Hugo Donell. & alij plures ad nostram C. Auth. Habita:* moti potissimùm hac ratione, quod milites non sint, nec privilegia militibus concessa habeant, qui in numerum militum recepti non sunt, nec in matriculam relati *l. ex eo tempore ff. de testam. milit.* Sic nec pro studioso habendus, qui apud Magnificum Academiæ Rectorem nomen suum professus non est, quoniam milites & studiosi frequenter comparentur. *l. advocati C. de advoc. Eberh. in top. legal.*

36. Verum Magnificus Vir p. m. Ernestus Cothmannus *Resp. Academ. 49. per tot.* statuit, si circumstantiæ omnes penitiùs inspiciantur & attentiùs considerentur, rem totam eò redire, quod inscriptio in matriculam per se non faciat Studiosum: ex quo dicit consequi quod omissio inscriptionis in matriculam per se & simpliciter non efficiat, quò minùs aliquis studiosus sit, cum contrariorum eadem

sit disciplina & ratio *l. si quis extraneum §. sed ita ff. de adquir. hered. l. fin. C. de indict. viduit. tollend.*

37. Argumenta sanè elegantia & notabilia adfert, quorum quædam propter illos, libro qui carent, adscribere lubet. Primùm est illud quod sæpè fiat, ut diligentius studeat matriculæ non inscriptus, & rursus negligentius imò nihil discat, qui immatriculatus est, ut proindè ex eo, quod vel est, vel abesse potest, rei substantia non sit constituenda.

38. Deinde certum esse, in plerisq; Academijs certos dies præfiniri, intra quos Scholaris nomen suum Rectori Academiæ edere & profiteri teneatur, & nihilominùs Scholarem ante illam professionem pro Scholari haberi, & Scholarium privilegijs uti. Atq; hinc fieri, quod Scholarem talem offendens æquè puniatur, ac si immatriculatum scholarem offendisset. Pro tertio dicit, constare, nonnullas Academias matriculis & inscriptionibus in matriculam non uti, quod de Perusina Academia testetur *Horat. Luc. de privileg. scholar. nu. 20.* Imò quibusdam in Academijs rem esse admodum pernicioſam & periculosam profiteri nomen suum, præsertim in quibus perversæ religionis sectatores clavum Reipublicæ teneant.

39. Neq; obstare, tradit, quod milites studiosis comparentur, siquidem in hoc casu longa inter eos sit differentia. Cum ideò inscriptio militum sit necessaria, ut cognitum habeatur, quibus stipendia debeantur: studiosi autem non accipiant stipendia sed proprijs suis sumptibus vivant.

40. Et si quis etiam dicat, matriculæ Academiæ jus & immatriculationis necessitatem hac ratione foræ inanem & supervacuam, illi idem occurrit *Cothmannus* respondendo, omninò quidem requiri, ut Scholaris intra tempus singularum Academiarum legibus & moribus præfinitum, nomen suum profiteatur, sed si hoc negligat, ob id statim eum privi-

privilegijs Scholarium indignum nihil feciſſe, quin imo ob culpam illam jure puniri & ad inſcriptionem pentendam rectè compelli propitia juriſprudentia poſſe.

41. Inſcriptionem ſequitur juramenti præſtatio, quam juramenti præſtationem eà potiſſimùm ratione requiſiverunt veteres, ut nimirum ſtudioſi memores præſtiti à ſe juramenti Academiæ, cui jurarunt poſtea ſint ſubditi, illi non inſidientur, ſed patrocinentur, eandemq; pro virili promoveant, defendant atq; ornent. Et id meritò; ſicut enim filius matrem ſuam ab omni tenetur vindicare injuria, ita & Viri docti Academiam, ex qua tanquam ex equo Trojano proveniunt.

42. Aſt ita, proh dolor, hodiè videmus fieri, ut veluti peſtis ſint Academiarum, & ordinis ſui perſecutores infenſiſſimi, qui ante hac Academiæ fidelitatem & omnis generis promotionem juratò promiſerè. Sed heus tu, qui ita ſponte Rectori Academiæ, te illius commoda pro virili promoturum, incommoda verò impediturum, qui illius juramenti à te præſtiti immemor, Academiam plus quam Vatiniano odio proſequeris, ejuſq; libertatem & immunitates omni ſtudio infringere & labefactare conaris, nonnè ex animi conſcientia fateri cogeris, te contra juramentum à te præſtitum facere, ſive ſacramenti fidem à te ruptam eſſe, ut eſt *in l. 11. de teſtam. milit.*? Annon conſcientiæ tuæ meliùs & tutiùs conſuleres, ſi potiùs te gratum præberes ei ſcholæ ſive nutrici, à quâ tam liberaliter inſtructus & edoctus, ut jam ſtudijs tuis, quantum ad vitæ tuæ, tuorumq; ſuſtentationem neceſſarium eſt, acquirere poſsis, cum aliàs forſan perditiſsimus eſſes? In mentem velim ſaltem revoces titulum *l. de oblig. & quib. mod. oblig. toll.* ex quo videbis contrahentem obligationem contractam tenere, uſq; dum ea legitimis modis fuerit diſſoluta. Quod ſi ita eſt uti revera

est, quæ quæso mentis & oculorum caligo te occupavit, ut non facias, te quæ decent.

43. Hæc quando ita vident illi Apostatæ, tutelam quærunt *ex l. 35. ff. de R. J.* ubi, *Nihil tam naturale est, quam eo genere quicquam dissolui, quo colligatum est*, sic etiam illos, qui sponte fidem juratam dederint, sponte quoq; posse eidem renunciare. Sed ô excusationem frigidam, licet enim primò tuo fuerit in arbitrio gerere te pro Studioso vel non, factum tamen illud est posteà talem per obligationem necessitatis. Et si ex ipsa tua allata regula tecum disputarem, nonne in eâ dicitur, eodem modo fieri debere dissolutionem, quo facta est obligatio, jam verò non illegitimè sed legitimè te obligasti, obligatio igitur tua legitimè quoque ut solvatur necesse est.

44. Præterea sicut miles emansor, ut & si deliquit, non cessat propterea miles esse *l. 3. §. emansor l. qui cum uno §. leviùs ff. de re milit.* donec juramento solvatur *l. Magisteria C. de Jurisdict. l. qui metu 16. ff. de re milit. tot. tit. C. de his qui non implet. stipend. sacram. solut. sunt. l. 13. §. 3. & l. ult. de re milit.* Ita & studiosus, licet statum suum mutet, obligatus manet, donec sacramento solvatur ab eo cui id præstitit. Quin imò licet Magistratus Academicus, cui juramentum datum est illud remiserit, nihilominùs tamen in foro conscientiæ tenetur Academiæ tanquam fideli nutrici dignam gratiam laboris reddere, ne ingrati crimen & pœnam incidat, idq; Poetæ audire cogatur,

Ah miser & si quis primùm perjuria celat.
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

45. Tandem oportet studiosum post præmissa, re & facto esse studiosum, ut ita privilegia, officio, professioni itemq; fini ad quem data & concessa sunt correspondeant & satisfaciant, *Rebuff. in Auth. nostra Habita.*

46. Undè

46. Undè facile apparet quid statuendum sit de Vagabundis illis, Erronibus, & Scoristis, qui nomine saltem studiosi videntur. Tribuit quippe *Imperator* privilegia Scholaribus: At qui literis operam non dant, quomodo Scholares verè dici possent. Tum superaddit idem *Imperator* tribuere se illis solùm privilegia, qui studiorum causa peregrinantur, quod de his minimè asseri potest, qui studia penitùs negligunt, alijsq; exercitijs à studiosorum professione alienis incumbunt. Insuper & rationes ob quas privilegia ab *Imperatore* conceduntur in hisce planè deficiunt; *de quibus infr.*

47. Et hæc de studiosis, sive ut Imperator dicit Scholaribus, sequuntur jam in ordine Authenticæ nostræ Professores. Quamvis autem inter Professores legum divinarum atq; sacrarum Antecessores imprimis honoratos voluerit, tamen & Professorum nomine Medicos & Philosophos contineri verius est, utpote quibus humana societas carere nequit: tum etiam dicuntur professores *l. 6. & 7. C. de Profess. & Med.* Nec obstat quod *L. 1. ff. de var. & extraord. cognit.* à cæteris Professoribus distinguantur, id enim eò pertinet, quod Philosophis de salarijs, ut & JCtis jus non dicatur, cum eorum scientia sanctior sit, quam ut pretio nummario æstimari vel pensari possit, imò quod hoc primùm eos profiteri oporteat, mercenariam operam spernere, *d. l 1. §. 4.*

48. Ratione præcedentium elegans illa oritur quæstio. Anne etiam Doctores non Professores vel non legentes vel publicè discentes sed advocationis officio perfungentes, privilegijs perfrui dignum & justum sit. Sunt sanè magni nominis JCti qui negativam defendunt, ast *Cothmannus resp. acad. 14.* argumenta eorum solidè refutat, nec simplices suæ assertionis dat rationes, ad quem B. L. remitto.

49. Loco

49. Loco tertio in Auth. nostra succedunt nuntij & servitores Academiarum. Hos verò intelligimus, quorum ministerio ad studiorum promotionem & negotiorum expeditionem, Academiæ & Academici carere nequeunt: sub horum classem referri etiam possunt, ancillæ, famuli, & si qui alij, uti etiam Typographi.

50. Sunt & qui hùc uxores & liberos referant, verum meliùs sentire existimo illos qui uxores & filios non sub nuntiorum seu servitorum, sed sub ipsorum professorum classe contineri statuunt. Quippe Pater & filius, maritus & uxor pro una habentur persona & duo dicuntur in carne una, prout multis fundamentis probari posset, indè rectè *l. 2. C. de Episc. & Cler.* privilegia non tantum clericis sed & ipsorum Conjugibus & liberis tribuuntur.

51. Et cum juris sit aperti maritum pati injuriam per uxorem, esseq; inter eos individuam conjunctionem, non videtur resistere illud quod alij ogganniunt; Privilegia esse personalia, ideò personam non egredi, neq; alijs communicari. Nam cum privilegia mariti communicantur uxori, non potest dici, ea egredi personam cui sunt concessa, sed in ea persona pleniorem quandam accipere interpretationem, juxta *l. pen. ff. de constit. princip.*

52. Illud non diffiteor de Viduis item liberis post mortem Professorum dubitare quem posse. Constat enim ex textu juris manifesto, personis privilegiarijs, quoad vivunt immunitatem attribui *l. archiatros in fine C. de metallis*, ex quo consequi videtur, mortuis personis, quibus immunitates concessæ erant, beneficium quoq; ipsum expirare & evanescere. Idem autem obtinere in viduis & liberis Professorum scribit Accursius *in l. medicos §. & filijs C. de Professoribus & Medic. item* Jacob. Thoming. *dec. 55. n. 28.*

Ubi

Ubi in eam sententiam ab amplissima Lipsensi Facultate responsum esse refert.

53. Nec illa rationum contrariarum est ultima, quod uxores & liberi immunitates habeant ex persona maritorum, & mariti immunitatibus perfruantur ob operam & industriam quam Reipublicæ præstant: Quocircà & ipsis personis privilegiatis extinctis, & opera & industria istarum personarum simul cessante, privilegia quoq; & immunitatum concessiones exspirare & emori, cum causa cessante effectum quoq; cessare notius sit quam ut comprobatione aliqua indigeat.

54. Verum enim verò hisce & similibus non refragantibus, diversam sententiam longè veriorem, justiorem & æquiorem esse existimat JCtus excellentiss. Dn. Ernestus Cothmannus p. m. *responso Academ. 15. n. 8. & seqq.* cui meritò tanquam Præceptori venerando, subscribo.

55. Cujus ratio prima adferri potest, ex ipsa fundatione Academiæ, quæ velut fundamentum & origo in hoc negotio cumprimis inspicienda, attendenda & sequenda est. Nam in illa non solis Professoribus & Doctoribus, sed & omnibus Academiæ membris immunitates conceduntur. At viduæ sine dubio Academiæ membra permanent, cum domicilium & forum mariti defuncti retineant, *l. 8. ff. de Senatoribus l. 22. §. vidua ff. ad municipalem*, imò in priori matrimonio stare tam diu censeantur, quam diu alteri nuptæ non sunt. *l. fin. C. de bon. quæ lib. Nov. 22. c. 20.*

56. 2. Contrarium quoq; sat liquet ex Imperiali rescripto *in l. medicos C. de Professorib. & med. lib. 10.* quo non solis Professoribus & Doctoribus, sed & eorum uxoribus immunitates nominatim conceduntur. Ex quo efficitur, maritorum mortuorum viduas nihilominùs retinere immunitates sibi concessas, Tum quia lex infinitè & simpliciter

pliciter loquitur, ideoq; finitè accipi & intelligi non debet, *l. de pretio ff. de publ. in rem act. l. 1. §. quod autem ff. de aleatoribus. l. 1. §. generaliter ff. de legat. præstand.* Tum quia alioqui mentio uxorum & filiorum, quos vivente marito & patre immunes esse non poterat dubitari, planè esset supervacua & otiosa, quod non est admittendum, cum leges nihil faciant, nihilvè dicant frustra & otiosè. *l. hac stipulatio. §. Divus ff. ut legat. nom. caveat. l. postliminij in fin. de capt. & postlim. revers.*

57. Pro tertio non indebile fundamentum huic assertioni præbet textus *in l. quotiens C. de privileg. Scholar.* qui immunitates, privilegia & prærogativas, quæ personis privilegiarijs indultæ & concessæ sunt, earundem viduis quoq; simpliciter & nominatim attribuit: Ubi autem textus habemus manifestos, nullus relinquitur locus altercationi *l. ille aut ille §. 1. ff. de legat. 3.* Neq; refert quod hunc textum quidam ea ratione evitari posse putent, quod de speciali privilegio & quidem ex speciali similiter ratione, nimirum ex vetustissima consuetudine introducto agat. Nam non tam casus eo loco propositus considerandus, quam ratio ab Imperatore allata, quod viduæ & filij privilegia tum retineant, quando conditionem viduitatis & fori non mutant, attendenda est.

58. Atq; ita nil refragantur fundamenta supra in contrarium allata. Nam textus *in d. l. archiatros*, etsi immunitates archiatris, quoad vivant attribuat, tamen de viduis eorum, ne verbo quidem uno mentionem quandam facit, tantum abest, ut eis immunitates ante datas eripiat: quod autem textus non dicit, neq; nos dicere debemus. Atqui dicat aliquis si hæc interpretatio recipiatur, otiosam esse mentionem, quæ de vita archiatrorum est facta. Ut igitur verba illa effectum sortiantur, necesse omnino est ea sic accipere,

cipere, ut privilegium mortuis archiatris simul evanescat. Sed parata est responsio: siquidem Imperatores non loquuntur de archiatris saltem illis, qui in officio sunt, sed & de ijs qui olim in officio fuerunt, & non illos tantum sed & hosce immunitatibus frui debere rescribunt, quemadmodum *l. habente 18. C. Theodos. de Med. & profess.* unde est descripta *d. l. archiatros* prolixius probat & demonstrat.

59. Ipsum quoq; *Accursium* & ejus Comites quod attinet, loquuntur illi de tributis & similibus oneribus quæ pro rebus immobilibus quibus inhærent, ipsæ viduæ subire tenentur. Et si ita non dicamus, Accursius certè sibi ipsi esset contrarius, cum alibi disertè scribat, viduæ privilegium quod vivo marito habebat, reservari. *l. filij. §. vidua verb. Domicilium ff. ad municipal.*

60. Sic nec tertia objectio quem movere potest, si modò rectè intelligatur. Etsi enim concedendum sit, Professoris, Doctoris vel Scholaris personam & operam ad immunitatum concessionem aliquid facere, tamen persona sola non est privilegij ejus causa immediata, ideoq; etiam persona extincta privilegium statim non perit. *Decian. respons. 31. n. 163. vol. 1.* Sed & aliæ præterea rationes sunt, ob quas privilegia & immunitates conceduntur, puta, dignitas *l. Magistros C. de Profess. & Med.* itemq; virtus *Baldus in d. auth. habita num. 10. in fin.* per quam Doctores etiam post mortem vivere creduntur, ut & commiseratio *authent. habita C. ne fil.* quam ad viduas velut miserabiles personas piè extendere licet, itemq; matrimonij vinculum. *Alexand. in l. pen. in pr. n. 10. ff. de jurisd.* Ac quamvis quoq; generaliter verum sit; Accessorium sequi naturam sui principalis *c. accessorium de reg. jur. in 6.* tamen nec ista regula nostro in casu tres ob causas obtinet, quarum prima, quia regula saltem ista vera est, nisi provisio sit specialis. *Dynus in hoc capit.*

num. 2. at hoc noſtro caſu proviſio eſt ſpecialis in uxoribus filijs & viduis. *d. l. medicos C. de profeſs. & med. d. l. quotiens C. de privileg. ſcholar.* 2. neq; homo propter nobilitatem ſuam alterius hominis acceſſio dici poteſt *l. juſtiſſimè in pr. ff. de ædil. edict. & 3.* etiamſi concedatur, maritum cauſam principalem matrimonij eſſe, maritus autem dum uxor in viduitate manet, adhuc vivere præſumatur, ut ſuprà ſat probatum, nequaquam privilegium ceſſabit.

61. Sufficiant etiam hæc de capite ſecundo, nempè de perſonis quibus privilegia noſtra Academica competant, nunc progredior ad tertium, in quo enudabo, quæ fuerint cauſæ hujus conſtitutionis Imperatoriæ impulſivæ. Poſſunt autem dupliciter illæ conſiderari. 1. Reſpectu ipſius Imperatoris 2. ratione Scholarium.

62. *Reſpectu Principis* ſive Imperatoris; Quia nimirum benefacientibus iterum benefaciendum natura monet *l. ſed etſi 21. §. conſuluit, ff. de petit. hered.* quod vel potiſſimùm Principi convenit, cujus eſt provocare Reipubl. commoda, & protegere eos, qui eam ſua ornant ſcientia, *ſec. noſtr. Auth. habita:* Ubi Imperator ait. *Dignum namq; exiſtimamus, ut cum bona facientes, noſtram laudem & protectionem omnes mereantur, eos quorum ſcientia illuminatur mundus & ad obediendum Deo & nobis ejus miniſtris vita ſubjectorum informatur, quadam ſpeciali dilectione ab omni injuria defendamus.*

63. Reſpectu ipſorum ſcholarium *ex auth. noſtr.* prima cauſa impulſiva elicitur ex beneficijs, quæ à ſcholaribus in Rempublicam redundant, ut ex modo allegatis verbis patet, *ſcil. cum eorum ſcientia totus illuminetur mundus, & ad obediendum Deo & principibus ejus miniſtris, vita ſubjectorum informetur.* Jam verò & naturalis ratio dictitat, eum moveri laude, & remuneratione dignum eſſe, qui virtute & ſcien-

& scientia cæteris præstet. *c. licet 8. quæst. 1. cap. multos distinct. 4. l. si quemquam C. de Episc. & Cleric. & similib.* Et ita *Ulpian. in l. 1. ff. de just. & jur.* profitetur; Legumlatoribus propositum esse, ut bonos etiam præmiorum exhortatione efficiant, & competenti remuneratione merita illorum persequantur, ut dicitur *in l. 1. §. in honorarijs ff. de extraord. cognit.*

64. 2. Impulit Imperatorem maximè, quod Scholares amore scientiæ fiant exules, id est peregrè tanquam in exilio tamen bono viventes. *Cicero lib. 5. Tuscul. quæst.* infit. Exilium in maximis malis ducitur. Item *in Oratione pro domo.* Quid enim exul? ipsum per se nomen calamitatis, & non semper turpitudinis. Licet itaq; exilium studiosorum honestum sit, ut maximè quando ex causa honesta procedit, omne tamen exilium trahit secum multa incommoda. Hinc laudati sunt Plato & alij Philosophi, quod amore scientiæ sint peregrinati: quam laudem etiam Imper. *in auth.* tribuit studiosis. Peregrini, ut ait *Plato lib. 5. de legib.* cum amicis, propinquis, cognatisq; careant, majorem apud Deum & homines merentur misericordiam. Inde dicebat Pythagoras, peregrinum virum justum, non modo cive, sed etiam cognato majoris faciendum esse. Dura enim à parentibus separatio, ab amicis & consanguineis absentia *l. 11. C. comm. utrius q; jud.* Durum charissimæ patriæ temporale exilium *l. 101. de legat. 3.* Durum inter homines ignotos conversatio, ut si in morbum inciderint, nullum ferè habeant, cui se tutò possint committere, uti jam quis meritò hoc in loco conqueri posset: si clade aliqua afficiantur, nullum inveniant, qui opem adferre velit, potiùs deridentur. Hoc benè considerans. Laudatissimus Imperator, tanquam pro causa tertia ipsum adducit contemptum, quando infit: *Et à vilissimis sæpè hominibus (quod graviter ferendum est)*

corporales injurias sine causa perferunt: cujus etiam si applicatio fieri deberet, non longè petenda foret.

65. Quartam privilegiorum causam dedit Scholarium paupertas, in quam se conjiciunt peregrinando, libros aliaq; sibi ad studia necessaria comparando. Sic Massurium Sabinum adeò pauperem fuisse legimus, ut auditores ipsum sustentare necessè habuerint? *l. 2. §. ult. ff. de O. J.* Sic ex divitibus fiunt pauperes ob bona in patria relicta, quæ ut plurimùm absente domino negliguntur. Anaxagores Philosophus cum dives esset, de studio reversus, possessiones inveniens desertas, dixit: *Salvus non essem, nisi istæ perijssent.*

66. Ultimam causam præbuit, multorum periculorum expositio, puta in itinere, quod terra mariq; suscipiendum, & sæpiùs per loca insidiosa eundum. *l. 3. ff. de donat. mort. caus. l. 2. si quis in judicio ff. si quis caut. l. si non fuerit §. 1. ff. pro socio.* imò sæpè in ipsis studiorum locis, forte ob ipsorum civium infensionem iniquam, vel ob pestem, sicuti, proh dolor, jam hìc Rostochij, vel ob bella, quibus Germania nostra undiq; ferè absumpta.

67. Undè non injucundè quæritur: an studiosorum privilegijs etiam gaudeant illi, qui in patria studijs invigilant? Etenim Johannes Sichardus, Julius Pacius, Salicetus, Albericus Odofredus & Dd. communiter id negant *in Auth. Habita.* Alijs contraria sententia videtur benignior & verior, veluti *Rebuff. in verb. perigrinantur in Auth. Horat. de privil. scholar. n. 27.* quos sequitur *Dn. Hunn. in tr. de privileg. studios. c. 1. q. 3.* Mihi placet litem conciliare illa distinctione. Aut causæ impulsivæ suprà traditæ possunt considerari separatim, & gaudent illi privilegijs, quia quædam etiam in ijs obtinent; aut debent considerari conjunctim, & non gaudent, quia omnes in eos non cadunt. Puto autem con-

conjunctim eas esse intelligendas, donec quis sit, qui certè demonstret, admittere causas istas separationem.

68. Succedit membrum quartum, in quo de ipsis privilegijs. Quamvis autem eorum quam plura ab interpretibus referantur, ea tamen *Imperator* hac auth. ad tria membra præcipua seu Cardinalia regit. Dum 1. Salvam Guardiam, seu liberum accessum Academicis tribuit. 2. Injuriam verbalem & realem ab ijs repellit. 3. Jurisdictione propria Academias munit & stabilit. Deniq; & horum privilegiorum violatores gravissimis pœnis coërcet.

69. Salva guardia, quæ verbo *veniant* comprehenditur, Academicis libertatem & exemptionem à vectigalibus, pedagijs, portorijs similibusq; exactionibus præstat. Quamvis autem non desint, qui idipsum hac constitutione expresè cautum non esse, autument, tamen cum Imperatori propositum fuerit, liberum commeatum præstare, is verò ejusmodi impositionibus impediatur, ideò ab ijsdem Academici, hujus Authenticæ argumento, liberi pronunciari possunt.

70. Notandum etiam obiter Salvam Guardiam hanc esse generalem, & non tantum accessum sed & discessum ac emigrationem præbere liberam; cum non minùs studiorum gratia peregrinentur, qui discedunt, quam qui veniunt ad Academias: sicut Reipubl. causa abesse intelligitur, qui ab eo negotio revertitur, *l. 4. de vacat. & excus. mun. l. 35. ex quib. caus. major.* Et nemo rectè dicitur posse venire securè, nisi idem quoq; possit securè redire, *l. sciendum 4. de legationib. l. & sciendum 6. ff. ad Trebell. l. 1. C. de naviculat. lib. 11.* Sic constat, ei videri etiam concessum privilegium in redeundo, qui habet privilegium eundo *Sichard. in Auth. habita n. 10.* quod imprimis hodierno tempore propter literas securitatis seu salvi conductus notari potest.

71. Præ-

71. Præterea suo hac data Salva Guardia nobile aliud continetur privilegium, exemptio nimirum à repressalijs, aliarumq; detentionum speciebus. Cujus privilegij respectu Authentica hæcce *Tit. Cod. Ne fil. pro Patre:* inserta est. Nam licet Clarigationes apud Latinos, Repressaliæ apud Italos, Saxamenta & Arrestationes apud Germanos certis casibus licita sint, & etiamnùm quibusdam in locis usurpentur, tamen detentiones istas adversus Academicos exerceri Imperator vetat, quando *in Auth. nostr.* sàt claris verbis infit. *Nec ob alterius cujusq; provinciæ delictum sive debitum (quod aliquando ex perversa consuetudine fieri audivimus) aliquod damnum eis inferat.* Securitas autem hæc non simpliciter personis sed & ipsorum bonis competit. *arg. nostr. auth. & l. nepos proculo ff. de V.S.*

72. Secundum Authenticæ nostræ cardinale privilegium illud est. *Ne Scholaris sive Studiosus injuria afficiatur,* & continetur his verbis: *Hac igitur generali & in æternum valitura lege sancimus, ut nullus de cætero tam audax inveniatur, qui aliquam scholaribus injuriam inferre præsumat.* Sed dixerit quis, qualenam hoc sit privilegium, cum jure communi idem & in omnibus personis cautum sit *l. 1. & tot. tit. ff. de injur.* At privilegium non est quod jure communi omnibus conceditur. *arg. l. 1. C. de thesaur.* Sed licet jure communi cuilibet debeatur securitas, nemoq; lædendus sit. *§. 3. Inst. de jur. & jur.* Voluit tamen Imperator specialiter ea de re loqui, ut innotesceret, eum curam agere reprimendæ improbitatis hujusmodi. *l. 16. §. 16. ff. de injurijs & l. 3. §. 1. Naut. caup. stabul.* & ea quæ notabiliter fiunt, nisi specialiter notentur, quasi neglecta videntur. Quin nec vulgaris securitas eis concessa est, ut nimirum invocatus magistratus tantum defendat bonarum literarum Studiosos à vi aperta, ut *in l. fin. in pr. ff. quod met. caus.* sed vere specialis:

quam

quam judices etiam non invocati, sed ex mero judicis arbitrio præstare debent, ut sint securi ab omni fraudulenta molestatione, quovis prætextu tentanda. Præterea est hoc privilegium etiam ratione pœnæ speciale. Nam si talis securitas Professoribus & Studiosis non servetur, non modò communem illam injuriarum pœnam, quæ omnibus adversus omnes jure introducta est, sed & quadruplum repetunt, Alioqui etiam propter turbata tantum scolasticorum studia, lex punit temeratores & magistratus negligentes infamia ac amissione dignitatis, non aliter ac si ipsi rerum aliquid abstuliissent, quam sanè non immeritò insignem ac specialem erga bonas literas clementiam, cum *Oldend. in Auth. n. verb. securè*, quis diceret.

73. Tertium uti etiam principale nostræ Authenticæ privilegium consistit in propria & peculiari concessa jurisdictione. Qualis verò sit illa quæ d. Auth. Magistratui Academico tribuitur, ancipiti Marte inter Juris Interpretes controvertitur. Multi namq; tum Veterum tum Neotericorum Doctorum, existimant, Fridericum Imperatorem tantummodò causarum civilium & delictorum privatorum cognitionem & coërcitionem Magistratui Academico concessisse, idq; satis probabiliter *Lucas de Penna de Privil. scholar.* arguit, ibiq; alij quàm plures.

74. Sin verò ex intentione Imper. quis loqui velit, fateri cogitur, eam eò directam esse, ut Scholares à jurisdictione judicum secularium, sæpè numero literis ac literatis iniquiorum eximantur, & ab injurijs tam verbalibus quam realibus defendantur. Quod vel inde patet, dum jurisdictionem concessam Imperator nullo modo limitat, vel restringit, sed omnium litium & negotiorum dijudicationem, magistratui Academico tribuit. Huc facit exemptio Clericorum, quibus scholares comparantur: Ea etenim non ad civiles tantum, sed & criminales causas refertur. *C. Cleri-*

cũ X. de jud. c. non ab homine X. eod. Sic comparantur quoq; Studioſi militibus. *l. advocati C. de advocat. diverſ. jud.* Aſt hi peculiarem magiſtratum, in omnibus tam civilibus quam criminalibus cauſis habent. *l. 3. de re mil. l. fin. de accuſ. arg. l. de militib. de cuſtod. & exhib. reor.*

75. Illud tamen negare nemo poteſt, jurisdictionem hanc Academicam plurimis in locis, temporum iniuria valdè eſſe imminutam. Unde hodie privilegia ſingularum Academiarum, magis ex fundationum Bullis & tranſactionum normis, quam Authentica hac noſtra æſtimari videmus.

76. Deniq; ſic pervenio ad membrum quintum, ex quo cognoſcere licet, quamdiu ſtudioſus privilegijs gaudeat. Ubi generaliter notandum perdere ſtudioſum privilegia dupliciter, extra Academiam & in Academia. Extra Academiam ſtudioſus delinquens (niſi ad hoc Academiæ privilegiatæ ſint) jus provocandi non habet. *l. 2. C. de priv. Schol.* Ad hoc membrum pertinet & illa Dd. cautela, ne ſtudioſi in itinere quando ſunt, illicitè aliena pro ſuis venditent & profiteantur, itemq; ut ſuppellectilem ſuam quam ſecum ferunt, ubi vectigal ſolvi debet, indicent, ſchedulamq; immunitatis, vulgò ein Paßbrieff oder Freyzettel / petant. *l. fin. §. Divi & ibi Dd. de publicanis.* Alias ſi Studioſus illicitè aliena pro ſuis vendicet, vectigal defraudare cenſetur, & res publicationi ſubjacent. *l. 1. ubi Bart. C. de navib. non excuſ. lib. 11. & l fin. C. de ann. & trib. lib. 10.* Unde etiam ſi ſuſpicio ſit contra ſtudioſos, quod merces vectigali ſubjectas etiam ſecum habeant, non videtur requirendi facultatem publicanis denegandam, *arg. l. requirendi C. de ſerv. fugit. item §. conceptum Inſtit. de fart. quod alias ſecus.*

77. In Academijs varijs etiam ex modis ſtudioſi privilegijs ſuis privantur, de quibus ego præcipuos tangam. Primò ſicut nihil magis ſtudioſos decet quam vitæ honeſtas & ſtudium virtutis *arg. l. 7. C. de Profeſſ. & Med.* ita è contrario

trario à professione studiosorum nihil magis alienum videtur, quam flagitijs & sceleribus esse deditos, quod si itaq; reperiantur quidam, qui nomine quidem se profiteantur studiosos, sed flagitijs & sceleribus, veluti helluationibus, adulterijs scortationibus indulgeant, meritò ij ab honesta studiosorum societate removeri, & tanquam nomine hoc & professione honoratissima indigni excludi debent.

78. Hæc tamen intellecta nolo, de ijs qui per casum quendam limites transgrediuntur: Siquidem humanum est labi & errare: Atq; idipsum sanctissimis quoq; viris quandoq; contigisse, & adhuc contingere cum historiæ sacræ & profanæ, tũ quotidiana experientia satis abundèq; demonstrant.

79. Secundò, sunt qui statuant Studiosos suis privari privilegijs, si quando negociationem exerceant. Quibus ita simpliciter adsentire mihi videtur periculosum, tutiùs esse credo, dicere, tum demum amittere eos privilegia sua, quando simul studia deserant. Cessante siquidem ac deficiente principali fine privilegij, cessat quoq; privilegium. Atqui in ejusmodi studiosis & professoribus, qui professionem & studia sua deserunt, & negociationem, sive mercimonia exercent, deficit principalis atq; præcipua ratio privilegiorum atq; immunitatum, à Divi Imperatore Friderico, professoribus atq; scholaribus concessorum: nempè illorum scientia non amplius illuminatur mundus &c. Ergò.

80. Tertiam amissionis causam tradunt Dd. si Studiosus vel quivis civis Academicus Academiæ valedicat, inq; patriam vel aliò migret, eo animo ad Academiã studiorum continuandorum & exercendorum gratia non revertendi.

81. Sanè non improbabilitèr illud ex *Authentica nostra* elicitur, siquidem illa privilegia prædicta concedit studiorum gratia perigrinantibus, & in eo loco ubi literarum studia exercentur commorantibus: quamvis hoc limitari etiam queat in eo qui quidẽ ex Academia in patriam discessit,

sit,& ad tempus ibi commoratur, modo animum revertendi & studia continuandi habeat; quippe si redierit, dubitandum minimè, quin jure postliminij pristina sua privilegia recipiat, nec propter temporalem absentiam privilegijs & immunitatibus suis privandus sit.

82. Hinc acerrimum Interpretum litigium est, Utrum studiosus relinquens Academiam semper jus postliminij habeat, ita ut non indigeat nova inscriptione, an vero tum demum si post aliquot annos revertatur.

83. Sunt qui dicunt, Studiosum per integrum quinquennium ab Academia absentem,& postea ad Academiam studiorum causa redeuntē, ipsum pro cive & membro Academico non habendum esse,nisi denuò atq; de novo matriculæ Academiæ nomen suum inscribi curarit, atq; ita sentiunt *Bartolus, Baldus, Petrus Rebuffus & alij.*

84. Rationem hujus suæ opinionis sumunt *ex l.2.C. de primicer.* Superaddunt etiam *l.fin.C.de advoc.diversor.jud.*

85. Verum cum contrarium *in Auth.nostr.* de Studiosis decisum sit, contra legem quoq; loqui erubescimus. Concedit autem Authentica nostra privilegia omnibus qui studiorum gratia peregrinantur,quod & in eo qui post quinquennium studiorum gratia revertitur locum habet.Ultimò privilegia amittuntur per justam relegationem, de qua *vide Dn. Hunn. tr. de privil. stud. lib. 1. cap. 7.*

86. Et tantum de privilegijs literatorum, & præsertim ex Constitutione *Auth.Habita C. ne fil. pro patr.* Reliqua privilegia studiosorum contenta videbis libris singulariter de ijs à Rebuffo, Lutio & alijs editis, quo te remitto.

87. Dicere etiam quædam ratione supr. præmissorum deberem de reliquis subditis, puta inferioris conditionis hominibus,veluti Mercatoribus, Sartoribus,Pistoribus, Rusticis & similibus, verum angustia temporis prohibeor. *Videat igitur B. L. ipse Dd.*

Disp. VII.

Disputationum JURIDICO-POLITICARUM SEPTIMA

DE LEGIBUS IN GENERE, EARUMQUE IN REPUBLICA UTILITATE.

RESPONDENTE

HENRICO Langenbecken
Hamburgense.

THESIS I.

A Magistratibus atque Subditis transitum facio ad Leges, sine quibus ut nihil stare, ita multò minùs Respublica florere potest: Ita ut rectè dixerint, *Plat. lib. 3. de legib. Arist. 4. Polit. cap. 4. Althus. Politic. cap. 10. num. 8.* quemadmodum homines absq; societate mutua vivere non possunt, ita neq; societas ulla tuta vel diuturna esse potest absq; legibus. Sunt enim Leges in Republica nihil aliud quam in certas regulas conscripta virtus & ratio vivendi *Libor. à Bodenstein c. 3. Jurispr. Polit.* munus Dei *l. 2. de Legib.* sponsio Reipubl. *l. 1. eod.* Hinc veteres animam civitatis leges esse dixerunt, perindeq; felicem aut infelicem evadere Rempubl. ut bonis malisq; legibus temparata esset: Unde & oculi Reipubl. *Nov. Leon. 19.* Parentes *Nov. Leon. 105.* sustentaculum & fundamentum *Nov. Leon. 36. in pr. R. A. de Anno 1500. in pr. ibi.* Wann

aber außländischer Krieg gantz vnverfenglich/ wo nicht vorhin redlich gut Regiment/ Recht/ Gericht vnd Handhabung were/ auff denen als Grundpossen/ alle Reich vnd Gewalt ruhen.

2. De Legibus igitur præsenti hac in disputatione acturus, primò Legum tradam Etymologiam. Lex juxta Varronem à legendo dicta est: secundum JCtos verò ab eligendo, quod ex pluribus Statutis sit lecta, ut observetur una. Nonnulli etiam à legando legem derivant. Græcè dicitur νόμος ἀπὸ τοῦ νέμειν à tribuendo, quod unicuiq; suum tribuat, vel ἀπὸ τοῦ νέμειν ab administrando, quod omnia administret, vel imperando aut vetando vel permittendo aut puniendo, secundum *l. 7. ff. de Legib.*

3. Porrò Legis verbum generale est, & variè accipitur. Nam aliquando largissima significatione denotat omnem omninò legem, tam divinam quam humanam, *ll. 2. ff. de legib.* Interdum sumitur pro jure civili sive scripto sive non scripto, quomodo accipiendum videtur *in l. 1. C. ne fidej. vel mandat. dot. dent.* ibi *sive ex jure sive ex consuetudine lex proficiscitur.* aliquando tantum pro jure scripto, ut *l. 9. ff. d. J. & J. S. 1. de jure natur. 4. pro lege XII. tabb. at l. 2. §. 2. ff. de orig. jur. l. 7. §. 14. inf. de pact. l. 13. §. ult. ff. de s. p. r. 5.* pro jure, quod populus Romanus Senatorio magistratu interrogante constituit. *§. 4. Inst. de jur. nat. g. & c. l. 7. pr. ff. de j. & j.* Sic & Plebiscitum lex dicitur, *l. 1. §. 1. ad L. Aquil.* uti etiam Constitutio Principis, *l. 16. pr. de pign. act. l. 1. §. 1. quib. mod. pign. vel hypothec. l. 1. C. de admin. tut.*

4. Definiri Lex potest, quod sit menti humanæ impressa notitia, & indè derivata atq; extructa ratio, præcipiens justa & prohibens injusta.

5. Dividitur Lex in genere, in divinam & humanam. Divina dicitur quæ ab ipso Deo lata est, atq; illa rursus triplex est, Moralis, Ceremonialis vel forensis,

6. Mo-

6. Moralis continet immutabilem Dei voluntatem, & immotam æternæ justitiæ regulam, omnibus præscriptam, consistentem præcipuè in Dei cultu, parentum Reverentia & dilectione proximi. *Deut. 17. 18. 19.*

7. Unde etiam hæc lex cum immotam Dei voluntatem continear, nulla Principis aut Majestatis dispensatione flecti potest: quia Magistratus est minister divinæ voluntatis, non dispensator *Rom. 13.* ideoq; rationem administrationis Deo reddet: *Sap. 6. v. 4. 5.* tum etiam minister non potest tollere voluntatem Domini immotam, vel circa eam dispensare. *Matth. 10. v. 24. Luc. 6. v. 40. Joh. 13. v. 16.* Quamobrem lex divina omnem transcendit magistratus potestatem *Lactant. lib. 5. de vero cultu.* Indeq; crimen quod Lege Dei morali capitale est, à Magistratu condonari vel mitigari non potest. *Bodin. l. de Republ. c. 10. p. 260.* quam quoq; quæstionem argumentis pro & contra allatis sat doctè examinat. *Dn. Hunn. in tr. de jurisdict. part. 1. q. 4. & 5.*

8. Lex Ceremonialis continebat doctrinam de ceremonijs hoc est de externis actionibus seu ritibus circa cultum divinum, sed quia majori ex parte umbratilis fuit & typica, ideoq; per Christi adventum, in quo veritas adumbrata exhibita, sublata. *Gal. 3. v. 24. Coloss. 2. v. 16. Eph. 2. v. 15.*

9. Forensis concernebat Politiam Judaicam, actiones & judicia, indeq; forensis & judicialis dicta. Hæc lex quia nobis lata non est, sed accommodata saltem ad certas personarum, temporum & causarum circumstantias, simpliciter etiam & absolutè nos non obligat. *Eckhard. in fascic. controvers. Theolog. c. 23.* Non enim Dominus eam tradidit per manus Mosis ut in gentes omnes promulgaretur & ubiq; vigeret, sed genti Judaicæ, quam in fidem suam,

clientelam & patrocinium susceperat, peculiariter Legislator esse voluit, *Syracid. 17. v. 14. 15.*

10. Et si adhuc lex ista absolutè nos stringeret, non tenerentur Christiani illis Magistratibus se subjicere, qui legibus diversis Rempubl. administrant, quod tamen scripturæ sacræ consentaneum non est, *1. Petr. 2. v. 13. Rom. 13. v. 5.* Sic ipse Paulus adversus injuriosos se civem Romanum Professus est, *Actor. 22. v. 25.* Quamobrem ista lex in foro nostro Christiano, non aliter quoad judiciorum directionem & causarum decisionem observatur, quam si ab habente potestatem legis condendæ, post legem N. T. fuerit approbata. *Menoch. 2. arbitr. cas. 290. n. 10.*

11. Post legem divinam sequitur humana, quæ est duplex publica vel privata. Publica quæ de Sacerdotibus & Magistratibus agit, atq; ad jus divinum propius accedit. Privata quæ ad singulorum utilitatem. *§. 3. Inst. de just. & jur.*

12. Privata lex seu jus privatum est tripartitum, collectum enim est ex naturalibus præceptis gentium & civilibus. *l. 1. §. 1. ff. de just. & j.* Hæcq; Juris distributio non tantum est JCtorum, sed & aliorum probatorum authorum. *Gell. lib. 13. cap. 3.*

13. Jus naturale Ulpianus & cum Ulpiano Justinianus definit quod natura omnia animalia docuit *d. l. 1. §. 3.* eamq; sententiam uterq; probat exemplis, & rei experientia, quæ desumuntur ex conjunctione & sociali vita, atq; corporis totiusq; vitæ tutela brutis quoq; familiari ac propria. Nam si rerum originem repetamus & intueamur, in ipsa creatione Jehova Deus animalibus brutis etiam benedixit, crescite, inquiens, & multiplicamini *Gen. 1. v. 22.* Cui divino quoq; jussui bruta parere & singulas species suis singulis speciebus jungi, & sic procreare & ex se nata fovere, res ipsa probat.

14. Illud

14. Illud jus naturale, quod cum divina providentia, *§. pen. instit. de J. N. G. & C.* ipsa rerum natura prodidit, *§. 11. Instit. de rer. divis.* & quodammodo cordibus insculpsit *Rom. 2. v. 15.* immutabile est, ideoq; nec illud Princeps, nec juris civilis auctoritas abrogare & mutare potest. *d. §. pen. Inst. de j. n. g. & c.* Naturæ quippè vinculum Principis authoritatem superat. *Valer. Maxim. lib. 7. c. 7. §. item.*

15. Est autem hoc jus immutabile in thesi & in totum, quamvis in hypothesi seu pro parte illi pro utilitate Reipublicæ jus civile derogare vel aliquid addere possit *l. 6. & ibi Dd. ff. de just. & jur.* Quod enim jus naturale dicit in genere; id jus civile quasi per species, ad varios vitæ humanæ casus & factorum themata accommodat. *d. l. 6. Wesenb. ad d. §. Instit. de jur. nat. g. & c.* Ita tamen ut non in totum à naturali ratione recedat. Nam sicut jus civile nihil aliud est, quam rivulus juris naturæ, Ernestus Cothm. *ad tit. Cod. de Legib. n. 50.* rivulus autem per multas ambages & circuitus, atq; aliquando longius à fonte recedat, sed tamen vim, robur & actionem suam à fonte habeat: ita jus civile per varias ac scrupulosas rerum, causarum, negociorumq; ambages & anfractus quidem excurrit, & fonte juris naturalis quandoq; recedit, sed tamen robur, vim & actionem suam, à lege naturæ tanquam fonte limpidissimo & uberrimo deducit. *Dn. Ernest. Cothm. d. l. n. 35.*

16. Jus gentium definiente eodem Ulpiano *in l. 1. §. 4. ff. de jur. & jur.* est, quo gentes humanæ utuntur. Quod jus gentium & jus naturæ dici potest, & non potest. Dicimus jus naturæ quando gentes secundum naturalem sive summam rationem, quam natura menti humanæ soli impressit, faciunt. Quod si verò gentes, ab hac ratione summa, & à naturalibus notitijs divortium faciant & deflectant, tunc gentium jus propriè jus naturæ dici nequit. Sic verbi

gratia, gentes ab eo naturæ jure aliquando discedunt, & jus aliquod juri naturæ adversum, vel certè ab illo diversum faciunt, quando præduram illam servitutem introducunt.

17. Jus gentium duplex est primævum & secundarium, Primævum, quod etiam JCt. *antiquum* appellatur, est, quod à principijs divinis, vel à recta naturali ratione originem traxit: veluti Deum colere, parentibus & patriæ obedire, *l. 2. ff. de J. & J.* proximum mutua affectione diligere.

18. Secundarium est, quod ab externis & civilibus principijs, non statim cum genere humano ortum, sed postmodum usu exigente, & humanis necessitatibus requirentibus introductum est. Unde etiam *in §. 2. vers. jus autem gentium* definitur: quod usu exigente & humanis necessitatibus à Gentibus constitutum est.

19. Huic juri gentium secundario tribuuntur dominia, distinctio agrorum, limitum positio, commercia, omnes penè contractus & obligationes *l. 5. ff. de just. & jur.* etiam contractus innominati & pacta *l 7. pr. §. 1. de pact.* gentes discretæ, regna condita, bella, captivitates, servitutes, manumissiones, libertinitas, patronatus. *l. 4. 5. ff. de just. & jur. §. 2. Inst. de jur. nat. g. & c. l. 1. §. ult. de contrah. empt. l. 1. ff. locati.* jus postliminij *l. pen. ff. de suis & legit. l. 5. §. 2. l. 19. pr. de capt. & postlim.*

20. Jus civile est, jus proprium civitatis sive populi, quod quisq; populus sibi pro utilitate sua constituit *l. 9. ff. de just. & jur. §. 1. Inst. de jur. nat.* addendo detrahendove aliquid juri civili. *l. 6. ff. d. t.*

21. Etsi verò tot sint species juris civilis, quot sunt populi sive civitates, nos tamen, cum simpliciter jus civile dicimus, semper intelligimus jus populi Romani *§. 2. Inst. de jur. nat.* sic si Poëtas dicas, apud Latinos intelligitur Virgilius,

sius, apud Græcos verò Homerus, & id per quandam excellentiam.

22. Ex hoc jure civili variæ ortæ sunt leges & decisiones: contractus etiam quidam & obligationes: ut stipulatio *arg. l. 17. §. ult. de pœn.* literarum obligatio, contractus Emphyteuticus *arg. §. 3. Inst. de locat.* dotis promissio, dotis datio *arg. l. 30. C. de jur. dot.* & similes.

23. Jus civile aliud scriptum est, aliud non scriptum. Juris scripti species sunt, Lex, Plebiscitum, SCtum, Principum placita, Magistratuum edicta, Responsa prudentum, *§. 3. Inst. de jur. nat. g. & civ.*

24. Prima juris civilis scripti species Lex est, quæ hoc loco strictè accipitur, & nihil aliud est quam sanctio sive jussum ejus, qui juris condendi vel constituendi habet auctoritatem. Sic initio urbis Romæ Reges sanciendo leges ad populum tulerunt *l. 2. §. postea. ff. de O. J.* deinde publica autoritate decem constituti sunt viri, per quos peterentur leges à Græcis civitatibus, & civitas fundaretur legibus, quas in tabulas eboreas præscriptas pro Rostris composuerunt, ut possent leges apertius percipi. Qui ipsi cum animadverterent, aliquid deesse istis primis legibus, ideoq; sequenti anno alias duas ad easdem tabulas adjecerunt, unde ita etiam appellatæ sunt Leges XII. *tabb. d. l. 2. §. postea.* Sed & procedente tempore populus ipse senatorio magistratu interrogante leges constituit. *§. constat. Inst. de jur. nat. gent. & civ.* Reliquæ species ordine videri possunt *in tit. Inst. de jur. nat. gent. &.*

25. Paucula saltem hæc addo de Magistratuum ut & Prætorum edictis, quæ ad jus civile referri non posse videtur dicere JCtus Papinianus, quando in *l. jus autem 7. ff. de justit. & jur.* Prætorum edicta à jure civili nominatim distinguit. Sed respondendum, Papinianum jus civile ibi su-

mei

mere restrictiùs, pro una scil. juris civilis parte, aliàs generaliori appellatione juris civilis scripti species etiam est jus Prætorium, uti constat *ex l. 8. ff. eod.*

26. Sine scripto jus venit, quod moribus & usu populi, vel majoris partis ipsius populi initiatum, continuatum & introductum est, vim legis habens, ut colligitur *ex text. §. nostri & ex l. de quibus ff. de legib. & ex c. consuetudo 1. distinct.* Ubi est sedes ordinaria materiæ consuetudinis. Potestq; dividi consuetudo in generalem, quæ ubiq; in imperio Romano servatur, & est loco legis *d. l. de quibus ff. de legib.* ut sunt consuetudines feudales: & in specialem, quæ in provincia certa, vel civitate est introducta; quæ vim habet statuti sive legis municipalis. *l. 3. de sepulch. viol. l. 1. 2. C. quæ sit long. consuetud.* Sunt qui in quatuor species eam partiantur & deducant, videlicet Universalem, Generalem, Specialem, & Specialissimam sive Singularem. *Host. in rubr. X. de consuet.*

27. Hîc antequam directò ad pleniorem illustrationem juris scripti descendam, paucula quædam de consuetudine præmittam. Et quidem primum erit de causa consuetudinis efficiente.

28. Consuetudinem autem introducere potest Populus, qui & legem condere *d. l. de quib. ff. de legib.* itaq; de populo liberò nil dubitationis est, de eo verò qui superiorem recognoscit maximè dubitatur. Sunt qui dicant scientiam & patientiam domini esse necessariam, alij contrà judicantes statuunt, sufficere si princeps superior non contradicat, quorum sententia usu quoq; receptior est.

29. Post causam efficientem attendenda veniunt requisita ad introducendam consuetudinem necessaria. Et 1. quidem requiritur, ut sit rationabilis, aliàs enim potiùs corruptela diceretur, *l. quod non ratione ff. de legib.* Unde non

debet

debet esse contra bonos mores, nec occasionem delinquendi præbere, neq; esse rerum impossibilium *l. impossibilium 18. ff. de R. J.* & turpium *l. generaliter 26. ff. de verb. oblig.* nec præscribere juri divino aut naturali. *c. frustrà c. quæ contra distinct. 8. c. 1. de consuet. lib. 6.* Hinc prava hodierna consuetudo seu potius corruptela fœnerandi non excusatur à peccato, cum sit contra jus divinum, Canonicum & civile novissimum.

30. Secundum requisitum bonæ consuetudinis est, ut sit præscripta vel inveterata, continuata & non interrupta: Ein vnverruckte / alte hergebrachte vnd verjärte gewonheit: Unde quæstio incidit, quantum tempus requiratur ad inducendam consuetudinem? Sunt qui illud definiant decennio, quod tempus decennij sit in jure tempus longum. *l. 1. in fin. ff. de aqua pluv. arcend. l. 2. C. de servit. l. 1. C. quæ sit long. consuetud.* idq; jure civili verum est. De jure Canonico distinguitur, ut si consuetudo sit præter jus, tempus illud sit decennij: si contra jus annorum quadriginta: si contra ea, quæ reservata sunt Principi in signum supremæ potestatis; temporis immemorialis, de quo pleniùs *gloss. in c. fin. de consuetud. Gail. 2. obs. pract. 31. n. 3. & seq. Mynsing. resp. 13. & resp. 43. n. 45.*

31. Præter hæc requirunt Dd. actuum frequentiam, *per l. 1. C. quæ sit long. consuet. & l. an in totum in fin. C. de ædif. privat.* Quot autem actus ad inducendam consuetudinem sint necessarij inter eosdem non convenit, quorum opiniones recensent. *Mynsing. Resp. 43. n. 43. & Menoch. de arbitr. judic. quæst. lib. 2. cen. 1. cas. 81.* Certè unum non sufficere omnibus convenit, idq; ita affirmavit Bart. *in l. de quibus, lect. 1. n. 11. & in ejusdem repetit. num. 13. ff. de Legib. Panorm. in d. c. fin. n. 17.* Etsi verò plerique; arbitrio judicis id committendum putent, relati à *Menoch. d. cas. 81. num. 4. &*

Mynsing. resp. 13. n. 24. arbitrium tamen istud etiam in duobus subsistere posse putant *Bart. d. l. n. 12. & ibi Jason. n. 85.* quæ sententia confirmari videtur à *glos. in c. Monasteria in fin. de vit. & honest. Cler.* Veramq; extra controversiam dicit *Mynsing. observ. 41. n. 7.* si actus illi duo sint judiciales, communemq; refert *Gail. 2. observ. 31. n. 7.* frequentius enim illud actum esse, quod actum est bis arguit. *l. 2. C. quæ sit long. consuetud.* Idem hodie esse, si actus sint extrajudiciales tradit. *Mich. Graß. in comm. opin. lib. 1. q. 10. & 11.*

32. Superaddunt & alij, ad validitatem consuetudinis hoc etiam desiderari, ut ipsa sit obtenta in judicio contradictorio, sententiam tamen contrariam communiùs obtinuisse, & frequentius receptum esse, etiam sine contradictione induci consuetudinem, testatur *Mynsing. d. observ. 41. n. 15. & seq.* atq; in Camera ita observari dicit *Gail. d. obs. 31. num. 8.* ut de veritate hujus sententiæ dubitari ampliùs non debeat.

33. Effectum consuetudinis quod attinet non minor est, quam ipsius legis *de quo infr.* Utpote cum juris civilis species sit, æquè atq; jus scriptum *l. de quib. ff. de legib. §. ex non scripto Inst. de jur. nat. gent. & civ. c. cum sit. consuet. X. de consuet.* & altera quædam natura *Menoch. consil. 12. n. 22.* itaq; omnes obligat ad scientiam cum aperta & nota est, item ad obedientiam aut ad pœnam in contractibus *l. si fundus 6. ff. de evict. l. quod si 31. §. quia assidua 18. de adil. edict.* in delictis. *Auth. qua in provincia C. ubi de crimin. l. saccularij 7. de extraord. crim. l. aut facta 16. §. pen. ff. de pœn.* in judicijs *l. 3. §. fin. ub. gl. de testib. Auth. jubemus ubi Bald. C. de judic.* & alijs id genus actionibus humanis. *l. 4. §. si de vectigalib. l. si quis donaturus 28. de usufructu. l. 4. C. de ædific. privat.*

34. Hu-

34. Hujus loci propria illa est quæstio. An consuetudo jure scripto sit potentior, h. e. An jus juri deroget, utrumq; enim jus est, & illud quod non scriptum & illud quod scriptum est? Equidem *Modestinus in l. fin. ff. de constit. princip.* ait. Constitutiones posteriores si contrariæ sint, prioribus præferri. Sane si vis legis, ut merito inspicienda est *l. scire 17. ff. de ll.* inspici debet, ex verbis istis sequetur, consuetudinem posteriorem derogare legi priori. Quam sententiam sat luculenter approbat Julianus *in l. de quibus 32. in fin. ff. de legib.* quando infit. Quare rectissimè etiam illud receptum est, ut leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur. Sic generalis consuetudo generaliter legem tollit, specialis specialiter, *l. 6. ff. quod cujusq. univers. nom. l. venditor 13. §. si constat ff. commun. præd.* Ratio est, quia quod juris est, id naturaliter per jus tollitur. *l. nihil tam naturale 25. ff. de R. J. l. prout. 80. ff. de solut. l. si unus 27. §. si pactus ff. de pact.* Et è contra quod juris non est, jus tollere non potest.

35. Neq; multum refragatur illud, quod rescripsit Constantinus Imper. *in l. 2. C. quæ sit long. consuetud.* his verbis. Consuetudinis & usus longævi, licet magna vis sit, non tamen adeò sui valitura momento est, ut vincat rationem vel legem, *cui consentit c. fin. de consuet. & c. cum causa de sentent.* Siquidem loquitur Imperator respectu temporum veterum. Nam constat juris condendi potestatem olim Populum Romanum habuisse. Condebat verò Populus jus consensu tam expresso quam tacito. Sed illam juris condendi potestatem populus in principem transtulit. *§. sed & quod Principi. Inst. de jur. nat. gent. & civ.* Ideoq; respiciens Imperator illam translationem, infit, licet vis magna sit consuetud. &c. tamen jam tanta vis non est, ut vincat

legem, i. e. per se non superat legem, sed munita authoritate Principis expressè vel tacitè.

36. Hæc, cui, responsio displicet, assumere potest, elegantem illam distinctionem. *Bart. ad d. l. de quibus n. 8. ff. de Legib. & in repet. ejusd. n. 5.* Aut consuetudo est secundum legem: aut præter legem: aut contra legem. Si consuetudo est secundum legem, virtus ejus est interpretari legem juxta. *l. 37. ff. de legib.* Si est præter legem, tunc ejus effectus est imitari legem, authoritate, ratione & obligatione, ut tantum valeat consuetudo, quantum lex *juxt. thes. supr. 33.* Si verò contra legem est, tum aut est contra legem divinam & naturalem in totum, & nullam neq; dispositivam, multò minùs abrogativam vim obtinet: aut contra legem humanam merè positivam, & tunc si ei contraria sit, & in viridi observantia posita, eam abrogandi vim habet, nisi lex in illa specie disponat, nullam contra eam induci posse consuetudinem, aut etiam inductam improbet, qualis est casus *in Auth. Cassa C. de SS. Eccles. Auth. Navigia C. de furt. & serv.*

37. A consuetudine non longè recedunt Statuta civitatum & approbatorum collegiorum, de quorum causa efficiente, materiali, formali & effectu *vid. Schneid. ad §. 1. Inst. de jur. nat. gent. & c. Dn. Reinking. in regim. secul. lib. 2. class. 2. cap. 10. per tot.* ubi nonnullas elegantes conclusiones de statutis diversorum locorum, addit.

38. Nunc revertor ad ipsam Legem scriptam, cujus intuitu dico, quemadmodum omnis justitiæ, juris & legum causa efficiens est Deus. *Exod. 20. Deut. 17. Esa. 56. vers. 1. ad Rom. 13. & 1. Cor. 12. ad Ephes. 4.* Providentia divina, *§. sed naturalia Instit. de jure nat. gent. & civ.* rerum natura, *§ singulorum Instit. de rer. divis.* ita & hujus.

39. Causa altera est Homo, de justitia & Legibus ex noti-

noticijs naturalibus rectè judicans, ad usum transferens, & opere implens. Primus omnium inter Legislatores seu Magistratus Moyses gentis Hebrææ divinas leges sacris literis explicavit. Phoronæus Rex, Græcis primus leges dedit, judiciaq; constituit. Mercurius Trismegistus, primus leges Ægyptijs tradidit. Solon primus Leges Athenienſibus promulgavit. Lycurgus primus Lacedæmonijs jura confinxit. Numa Pompilius, primus Leges Romanis edidit, teste *Isidoro lib. 5. originat. c. 1.* quæ Isidori historia est canonizata *cap. 1. distinct. 7.*

40. Numam secuti sunt alij Reges *l. 2. §. 2. ff. de orig. jur.* decemviri *d. l. 2. §. 4.* populus Romanus *§. Jus autem Inst. de jur. nat. gent. & c.* plebs *d. l. 2. §. 10.* Senatus *d. l. 2. §. 9. l. non ambigitur ff. de legib.* Prætores *d. l. 2. §. 10.* Princeps sive Imperator *l. 1. ff. de constit. princip. l. fin. C. de ll.* Jurisconsulti *l. nulla C. de procurat.* & hodie iterum quivis populus, vel per se, si superiorem non recognoscat, vel superioris quem agnoscit, auctoritate & consensu.

41. Causa instrumentalis legis itidem sunt homines idonei, rerum divinarum atq; humanarum & cumprimis vere politicarum periti, *c. Moyses distinct. 1.* qui tam doctrina legum quam experientia rerum, studioq; Reipubl. indefesso & laudabili proposito polleant *§. 1. de Justin. C. confirm.* & ad leges suadendas, componendas, ferendas, scribendas, interpretandas, regendas & in melius producendas, sive ad usum societatis humanæ formandas & accommodandas sufficiant. *§. 1. de nov. C. faciend. l. 2. §. post originem ff. de orig. jur.*

42. Causa impulsiva alia est legis divinæ, alia humanæ. Divinæ est justitia & misericordia Dei. Justitia impellit Deum ad præceptum obedientiæ creaturis dandum, & ad legem mortis transgressoribus imponendam, *Genes. 2.*

v. 17. Misericordia Deum impellit, ad legem vitæ pœnitentibus per Christum gratis donandæ *Gen. 3. v. 15. ad Rom. 5. vers. 21.* Legis verò humanæ causa impulsiva primaria est motus divinus, *l. fin. C. de præscript. long. temp.* Motus legislatoris spontaneus *l. leges 3. C. de legib.* causis secundis & externis incitatus vel adjutus, puta, necessitate *l. pen. ff. de ll. l. 2. §. his legibus 5. & §. deinde 9. ff. de orig. jur.* Utilitate, eaq; vel publica *l. 1. §. 2. l. 7. ff. de just. & jur. auth. habita. C. ne fil. pro patr.* vel privata *d. l. 1. §. 2.* relatione judicantium *l. 2. l. 3. C. de ll.* litium multitudine *d. l. 3. l. fin. C. d ell.* suggestione judicantium *d. l. 2. l. cum de novo l. fin. C. de ll.* querelis subditorum *cap. 1. in pr. de prohibit. feud. alienat. per Frider.* precationibus sive precibus supplicantium *l. 3. C. de ll. l. 1. & tot. tit. C. de precib. Imper. offerend.* delinquentium frequentia *l. aut facta §. fin. ff. de pœnis.*

43. Materia legum varia est, alia enim perhibetur materia ex qua, suntq; notitiæ naturales de justitia & de jure, menti humanæ per Deum impressæ & infusæ. Huc pertinet & ipsum factum, ipsa causa *l. si ex plagis ff. ad L. Aquiliam* ipsa res *l. 1. §. Divus ff. ad L. Cornel. de sicar.* ipsum etiam negotium, ex quo jus oriri juris autores scribunt *l. 4. & seq. ff. de præscript. verb.* hoc est, ex factis circumstantijs, vel uti Paulus scribit, ex facti varietate, *l. in facto ff. de condit. & demonstrat.*

44. Quando vero ex factis jus constituitur, non illa in considerationem veniunt, quæ ex inopinato *l. 3. ff. de ll.* uno fortè casu *l. 4. eod.* vel etiam altero *l. 6. eod.* vel ex momentis temporum *l. precia 63. in fin. ff. ad L. Falcid. l. ult. in fin. infr. de bon. quæ lib.* Sed ex ijs quæ ut plurimùm *d. l. 3. ff. de ll.* frequenter & facile *l. 5. ff. eod.* plerumq; accidunt *l. neq; leges ff. eod.* Nam quod semel aut bis existit legislatores prætereunt, *l. 6. ff. d. t.* & modicum non curat

Præ-

Prætor *l. scio ff. de in integr. restitut. l. omninò ff. de impens. in res dot. fact. l. 1. §. fin. ff. de ventr. inspic.* Nisi forte natura aliquid singulare & raro contingens producat, de quo legem ferre necessarium vel utile sit, puta, si major quinquenaria pariat. *l. si major C. de legit. hered.* si tres vel plures pariter à matrefamil. nascantur. *l. antiqui ff. si pars hered. pet.* quorum utrumq; quidem admodum rarissimum est, tamen aliquando ita per naturam id comprobatum esse constat.

45. Objectum seu materia circa quam, sunt Personæ Res & actiones. *§. omne 12. Inst. de just. & jur. l. 1. ff. de stat. hom.* Personæ autem vel sunt publicæ. *l. 1. §. 2. verb. magistratus ff. de just. & jur. l. ex imperfecto ff. de leg. 3. l. digna C. de ll. c. justum distinct. 9.* Vel Ecclesiasticæ *d. l. 1. §. 2. verb. sacerdotib. ff. de just. & jur. l. 1. & tot. tit. C. de Episc. & Cleric.* vel privatæ *l. 1. ff. de stat. hom.* eæq; vel liberæ *l. 3. ff. eod.* vel libertinæ *l. 5. in pr. eod.* vel sui vel alieni juris *l. 1. & tot. tit. ff. qui sui vel alien. jur.* vel mares vel fœminæ *l. in multis ff. de stat. hom.* vel puberes vel impuberes *l. 1. ff. de tutel.* vel minores vel majores *l. 1. ff. & tot. de restit. in integr. & ex quib. causis major.* vel sanæ vel furiosæ mentis *l. 1. ff. de curat. furios.* vel temperantis vel prodigi animi homines: *l. 15. ff. de verb. oblig.*

46. De rebus earumq; divisione puto sât esse dictum disputatione *nostr. supr. 2.* quò B. L. remitto. Saltem brevem hîc quandam applicationem faciam rerum, seu materiarum in legibus nostris contentarum, ad jus sacrum & imprimis Decalogum.

47. Non dubito quin notum sit cuilibet, primum nostri Decalogi præceptum *vetare alienos Deos habere.* Quorsum collimant ea omnia quæ in Ethnicis legibus, de Religione, de ceremonijs, de idolis, sculptilibus, & cultu pseudodeorum apud gentes extant. *l. veluti 2. ff. de just. & jur.*

jur. Quicquid etiam legibus de vera pietate erga Deum, deq; sincero cultu Ecclesiastico latis continetur. *l. 1. & tot. C. de summ. Trin. & fid. Catholic.* Quicquid deniq; de justitia, & legibus ad cultum Dei pertinentibus in libris juris nostri præscriptum reperitur.

48. Sic, secundum præceptum habet *Non assumes nomen Dei in vanum.* Hùc quadrant leges omnes *ff. & C.* de jurejurando, de perjurijs, de veneficijs, in cantationibus, sortilegijs, mathematicis & inde promanantibus & dependentibus malis causis factisq;, item de pactis & transactionibus, de stipulationibus & verborum obligationibus, de fidejussoribus, novationibus alijsq; contractibus & promissionibus fide vel Christiana & politica sancitis atq; confirmatis.

49. Tertium præceptum nos docet diem Sabbati sanctificare: Hinc manarunt leges de Sacrosanctis Ecclesijs, templis & ferijs.

50. Quartum Decalogi præceptum *jubet honorare patrem & matrem, dominos & magistratus, & vice versa agit etiam de officio parentum, dominorum & magistratuum in liberos, servos & subditos.* Hinc fluxit titulus de patria & dominica potestate, lex Pompeja de parricidijs, lex Julia Majestatis, titulus de statu hominum, de his qui sui vel alieni juris sunt, de statu liberis, de adoptionibus, arrogationibus, emancipationibus & manumissionibus de tutelis & curationibns, de jure patronatus, de obsequijs parentibus & patronis præstandis, de operis libertorum, de operis servorum, de testamentis & ultimis voluntatibus, de imperijs & magistratibus, puta, de senatoribus officio consulis & aliorum magistratuum, de jurisdictione & similibus.

51. Sequitur quintum præceptum *quod prohibet occidere.* Hùc respiciunt leges sub *tit. ff. & C. ad L. Cornel.*

de

de sicarijs, ad L. Juliam Majestatis, legem Pompej. de parricidis, legem Juliam de vi publ. & privata, ad L. Aquiliam, de his qui dejecerint vel effuderint. de noxalibus actionibus.

52. In præcepto sexto dicitur. *Non mœchaberis.* Hujus etiam usum si quis in jure nostro desideret, sanè amplus est. Eò pertinent leges & tituli omnes sequentes. De sponsalibus, de donationibus ante nuptias, de ritu nuptiarum, de nuptijs & secundis nuptijs, de incestis & inutilibus nuptijs, de interdicto matrimonio inter pupillam & tutorem, de agnoscendis liberis & alendis, de dotis promissione, de jure dotium, de rei uxoriæ actione, de ventre inspiciendo custodiendoq; partu, de pactis conventis, tam super dote quam super donatione, de pactis dotalibus, titulus si ventris nomine mulier in possessionem mittatur, & tit. si mulier ventris nomine in possessione sit, de dote cauta non numerata, de donationibus inter virum & uxorem, de divortijs & repudijs, titul. soluto matrimonio quemadmodum dos petatur, tit. si dos constante matrim. solut. sit. tit. ne fidejuss. dotium dentur, de fundo dotali, de concubinis, de naturalibus liberis, Lex Julia de adulterijs.

53. Ad septimum præceptum, *quod prohibet furta*, referri possunt tituli de rerum divisione & adquirendo earum dominio, de usufructu, de servitutibus, de aleatoribus & aleæ lusu, de adquirenda possessione, de usurpationibus & usucapionibus, de furtis, de rebus amotis, de bonis vi raptis, de incendio, ruina, naufragio, de abigeis, de receptatoribus, de furibus balnearijs, de effractoribus, ex pilatæ hereditatis, de termino moto, lex Julia repetundarum, lex Julia peculatus, de sacrilegijs & de residuis, lex Julia de annona.

54. Sub præceptum octavum, quod vetat, testimonium falsum dicere contra proximum, pertinet titulus de calumniatoribus, si mensor falsum modum dixerit, de injurijs & famosis libellis, de dolo malo, lex Cornelia de falsis, lex diffamari, *C. de ingenu. manumiß. tot. tit.* de crimine stellionatus.

55. Præceptum decimum atq; nonum agunt de concupiscentia rerum alienarum, quorsum spectat titulus de servo corrupto, tit. de hereditatibus & successionibus, de postulando, de procuratoribus & defensoribus, de advocatis, deniq; omnia scelera & crimina, quæ ob solum affectum effectu verè non subsecuto puniri solent. *l. si quis non dicam rapere 5. C. de Episcop. & Cleric.*

56. Materia in qua sive subjecta legum vera sunt vel corda & mentes hominum, velut quædam carneæ & vivæ tabulæ ad imaginem Dei creatæ, quibus lex impressa vel inscripta est. *ad Rom. 1. vers. 19. & 32. & cap. 2. vers. 15. & 2. ad Cor. 3. vers. 3.* Vel tabulæ, eæq; vel lapideæ *Exod. 24. vers. 12. cap. 31. vers. 18. 2. ad Cor. 3. vers. 3.* vel eboreæ *l. 2. §. 4. ff. de Orig. jur.* vel æneæ *l. 2. C. Theodos. quemadmod. num. civil.* vel æreæ *l. 1. C. Theodos. de alim. quæ inop. par.* item rostra *d. l. 2 §. 4.* item mappæ cerussatæ vel linteæ *d. l. 1. C. Theodos.* Ut & album sive tabula albata *l. 2. §. eod. ff. de Orig. jur. l. si quis l. si familia ff. de jurisd. l. 1. C. de interdict. l. 1. §. eum quoq; ff. de edend.* item januæ, atria &c.

57. Forma justitiæ atq; legum duplex est, interna vel externa. *Interna* est ipsa lux divinitùs menti indita, quæ justa ab injustis, æqua ab iniquis, licita ab illicitis ratione discernit & suum cuiq; tribuit *ad Rom. 1. vers. 18. & seqq. l. 1. ff. de just. & jur. l. bona fides ff. depositi.* subq; hac jus etiam non scriptum contineri potest.

58. Formam *externam* tradunt Dd. ipsam Scripturam,

ram, quæ an abesse queat, disputatur inter eosdem: mihi, quoties hodiernum nostrum jus Romanum respicio, illorum sententia videtur probabilior, qui statuunt, scripturam necessariò requiri, quia scriptura specifica est differentia, qua hodiè sublatis illis veterum in statuendo jure solennitatibus, lex à consuetudine distinguitur. *c. lex est. distinct. l. l. jus civile. ff. de just. & jur. §. constat, §. sine scripto Inst. de jur. nat. gent. & c.* eaq; re lex inter partes seu species Juris scripti refertur, quanquam non inficior in eo quoq; differentiam esse, quod lex expresso consensu & approbatione, atq; suffragijs, aut certe ex principis authoritate uno tempore & fertur & valet: Consuetudo verò tacito totius Populi consensu, nec uno temporis puncto, sed longa diuturnitate inducitur, & temporis progressu vires acquirit. *l. 1. §. ult. ff. de aqua pluv. l. 3. §. duct. aqu. ff. de aqua quotid. & æstiv.*

59. Finis justitiæ & juris divina providentia constituti, ac menti nostræ impressi, atq; etiam juris inde extructi primarius est, ut sit testimonium de Deo, & ut Deus gloria & honore afficiatur *Exod. 20.* deinde ut sit singulis judicium & testis domesticus conscientiæ adversus peccata *ad Rom. 1. 2. & 13. v. 5.* & testimonium prohibeat futuri judicij divini *ad Rom. 2. v. 5. & seqq.*

60. Alter finis est ut civilis societas conservetur & salus populi in tutò sit. Nosq; nostri officij magis admoneamur, *l. 1. ff. de just. & jur. l. bona fides ff. depos.* bonum & æquum à malo & iniquo, justum ab injusto, licitum ab illicito separare discamus *l. 1 ff. de just. & jur.* ut indebita declinemus & permissa sectemur *l. leges 9. C. de ll.* ab injurijs defendamur *l. nullus C. de Judæis,* vitia emendentur, commendenturq; virtutes, quam rerum publ. anchoram firmissimam Solon esse dixit: atq; sic in rebus acquirendis, retinendis,

nendis, alienandis, omnibusq; contractibus pari jure summi cum infimis teneantur. Huc respiciens *Ulpianus in l. fin. ff. de ll.* infit, totum jus aut in acquirendo aut in conservando, aut in minuendo consistere. Quanquam hoc non ita simpliciter de universo jure, sed illo, quod ad res duntaxat pertinet, de quo *Ulp.* eo loci agit, dictum videri potest.

61. Effectus legis est, quod omnis anima legibus subdita sit *ad Rom. 13.* omnes & singulos obliget *l. jura ff. de ll. l. digna vox C. de ll.* tum ad scientiam *l. leges 9. C. eod. tot. tit. ff. de jur. & fact. ignor.* tum ad obedientiam *l. divus 7. ff. de jure patronatus,* aut ad pœnam *l. 2. ff. de ll.* quidam excipiunt Principem, qui cum jus rogandi abrogandiq; juris habeat, legibus solutum esse *l. princeps 31. ff. de ll.* etiamsi ille legibus vivat *l. digna C. de ll. §. fin. in fin. Instit. quib. mod. testam. infirm.* quod tamen ita simpliciter asserendum non puto, cum constet Principem æquè atq; privatum, nemini jus suum absq; legitima causa auferre posse.

62. Atq; hæc de legibus ipsis sequitur earundem executio: quæ consistit in administratione justitiæ & in executione in specie sic dicta. Administratur justitia per Magistratus, & quidem dupliciter judicialiter vel extrajudicialiter. In judicio personæ considerantur illæ. Judex, Actor, Reus. In judicis persona attendenda qualitas, officium, numerus. Judicium per se est duplex, criminale in quo judicantur delicta, civile in quo cæteræ deciduntur causæ. Executio in specie sic dicta consistit in irrogatione pœnarum tam capitalium quam non capitalium: Et fit per personas deputatas quas hodie carnifices vocamus. Uti cuilibet ex communi praxi constat. *add. Reinking. in regim. secul. lib. 2. class. 2. c. 12.*

Disputationum JURIDICO-POLITICARUM OCTAVA

DE STATU IMPERII NOSTRI ROMANO-GERMANICI, EJUSQUE IMPERATORE ET REGE.

RESPONDENTE
HENRICO FRICKEN
Rostoch.

THESIS I.

ET huc usq; de generalibus dixisse sufficiat, transeo nunc ad specialiora atq; accingor ad descriptionem Imperij nostri Romano-Germanici Constans autem, neq; vulgi opinio, sed magni nominis Theologorum, unanimi consensu multis seculorum ætatibus comprobata sententia est, Romanam Monarchiam in dnabus illis visionibus Colossi, & quatuor Bestiarum apud Danielem Prophetam *cap. 7.* adumbrari.

2. Hanc sententiam Lutherani tuentur ad unum omnes. Et Johannes Calvinus *ad Dan. 2. p. 21.* sic inquit: Hoc ὄφαμα statuæ, extra controversiam, quicunq; prædititi sunt sano judicio & candidè etiam cupiunt mentem Prophetæ exprimere, intelligunt de quatuor Monarchijs. *Et p. 22.* Interea verum est, quod dixi, nempe interpretes, qui & mediocri judicio pollent, & candore omnes ad unum,

hunc locum exponere de Monarchia Babylonica, Persica, Græca & Romana.

3. Sed dubitare hic quis posset, quî fiat, ut non expressis verbis, quarta etiam Monarchia Romana scil. quemadmodum cæteræ exprimatur. Cui responderi potest, licet non tot literis prout reliquæ, hæc Romana indicetur, attamen ex notis & figuris, quæ eventu ita comprobatæ sunt sat luculenter constare, quartam Monarchiam Romanam esse: tum etiam hæc non ita facile exprimi potuit, cum non ex una gente, sed ex plurimis diversissimisq; nationibus, diversissimæq; conditionis hominibus illa constituenda erat.

4. Signum primum quod attinet: Quarta illa bestia, per quam quarta quoq; intelligitur Monarchia, à Daniele Propheta describitur, ut ferocissima & terribilis admodum, quæ dentibus ferreis omnia devoret ac comminacat, & reliquum pedibus conculcet, quæq; à præcedentibus omnibus, diversa sit. Hæc sîad Imperium quoddam erunt applicanda, ad quod quæso præter Romanum applicabuntur. Siquidem & res ipsa satis id probat, ac nullum aliud, tanta potentia instructum, successit.

5. Deinde Daniel Propheta *cap. 2. vers. 34.* vaticinatur, sub Monarchia quarta nasci debuisse Christum. Sic enim interpretantur Theologi lapidem de monte excisum. Quid est (*inquit Augustinus*) mons, unde præcisus est lapis sine manibus? Regnum Judæorum: Quis est præcisus de monte sine manibus? Natus de gente Judæorum sine opere hominum, At Christus natus est sub Imperio Augusti, qui imperavit πᾶσι τῇ οἰκουμένῃ universæ terræ *Luc. 2. v. 1.*

6. Præterea Quartam illam Monarchiam Daniel describit, quod habeat decem cornua: At Romanum Imperium est bestia habens decem cornua *Apocal. 13. v. 1. & cap. 17.*

cap. 17. v. 12. plura qui desiderat adeat, *Reinking. in regim. class. 2. lib. 1. cap. 1.*

7. Constat ergo per illam quartam Monarchiam denotari Imperium Romanum. Ortum ejus quantum attinet, colligere possumus ex annotatione Historicorum, Imperium hoc à minimis initijs & summis angustijs paulatim ad summam potentiam perveniſſe, atq; felix Romanorum genus omnibus anteponi nationibus, omnibusq; gentibus dominari meruiſſe. *l. unic. in pr. C. de Justin. c. confirm.* vel ut in *Nov. 24. in præfat.* dicitur, totum ferè terrarum orbem sibi adjeciſſe. Quieſcere enim citius victrix aquila non potuit, quin armis aut armorum terrore percelleret, quantum ad Orientem eſt, & quantum Occidens reſpicit, & quantum ex utrisq; lateribus eſt. *Nov. 9. in præfat. Nov. 26. c. 2. Dn. Zachar. Vietor de cauſ. exempt. imperij concluſ. 1.*

8. Unde illud promanat, quod Roma caput orbis *l. 3. C. de conſulib.* Urbs æterna *l. unic. C. de privileg. corparat. urb. Rom.* Domus æternabilis & orbis Epitome *l. 3. & 5. C. Theodoſ. de condit. donat. Reinking. in regim. lib. 1. claſs. 2. cap. 6. n. 28.* Sacra, ſacratiſſima, Auguſta Magna, omnium dignitatum apex, & omnis magnitudinis decus: Legum patria, & fons ſacerdotij *d. Nov. 9. in princ.* Mundi miraculum, arx nationum ac Regum, lumen gentium, *Lipſ. de magnit. Rom. lib. 1. c. 2.* Omnium aliarum civitatum totius orbis Magiſtra, Orbis terrarum domina *ex Bodin. lib. 1. de Repub. c. 9.* Regina, &c. inſignita fuerit.

9. Hanc urbem nobiliſſimam Romam exſtruxerunt Romulus & Remus. Fuerunt autem hi duo gemelli, nati (prout referunt) ex Rhea Sylvia, filia Amulei Regis, vi compreſſa, quæ gemello partu enixo, vinculis fuit addicta, gemellis in profluentem amnem projectis: qui tamen divina Providentia ſervati, à Fauſtulo gregis præfecto reperti &

educati fuere, donec re comperta, Regem Amulejum interfecerunt, & Numitori Albana re permissa, ad condendam urbem animum appulerunt: & quidem in ijs locis, ubi expositi, ubi educati erant. Cumq; disputarent de principatu obtinendo, nescij uter illorum prior esset editus, augurio rum sorti res fuit commissa, ut qui plures vultures pro augurio haberet, is jus simul potestatis & primatus obtineret. Contigêre autem plures Romulo, & proinde oppidum de suo nomine inauguravit: Exorto postea bello inter Romulum & Remum de imperio, Remus occiditur: *Valent. Forster. in histor. de jur. civ. Rom. lib. 1. c. 4. fol. 24.*

10. Circa tempus urbis conditæ non conveniunt Historiographi. *Johan. Sleidan. lib. 1. de quat. Monarch. fol. 25.* Romæ urbis initium fuisse scribit, quo tempore Salmanasser Rex Assyrijs imperabat, nimirum anno conditi orbis 3212. *Forsterus d. lib. 1. c. 5.* initium ejus refert ad annum conditi orbis 3214. à capta Troja 432. Alij fundamenta ejus jacta tradunt Anno Mundi 3197. 21. April. ante natum Christum 751, quam sententiam ut simpliciorem & veriorem approbat *Dan. Otto. in jure publ. c. 2. fol. 40.*

11. Post urbem ita conditam primò Romana Respublica Monarchicam gubernationis formam sustinuit sub septem Regibus, quorum primus fuit Romulus, qui regnavit annos 35. Secundus, Numa Pompilius annos 43. 3. Tullius Hostilius, annos 32. Quartus Ancus Martius annos 24. Quintus, Lucius Tarquinius Priscus, annos 38. Sextus, Servilius, annos 44. Septimus, Lucius Tarquinius Superbus annos 25. istiq; Reges tam varij ingenio fuerunt, ut postulabat Reipubl. ratio & utilitas.

12. Cum autem Sextus Tarquinius, L. Tarquinij Superbi filius, pudicitiam Lucretiæ nocturna vi expugnaret, à Regibus imperium sublatum, & Democraticam formam Respubl.

Reſpubl. Romana ſortita eſt, atq; penes populum poteſtas fuit *l. 2. §. 3. ff. de orig. jur.* ſtatim poſt, placuit publica authoritate decem conſtitui viros, per quos darentur leges *d. l. 2. §. 4.* Deniq; ad Monarchicam gubernationem ſtatus relapſus eſt, dum populus in Auguſtum omnem ſuam poteſtatem contulit. *§. ſed & quod Principi Inſt. de jur. nat. gent. & c.*

13. In tali Monarchia longos poſt annos Imperium Romanum permanſit, uti videre eſt in libris Cronicorum Carionis, ita ut & tandem ad Germanos pervenerit, per quam autem occaſionem, maximè litigant Hiſtorici. Quidam perverſa fronte aſſerunt, Romanum Imperium à Græcis ad Francos eſſe translatum, & hinc ad familiam Othonum & gentem Saxonum ſummi Pontificis authoritate tranſijſſe. Sed commentum hoc eſt Pontificium, & adulatio, quæ omnia ad gratiam loquitur, nihil ad veritatem, ut inquit *Dreſſerus in vit. Carol. M.* veritati magis conſentaneum eſt, id adquiſitum divina favente Clementia à Carolo Magno, partim jure belli, partim populi Romani voluntate, electione & ſuffragio, partim deniq; Imperatorum Conſtantinopolitanorum conſenſu atq; approbatione, *Dn. Cluten. in Syllog. rer. quotidian. th. 4. Arniſæ. de translat. Imper. Rom. n. 20.*

14. Carolus enim à rerum geſtarum magnitudine & gloria Magnus dictus, inſigni expeditione Italiam ſibi ſubjecit, alia q; præclara geſſit. Hoc videns Populus Romanus, Carolum ob egregia in Chriſtianum nomen & Romanam ſedem merita ſalutavit cæſarem, acclamando: *Carolo Auguſto à Deo ordinato, Magno & pacifico Imperatori;* quod multorum hiſtoricorum teſtimonijs poſt alios probat, *Henning. Arniſ. de translat. Imperij, add. Joach. Clut. d. l. concluſ. 4. lit. h. & i.*

15. Cum autem Carolus jam electus Cæsar, (qui & domi virtutis exemplum, & foris Imperator optimus esset, videreturq; alto fruens pectoris sulco probi, consilia ex quo germinabant pulcherrima) intelligeret, inauguratione sua derogari Imperatoribus Orientalibus, suisq; humeris imponi onus, cujus nullum emolumentum, nullusq; fructus appareret; titulo Augustali penitùs abstinuit: donec legitima & justa quasi ἐνπλέχεια, quæ erat Imperatorum Constantinopolitanorum assensio, eam roborasset. Ut ergò hos placaret, diversos legatos ablegavit, per quos illorum amicitiam & pacem sempiternam expetijt, quæ post triennium tandem hoc pacto constitutæ: ut deinceps in omne tempus Imper. Carolus, omnesq; ejus posteri in Imperio Germanico nomen titulumq; Romani & Latini Imperatoris in Occidente, veteriq; Roma gererent: Nicephorus vero & Posteri ejus, Imperatores Romæ Novæ in Oriente audirent, & quod infra Neapolim in Italia est, ad Constantinopolitanum, reliquum ad Romanum pertineret imperium. Quam quoq; transactionem Michael, Nicephori successor ratam habuit.

16. Unde falsa apparet eorum opinio, qui coronam Imperialem à Romano pontifice petendam opinantur. Sunt ij jam olim à Frider. Imperat. anno 1157. Divinæ constitutioni & patrum decretis contrarij, atq; Ludovici Bavari generali Coloniæ promulgata constitutione mendacij, imo læsæ Majestatis rei declarati, qui Imperium à Papa petendum asseverant. *vid. Hier. Balb. Episc. Gutzens. in lib. de Coron. Caroli V. Imp. c. 19. Dn. Thom. Michael. de jurisd. conclus. 3.* Et quis quæso Romanus Pontifex consecravit Constantinopolitanos Imperatores? quis ante Carolum multos Christianos Cæsares? & ante Constantinum, quis consecravit Ethnicos Imperatores?

17. Sic

17. Sic Maximilianus I. coronam Imperialem à Romano Pontifice petere minimè sibi necessarium videri, cum Imperij Majestatem ab ordinibus acciperet, coram statibus professus est. Ferdinandus, Maximilianus II. Rudolphus II. Matthias I. invictissimi Imperatores nunquam Romæ coronati sunt. Idem observavit Rudolphus Haspurgensis, qui nunquam Italiam vidit, multò minùs Romæ coronatus, causamq; cur ad Pontificis Nicolai instantiam Romam ingredi recusaret, apologetico illo scitè exprimere solitus.

——*Me vestigia terrent.*
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.

18. Salsè quoq; ridenda anulis illa fabula Canonizatæ donationis Constantini Magni est, qua Sylvestro Papæ Romano, Romam totamq; Italiam cum omni Occidentalis Imperij Majestate concessam prætendunt.

19. Nam 1. à nullo Historicorum qui res gestas illius seculi literis consignarunt, ejus donationis fit mentio. Non ab Eusebio qui libris quinq; Constantini vitam diligentissimè descripsit, non à Socrate, non à Theodoreto & similibus. Qui si res minores chartis & memoriæ tradiderunt, quis verisimile ducet illos rem tanti momenti silentio fuisse præteritos?

20. Potius contrarium & experientia, quæ rerum magistra dicitur, constat, urbis Romæ, totius Italiæ, & reliqui Occidentis Imperium penes Constantini successores (haud unquam verò penes Papas) continua serie, usq; ad Gothicas & Vandalicas irruptiones & devastationes permansisse.

21. Quin & ipse Pius II. Pontifex (antea dictus Æneas Sylvius, ex celebri familia Piccolominiorum Senensium in Hetruria oriundus) sedulus rerum vetustate involutarum indagator (quo elegio eum ornat *Hieronim. Balb. Episc.*

Spisc. Gurtzenf. lib. de coronat. Car. V. sub rubr. de Christian. Impp.) in nobili illo Dialogo, quem ante Pontificatum in Germania edidit, Palea scripta de Constantino, ut subditicia & adulterina refellit, invehiturq; contra miseros (ut verba ejus sonant) Legistas, qui tantum sudant disputando, an illud valuerit, quod nullo unquam tempore fuit. *vid. etiam Thom. Mich. de jurisdict. conclus. 18. & Arnisc. de donat. Constant. Magni, & Anton. Coler. de jure Imperij Germ. sect. 5.*

22. Imo etsi Donationem illam Constantinianam, sive auctor ipse, sive successores ejus juramento confirmassent, tamen quia talis alienatio in præjudicium Imperij & contra Imperatoris honorem facta est, quilibet Imperator non obstante juramento illam revocare poterit, cum omnis Imperator & ipso jure teneatur & in coronatione sua jurare soleat, Honorem Imperij & jura coronæ alligata, conservare & augere, unde etiam dicitur semper Augustus, vulgò zu allen zeiten Mehrer des Reichs.

23. Præterea causa ob quam donatio facta dicitur, ficta est, fictæ & aliæ circumstantiæ. Narrant enim Constantinum in lepram incidisse, Paulumq; & Petrum illi apparuisse, & remedium morbi à Sylvestro Papa petere jussisse. Quamobrem accersitum Sylvestrum sacro baptismate illum tinxisse, & mox lepram evanuisse. Inde pietatis motu incensum Constantinum, Sylvestro contulisse coronam & omnem regiam dignitatem in urbe Romana & in Italia, & in partibus Occidentalibus, dimidiam verò totius Imperij partem in Orientalibus plagis sibi retinuisse.

24. Jam verò nullus Historicorum meminit, Constantinum fuisse lepra infectum, quod & ipse *Platina Scriptor Pontificius in vita Marcij* testatur, his verbis. De hac re à nullo Scriptorum fit mentio, non dico ab his qui Ethnici sunt habiti, sed ne à nostris quidem. Non reticuisset hoc

Oro-

Orosius, non Eutropius, non illi qui Constantini res gestas quam diligentissimè scripsêre.

25. Sic falsissimum quoq; est illud, quod statuant, Imperatorem Romanum esse Papæ Vasallum: Atq; parum eos juvant fundamenta, quæ pro stabilienda sua opinione afferre solent, quorum primum est juramentum Caroli Magni, Leoni Pontifici præstitum, in forma tali. Ego Carolus Imperator &c. in nomine Christi spondeo & profiteor coram Deo & beato Petro Apostolo, me protectorem aut defensorem fore hujus sanctæ Ecclesiæ Romanæ in omnibus utilitatibus, quatenus divino fultus fuero adjutorio.

26. Hoc enim capitulum si quis ponderet, magis refutat illorum opinionem quam ut stabiliat: Quippè aliud longè est protectionis aliud verò subjectionis vel recognitionis fidelitatem jurare: illud patrocinij, hoc inducit servitutis speciem. Rectè itaq; alij stultam hanc dicunt opinionem, quod Imperator præstet juramentum fidelitatis Papæ, sed esse juramentum puræ fidei Christianæ servandæ, & Ecclesiæ protegendæ, quod Deo principaliter & deinde Ecclesiæ præstatur.

27. Hæc quando vident refugiunt *ad c. 100. lib. 2. feud.* ubi expressè dicitur Imperatorem fidelitatem debere Romano Pontifici. Ast rectè etiam huic c. occurrit *Obrecht disp. feud. 2. th. 226.* quando dicit c. illud non simpliciter, sed eo casu esse accipiendum, quando Imperator à Pontifice feudum aliquod habet præter imperium. Tum enim Imperatorem Pontifici non ratione imperij, sed ditionis quam à Pontifice in feudum accepit, fidelitatem præstare, sine etiam Majestatis diminutione.

28. Illustrari hæc possunt elegantissimis præjudicijs. Sic Carolus V. regnum Neapolitanum, tanquam feudum à

Pontifice tenuit, ut ipse fatetur apud *Sleid. lib. 6.* neq; hoc, ut dictum est, majestatem lædit: Quia status hominis dividuus est distractionemq; admittit, *Dauth. de testam. n. 150. fol. 235.* Eademq; persona diversis qualitatibus prædita, pro diversis habetur. Neq; ex eo quod aliquis alterius fiduciarius ratione certæ alicujus ditionis existit, imperium ejus ei à quo illam ditionem recognoscit subjicit. Etsi enim Dominus aliquam consequitur præeminentiam & jurisdictionem in vasallum, ea tamen se extra controversiam & rem istam feudalem non extendit. *Hotom. illustr. quæst. 35.*

29. Sic Scotiæ Rex, ratione quarundam ditionum Angliæ fuit fiduciarius. Reges etiam Anglorum fidelitatis jusjurandum Regibus Francorum ratione quarundam provinciarum dederunt, Angliam tamen summa potestate rexerunt. *Bodin. 1. de Republ. cap. 9. pag. 171.* Rex Daniæ vasallus imperij est, ratione Holsatiæ, Hispanus, respectu Neapolitani vasallus Papæ, respectu Burgundiæ vasallus imperij, & ejus intuitu Legatos quoq; ad Comitia remittunt.

30. Rectius cum Bodino folium verteremus & diceremus, Pontifices Imperij Romani vasallos esse: Non enim Imperatores à Pontificibus, sed Pontifices Imperatorum largitione nobilissimas imperij ditiones tenent, *lib. 1. de Republ. cap. 9. pag. 213.* Quod & expressè in Comitijs Augustan. Maximilian. I. Imperator innuit, R. A. *de anno 1500. sub tit.* Wie man mit dem Bapst handeln soll. *& in §. 1. ejusd. tit. ibi:* Es soll auch das Reichs Regiment/ wo sich der Bapst wiedersetzte vnd keine hülffe darzu thun wolte/ Rathschlagen/ wie die Bäpstliche Heiligkeit zu solchem löblichen fürnehmen zu bewegen.

31. His ita præsuppositis non inutiliter quæritur: Annè hodiernum nostrum Germanorum Imperium rectè dicatur Romanum? Negativam exterarum nationum

Scripto-

Scriptores tuentur ferè omnes, signifer illorum est Bodinus: atq; etiam è Germanis nostris eandem in sententiam inclinare videtur *Johannes Sleidanus in Orat. ad Carol. V.* dum Imperium Romanum occidisse, & ad instar trium præcedentium Monarchiarum, dissipatum, quicquid in Africa & Asia olim tenuit, totum amissum esse scribit, & nihil omnino reliquum esse præter titulum & nomen.

32. Ast si rei veritatem penitius indagare libeat, rationibus tam ex sacris quam profanis auctoribus petitis, probari potest, Præsens nostrum Imperium, Romanum dici debere. Est enim confessione omnium ferè manifestum, invisione Danielis *c. 2. & 7.* de qua etiam supr. per quatuor regna, quæ quadruplicis materiæ varietate significantur, Monarchiam Chaldæorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum denotari, ultimamq; Romanorum scil. quæ partim ferrea, partim fictilis perhibetur, usq; ad adventum & regnum Christi perduraturam esse, inevitabili ergo consequentia evincitur, imperium hoc præsens aut adhuc Romanorum, aut Prophetiam Danielis falsam esse, quod posterius dicere haud congruit, *Petr. Gregor. Tholozan. lib. 6. de Republ. c. 13. n. 24.* prius ergò concedendum erit.

33. Deinde sicut cognominis similitudo inducit præsumptionem agnationis *l. cum precum C. de liberal. caus.* ita etiam insignium identitas ostendit, ejus esse rem qui insignia illa habet, *l. 1. C. de his quæ pœn. nom. l. 1. C. ut nem. priv.* Nam ut nomina imponuntur & recepta sunt ad cognoscendos homines *l. ad recognoscendos C. de ingen. manumiss. §. si quidem nomine Inst. de legat.* ita etiam insignia adinventa sunt ad cognoscendas familias & successiones veras, per signum enim cognoscitur signatum *l. quod si neq. §. fin. ff. de peric. & commod. rei vend. l. stigmata eod.* Atq; Imperator noster eadem insignia, quæ veterum Imperatorum

Romanorum fuerunt, habet, nempè Aquilam: relinquitur itaq; Imperatorem nostrum propter signum, i. e. Aquilam, aut signatum i. e. Imperium habere, aut injustè signum id præ se ferre, hoc verò qui dixerit nondum extitit, ergò necessarium illud admittendum erit.

34. Insuper in confesso est, quod Imperator noster tam Christianorum quam infidelium literis salutetur Romanorum Imperator. Sic Turcar. Imperat. *hoc tit.* eum compellit, apud *Nicol. Reusn. lib. 10. Epist. Turc.* Sic Reges alij suis in literis non inviti eo ipso condecorant, ipsiq; & Imperatores suis in mandatis & literis se Romanorum Imperatores appellitant, Wir Carl vel Ferdinandus Von Gottes Gnaden/erwehlter Römischer Käyser etc. Præsumendum autem non est sacratissimos Imperatores & Celsissimos Imperij Proceres, in publicis imperij constitutionibus falsam denominationem imperio multis lustrorum cursibus adscribere voluisse.

35. Deniq; si hoc Imperium nostrum simpliciter Germanicum & non Romanum dici deberet, non translatum à Græcis in Germanos, sed de novo aliud constitutum imperium fuisse, adserendum esset. *Sim. Pist. consil. 1. n. 8. int. Consil. Modestin.* atqui hoc non admittit concors omnium opinio, dum volunt imperium saltem à Græcis in Germanos translatum esse, ergo & illud adstruendum, quod adhuc hodie sit Romanum, & concludendum verbis *Guntheri in Ligur. lib. 1.*

Ex quo Romanum nostra virtute redemptum,
Hostibus expulsis, ad nos justissimus ordo
Transtulit imperium? Romani gloria regni
Nos penes est, &c.

36. Quibus sic disputatis, occurri etiam facile potest argumentis contrasentientium; omissis exterarum regionum,

gionum scriptoribus, scil. Gallis, qui rationibus fulciuntur nullis; sed saltem verba & voces emittunt: nec enim vel *Thuanus*, quod Germanicum vocet, vel *Costalius* quod Romanum imperium ubi sit, ignoret, propterea quicquam rei veritati detrahere possunt: ad *Sleidani* rationes, relicto etiam Bodino, me converto; quarum prima fuit supr. allata: Dissipatum esse imò occidisse; quod quia in quæstione, probandum apertiùs fuerat, nec enim sequitur, quicquid in Africa, Asia tenuit, amissum est, Ergo statim totum imperium amissum est: nam ut ad rem appositè loquitur *ex Zoanetto Marta Neopolitanus c. 21. p. 1. n. 27. de jurisd.* imprimis considerandum est, Romanum imperium non includi aut circumscribi loco, multò minus in persona unius vel plurium imperium, sed in universo orbe consistere, sicut anima in corpore, ergò destructa aliqua parte mundi vel à barbaris hostibus occupata, sive uno vel pluribus captis Imperatoribus, imperium totum nulla ratione poterit dici extinctum.

37. Cum igitur ex his constet Imperium hoc nostrum hodiernum rectè adhuc dici Romanum, propiùs accedendo quæritur, Qualis sit ejus Status. Sanè de eo per quam difficilis Jurisconsultorum & Politicorum est conflictus, quem alij simpliciter Monarchicum: alij Aristocraticum, alij ex Monarchia & Aristocratia temperatum, seu mixtum dicunt: alij rursus statum quidem Monarchicum, sed gubernationem Aristocraticam esse contendunt, in cujus quæstionis tam celebris decisione, ego primò de singulis speciebus paucula præmittam.

38. Monarchiam ergò quod attinet, notandum diligenter, vocabulum Monarchiæ ab auctoribus usurpari dupliciter, ut notat *Christophorus Besoldus in tract. de jurisd. Rom. q. 2.* Primò à Politicis ea Reipublicæ species Monarchiæ:

vocatur, ubi unus aliquis imperat solus & summam in Republica suam autoritatem habet, qui legibus est solutus, & qui nec intra nec extra suum territorium dominum agnoscit. Interdum verò Monarchia usurpatur pro magno aliquo Imperio, quod potentia, præeminentia & auctoritate, omnia alia Imperia superat: quodq; ut *Suetonius* alicubi dicit, arbitrium tenet orbis terrarum. Nec non *Christophorus Helvicus in differt. de quat. summ. imper. th. 10.* Quando infit, Monarchiæ voce utimur ex recepto more pro summo Imperio inter omnia eminente.

39. Aristocratia est quando Imperium residet penes Optimates, qui prudentia, justitia & cæteris virtutibus antecellunt, & propterea dicuntur optimates, quasi optimi ex omnium reliquorum numero.

40. Democratia est, quando penes universum populum est imperium. Qualis Romanæ Reipublicæ facies fuit, cum Tribuni plebis populi nomine omnia administrarentur. Hæc autem forma infima ac pessima censetur, quam nemo Prudentum unquam laudavit. *Aristot. 4. Polit.* Si enim populus judicat, non delectu aliquo, aut sapientia ducitur ad judicandum, sed sæpè impetu & quadam etiam temeritate. Nam non est consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia: & semper quidem quæ populus fecit, ferenda, sed non semper laudanda.

41. Illis præmissis, statuo, Imperium nostrum esse Monarchicum, licet non absurde quis dicere possit, in quibusdam, Aristocraticis rationibus esse temperatum & modificatum, nec tamen inde statim verè mixtum dicendum. Cum enim semper à Principaliori debeat fieri denominatio, ut constat ex doctrina Logicorum & constitutione Ulpiani *in l. quæritur 10. ff. de statu hom.* idq; semper quod magis obtinet spectetur *l. 3. ff. de ll.* Imperator verò noster alia splen-

splendidissima majestatis jura etiam sine procerum consilio, solus exerceat & obtineat, pluraq; sint in hoc Imperio, quæ Monarchiam arguant, quam quæ Aristocratiam, hinc rectè etiam à potiori parte Monarchicum dicimus & Imperatorem Monarcham.

42. Et tantum de ipso Imperio nostro Romano-Germanico, sequitur jam de ejus capite nempe Imperatore. Imperator imperij nostri caput quod sit, sat lucet *ex tit. 2. Aureæ Bullæ* ubi vocatur, Ein Weltlich Haupt. *ex Recess. Ratisbon. de anno 1566 §.* Wir wollen auch ubi Maximilianus II. ait, Wie wir den / als Römischer Käyser / vnd das oberste Häupt im Heiligen Reich *ex Recess. de anno 1570. §.* Nach erledigten: *ibi.* Haben wir als ein wachent Häupt des Römischen Käyserthumbs / & passim. Quemadmodum enim in mundo unus Deus qui omnia moderatur: in corpore Physico una anima, quæ imperat: ita Imperator imperium nostrum, tanquam summus & primus, regit ac dirigit. *Besold. class. 1. disp. Polit. th. 38.*

43. Unde etiam etymon ejus quasi à summa potestate imperandi deducitur, quod omnibus subjectis Romano Imperio imperet, & superiorem in temporalibus non agnoscat.

44. Differt hæc Etymologia ab illa antiqua, qua olim Imperatores dicebantur, qui exercitui, præerant, sive essent Consules, sive Proconsules, sive Prætores, sive Dictatores, & generaliter omnes Duces belli, *§. Servi autem Inst. de jure Personar.*

45. Dicebantur & olim Imperatores Augusti, (quamvis quoq; hodie hoc titulo utantur) circa quam voculam variæ Interpretum sunt argutiæ, quidam ab augurijs, quidam ab augendo esse contendunt: Melius videntur sentire, qui ab augendo dictam putant, siquidem ex historicis constat,

Octa-

Octavianum primùm hoc nomen à Senatu Romano accepisse, quia magno successu & felicitate in rebus agendis utebatur, & rempublicam mirè augebat, nam Romanum Imperium ab Oriente in Occidentem, à Septentrione in Meridiem, per totum Oceani circulum cunctas gentes una pace compositas sua ditione tenebat *Petr. de Andlo lib. 1. de Rom. imper. cap. 7.* indè adhuc est, quod Imperatores hoc titulo utantur, Allezeit Mehrer des Reichs.

46. Sic vocabantur etiam Cæsares. Scribunt autores, qui priùs Cæsaris nomen adeptus est, ab eo sic dictum fuisse, quod Cæso matris utero esset natus: quod Plinius Scipioni Africano attribuit. Traduntur & aliæ hujus vocis etymologiæ, uti apud Grammaticos videre licet, Magis quadrat illa, Cæsares esse, quasi Principum quosdam filios, & designatos Augustæ Majestatis hæredes, ein Römischer König. Sic Justinianus cum esset Justini majoris ex sorore nepos, & ab eo adoptatus, Cæsar factus est.

47. Imperator, sive Augustus, sive Cæsar à *Tobia Paurmeistero lib. 2. de jurisd. Rom. c. 4. n. 6.* definitur, qui secundum Constitutionem Carolinam (quæ habetur *in tit. 2. Aur. Bull. de elect. Reg. Rom.*) legitimè electus est. Quæ definitio si fortasse cuipiam non satisfaciat, quia alia est quæstio, quomodo Imperator eligi debeat, alia quid sit, definiam seu potiùs describam ego illum ita: Quod Imperator sit supremus electus Princeps, qui summæ rei Romanæ præest.

48. Dico Electus, olim enim Imperium Romanum erat hereditarium. Sic Divus Augustus Tiberium Cæsarem: Tiberius Cajum Caligulam, heredes imperij reliquerunt: Sic Titus & Domitianus patri suo naturali Vespasiano successores fuerunt: nec non Nervæ Trajanus, Trajano Hadrianus & alij alijs: licet nonnunquam SCto renunciati fue-

fuerint Imperatores, quamvis ratius, frequentius exercituum suffragijs ad Imperium evehebantur. Ast hodiè Imperator Francofurti eligitur à solis Septemviris, & ante coronationem Rex Romanorum dicitur, uti infr. demonstrabitur.

49. Electioni autem huic est locus, quoties evenit, vacare nostrum Imperium Romanum; Vacare autem contingit non solum morte Imperatoris *tit. 1. §. A. B. §.* Wen es dazu kommen / sed etiam resignatione in manus Electorum facta *arg. cap. jam pridem & in c. ex transmissa, X. de renunc.* item religionis ingressu, ut testatur exemplum Lotharij I. qui Pruminense Monasterium ingressus est *Ott. Frising. lib. 6. Chronic. c. 1.* & filijs, Ludovico Imperium, Italiam & Galliæ partem Lothario tradidit. Deniq; vacare contingit imperium, quando ob gravissimas causas ab imperij gubernaculis Imperator ab Electoribus removetur, quod accidit Adolpho Nassovienſi. *Mynsing. resp. 19. n. 6.*

50. Una igitur causarum præcedentium incidente, Archiepiscopus & Elector Moguntinus, tanquam collegij Electoralis Decanus, Germaniæ Archicancellarius, electionem reliquis collegis coelectoribus quam primum intra mensem, à die mortis Imperatoris denunciat. *§. A. B. t. 1. §.* Wann es auch dazu kommen / simulq; intimat ut intra trium mensium spacium à die datarum literarum Francofurti ad Mœnum ad electionem novi Imperatoris conveniant, vel legales suos nuncios cum idonea instructione sine mora mittant. *d. t. 1. §.* Auch setzen vnd ordnen *& §.* Welcher Churfürst.

51. Quid si quidem Elector Moguntinus suo quidem officio satisfaciat, illi autem Electores legitimè vocati neq; per se neq; per legatos compareant? tum absentes privantur ista vice voce electionis, siquidem absentium legitimè

vocatorum ratio non habetur, adeo ut præsentes eorum absentia non obstante, electionis actum perficere possint, *per text. expressum in Recessu Imperij de anno 1529. §.* Vnd das mit ein solche/ *in fin. Recess. de anno 1541. §.* Wir auch Churfürsten / Fürsten / *ibi.* Wo aber jemandt vngehorsamb sein/ vnd zu solchen Tag die seinen nicht abfertigen würde / so sollen nichts desto weniger die Erscheinenden im handel fortfahren/ vnd was die Notturfft erfordern bedencken / berathschlagen vnd beschliessen.

52. Nec simpliciter sufficit comparitio sed & præter illam requiritur ad finem usq; mansio, nam si ante electionem recedant, æquè votum perdunt, ac si emansissent, quod & tum procedere statuit. *Buxtorff. in dissert. ad Aur. Bull. conclus. 25.* Quando non unus vel alter, sed & major pars Electorum ante Electionis finem recedat, 1. propter generalitatem textus supra citati 2. ne illorum absentia vergat in grave reipubl. detrimentum, contra *l. 45. C. de decurionibus 3.* confirmat idem præjudicio observato in Electione Ruperti, ubi quatuor tantum adfuerunt. 4. Quod in fine termini à lege statuti, nedum pauci, sed etiam unus de collegio eligere possit, *l. 7. §. decurionibus ff. quod cujusq; universit.* cum jus collegij etiam penes unum maneat, si reliqui vel inhabiles, vel mortui vel absentes sint, *d. l. 7. in fin. ff. de decur.*

53. Postquam jam, prout decet Electores vocati locum Electioni consecratum, Francofurtum scil. ingressi sunt, statim sequenti die, summo diluculo ad invocationem nominis divini in æde D. Bartholomæi conveniunt. *A. B. t. 2. in pr.* memores *Nov. 6.* Tunc benè & competenter omnia geruntur, si principium fiat decens & amabile Deo, *& c. Principatus 1. q. 1. ibi.* Ubi Christus non est fundamentum, nullum boni operis est superædificium,

54. So-

54. Solent vero cultum istum divinum celebratione Missæ inchoare. Ast cum Protestantes Principes talem cultum à verbo Dei alienum esse edocti sint, ideoq; dum Pontificij Missam celebrant, in proximum conclave vel Sacellum recedunt, donec illa peracta sit; atq; ita etiam observatum in electione Matthiæ Imperatoris & quorundam prædecessorum est. *Conf. Buxtorff. d. l. conclus. 27.*

55. Sacris sic peractis Electores, ad altare conveniunt, ubi Moguntinus Elector primus jurat, quod per fidem qua Deo & S. imperio adstrictus est, secundum omnem discretionem suam, Dei adjutus auxilio, velit eligere temporale caput populo Christiano, i. e. Regem Romanorum in Cæsarem promovendum, qui ad hoc existat idoneus, & quod vocem suam dare velit, absq; omni pacto, stipendio, pretio & promisso. *℞. B. tit. 2. §.* Ich Ertzbischoff. Quo juramento præstito, Moguntinus ab alijs quoq; Electoribus idipsum secundum formam & ritum *in A. B. d. c. 2.* præscriptum exigit.

56. Præstito quoq; ab Electoribus juramento, vel ab absentium nuncijs, rectò proceditur ad Electionem, neq; ex urbe Francofurtensi Electoribus discedere fas est, nisi prius omnes vel major pars ipsorum temporale caput Christiano populo elegerit. Unde in eodem *c. 2.* ℞. *A. B.* sancitur. Si intra 30. dies à die præstiti juramenti, continuò numerandos, electionem perficere distulerint, ex tunc panem manducent & aquam bibant, donec eam perficiant. *§.* Wo sie aber das verziehen. *d. t. 2.* idq; ad imitationem juris Canonici, quod eandem pœnam Cardinalibus electionem protrahentibus infligit. *c. ubi periculum de elect. in 6.* Nec sine ratione; quia mora ejusmodi in electionibus propter interregni incommoda est periculosa, ℞. *Arum. in* ℞. *Aur. Bull. discurs. 2. conclus. 11.*

57. Circa ipsum Electionis actum considerandæ venit Personæ eligendæ qualitas & forma sive modus ipsius electionis. Ad qualitatem seu habilitatem Imperatoris pertinet ut sit idoneus & dignus. Quæ dignitas non tam metienda externis Principis bonis, neq; respectus major habendus ad divitias ad potentiam & antiquitatem generis, quam ad eas animi facultates ingenijq; vires, quæ primariò ad gubernationis felicitatem requiruntur. Undè *Tholozan. lib. 7. de Republ. c. 16. 17. & 13.* ostendit, quàm malè cesserit hoc, quando Principes ob divitias electi fuerunt.

58. Pertinet hùc Canon *Keckermanni lib. 1. System. Polit. cap. 4. fol. 118.* In electione Electores respiciant magis ad requisita Principis fundamentalia & principalia, quam ad secundaria, ut sunt potentiæ, divitiæ, splendor familiæ &c. Nec longè hinc abit consilium Friderici Sapientis Electoris Saxonici, quod in hanc sententiam protulisse in conventu Electorum deprædicatur. Non esse in legendo Imperatore rationem habendam divitiarum, non esse familiæ potentioris, sed potiùs earum virtutum, quas Imperij administratio in Principe maximè desideret: esse verò, licet electus minoribus opibus sit, communi auxilio & subsidio, apum exemplo, quæ regi suo alimenta comportent, ne viris & viribus ullis destituatur, juvandum.

59. Præterea ad qualitatem personæ eligendæ respicit, ut eligatur natione Germanus & quidem vel Pontificiæ vel Protestantium religioni deditus. Etsi autem nihil derogandis exteris Aureæ Bullæ constitutio loquatur, attamen hoc exigit longa consuetudo & mos fidelissimæ vetustatis, quæ vitæ humanæ lege omni valentior. *Duar. ad l. 1. §. est autem pactio ff. de pact.* Hùc usq; enim exteræ nationis ad Imperialem dignitatem ascendere licuit in Imperio Germanico, cum tanto tempore omnes fuerint Germani. Quo ipso

ipso videtur etiam præscriptum, ut omnes deinceps debeant esse Germani.

60. Neq; sententia hæc suis caret rationibus. Cum enim propter virtutem & fortitudinem Germanorum, in persona Magni Caroli ad germanorum gentem translatum sit imperium *uti supr. monstratum*, indignum sanè esset, aliundè quærere Regem, & priscæ Germanorum virtuti, qua omnibus fere antecellunt nationibus & populis, aliquid detrahere. Quid si idoneus eligendus est, undè quæso magis idoneus, quam ex ipsa Germania, omnium virtutum cultrice, eligi poterit, quod & rerum gestarum evidentia & ipsius nominis arguit notatio.

61. Dicti enim sunt Germani à vocula germanica, gar man / quasi toti viri, à fortitudine prompta, vel quod sint quasi Germani fratres. Nam sicut frater Germanus non facilè deserit fratrem, ita & germani in prælio & in periculis constanter suis adhæserunt, nec facile quempiam suorum deseruerunt, licet, proh dolor, experientia hodierna contrarium teneat, non quod hodiè uti olim stare nequeant, sed quod non velint, vel directore legitimo careant.

62. Neq; moror Bodinum Germanici nominis hostem, qui Carolum, de quo nos gloriamur, natione Gallum, in Gallia natum, lingua quoq;, moribus & institutis, unà cum majoribus suis educatum scribit *in method. histor. cap. 7. fol. 421. & lib. 1. de Republ. cap. 9. num. 145.* quoniam non ex historiarum serie, verum in Gallos suos affectu pleraq; confundit, eumq; pungit vehementer repulsa Regum Galliæ, utq; Germanos repungeret, nullum ipse genus convitij omittendum censuit, ut loqditur *Hordleder. in discurs. ad Sleidanum th. 2.*

63. Qualitatem personæ sequitur ipsa forma seu modus Electionis in A. B. à Carolo IV. Noribergæ anno 1356. præscripta, quam sanctè Principes Electores observare tenentur, neq; etiam ipse Imperator eam abrogandi licentiam habet. Ejus enim est abrogare, cujus est sancire *l. nil tam naturale ff. de R. J. l. fin. C. de l.* At Imperator eam non solus, sed unà cum statibus Imperij promulgavit, ut ipse Imperator in præfatione A. B. testatur.

64. Deinde A. B. est lex imperij fundamentalis, ad cujus observantiam ipse etiam Imperator obligatur *Bodin. lib. 1. de Repub. c. 8. n. 88.* Nec tamen per hoc quicquam detrahitur Majestati Principis, siquidem pertinet illa lex tota ad salutem Imperij, ex qua ipsius Imperatoris auctoritas, salus & felicitas dependet. *Reinking. in regim. lib. 1. class. 3. c. 9. n. 5.*

65. Imo abolere ea jura, quibus Imperij dignitas, status Reipubl. atq; ipsius salus continetur, quid aliud est, quam seipsum pessundare? Non dicam de eo, quod Imperator inter cætera, quod A. B. mutare non velit, fide jurata adpromittere cogatur, cujus juramenti transgressores de solio Imperiali dejectos, exempla Wenceslai & Adolphi testantur.

66. Sic Electione perfecta, eidem designato Imperatori proponuntur certi articuli & conditiones ad quarum observantiam similiter vi juramenti adstringitur, vocanturq; uno nomine *Capitulatio*, ac in specie ad præscriptum Carolinæ constitutionis ferè talis est. Catholicam & Romanam Ecclesiam defendat: justitiam æquabiliter administret: neminem causâ indictâ proscribat: aut extrà Imperij terras vocet in judicium: Auream Bullam Carolinam confirmet: Senatum Imperij ut & alia munera, non exteris sed originarijs committat; Libertatem & Privilegia Statuum Imperij

sarta recta conservet: Liberam Electoribus potestatem relinquat: conventus eorum ad deliberandum de Republ. negotijs admittat: Imperium Romanum non tanquam hæreditarium, sed cujus ipse administrator sit & patronus agnoscat: ne quid ex Imperij bonis alienet: nevè ad suam familiam transferre conetur: confœderationes subditorum contra Principes Imperij planè tollat: novas sine Electorum consensu non ineat: nulla Comitiorum indictio, nulla belli denunciatio, militisvè peregrini deductio permittatur, nisi accedentibus Electorum suffragijs: eos, qui titulo non bono exemptionem à jurisdictione Romani Imperij præ se ferunt, ad obedientiam reducat: apud Pontificem, ne adversum pactiones antiquas, libertatem vè Imperij quid fiat, sedulò curet: bona vacantia Imperij nemini concedat: & si Statuum auxilijs provinciam occupârit, eam Imperio cedat: ea quæ ab Electoribus Palatino & Saxonico tempore interregni felicitèr gesta sunt, rata habeat: literas omnes aut Teutonica aut Latina lingua conscribi mandet. Electorum Rhenani circuli vectigalia sine causa & illegitimè non minuat: Et denique Statibus omnibus & singulis, amorem defensionem, juriumq; conservationem præstet.

67. Sed hoc loci plerisq; ab omnibus quæri video, An Cæsari statim post Electionem & quam primum juramentum præstitit competat jurisdictio, an verò tùm demum cum subsecuta fuerit coronatio. Sanè quod si juxta A. B. loqui vellimus ut meritò debemus, profiteri cogimur, peracta statim electione, dignitatem imperialem & summæ potestatis plenitudinem Imperatorem acquirere *c. 2. §. ult. d. c. A. B. confer R. A. de anno 1566. in pr. ib.* Durch vnser vnd des Heiligen Reichs Churfürsten einhellige Wahl/ zum Römischen König/ vnd angehenden Römischen Käyser ordentlichen

dentlicher weise erkorn/ vnd solche hohe Dignitet vnd Würde auff vns genommen.

68. Sic laudatissimos heroes Rudolphum I. Maximilianum I. & II. Ferdinandum, & invictissimum Rudolphum II. statim legitimè expedita electione, plenum jus obtinuisse satis notorium est. c. *Molin. in consuet. Paris. tit. 1. n. 73.*

69. Et licet aliundè non pateret, satis indè constaret, quod is qui modo præmisso in Imperatorem electus est, peracta statim electione, *sicuti supr. expositum*, universis & singulis Principus Electoribus, omnia ipsorum privilegia, & quicquid ipsi ab Imperio, usq; in diem electionis suæ obtinuerunt, absq; contradictione confirmare & renovare debeat. *d. t. 2. A. B.* Quæ confirmatio cum non nisi Regia authoritate fieri possit, necesse omninò est, eam in Imperatorem ipso electionis jure collatam esse.

70. Tum illustrari hæc possunt quodam simili. Quemadmodum enim ei, qui ad regnum natus, eveniente successionis casu, statim debetur Regis nomen etiam ante coronationem, *Arum. in A. B. conclus. 20.* ita etiam omnia acta & gesta ab Imperatore legitimè electo ante coronationem, perinde rata & firma sunt, ac si post coronationem celebrata fuissent.

71. Et quid multis opus? Annon expresse *in tit. 2. A. B. §.* Vnd dieweil cavetur, quod ante confirmationem privilegiorum Electoralium electus Imperator Romanus ad nullum actum Imperialis administrationis procedere possit. Ergo hoc sequitur, postquam confirmaverit, posse eum ad alios administrationis imperialis actus procedere.

72. Dicet autem quispiam, ad quid igitur conducit coronatio. Cui respondeo, per coronationem nil novi accedere Imperatori, non fieri ad necessitatem, sed magis ad ostentationem, ad authoritatem Electo stabiliendam & perso-

personam ejus omnibus & singulis notam faciendam. Neq; enim ideò Rex est, quia coronatur, sed propterea coronatur quia Rex est. *Arnisæ. de jur. Majest. c. 6. n. 7. lib. 1. 2. Chronic. 13. v. 11.* Siclicet Gallorum Regi Archiepiscopus Rhenensis coronam imponat *Sleid. lib. 19. comment.* nemini tamen dubium est, quin ante consecrationem Rex imperij possessione ac proprietate potiatur.

73. Modus coronandi hodiernus differt ab illo veteri, Olim enim triplex erat corona quæ imponi solebat, ferrea, argentea & aurea, per ferream fortitudinem significabant, qua rebelles comminuere debeat. *Schneid. in comment. Instit. ab rubr. n. 6.* hanc quidam referunt Imperatori imposuisse Archiepiscopum Colonienſem Aquisgrani, *juxt. Recess. de anno 1521. in pr. ibi.* Vnser Krönung zu fodderst in der Stadt Aach / wie sich inhalt der Gülden Bull / vnd der Heiligen Gesetz gebühret / empfangen haben / quod tamen negat *Buxtorff. in dissert. Aur. Bull. conclus. 46. lit. f.* ubi probat istam coronam, qua Imper. Aquisgrani coronatur, non fuisse ferream, sed auream, & testem ocularem adducit *H. Balb. de coronat.*

74. Secunda erat argentea, quam ingressus Italiam recipiebat ab Archiepiscopo Mediolanensi, qua mundities & claritas quæ in Principe esse debet significabatur. *Schneid. d. l.*

75. Tertia aurea, qua coronabatur à Papa, *c. venerabilem & ibi Canonistæ de Elect. R. A. de anno 1530. ibi. in pr.* Vnd vnsere Käyserliche Krönung / welche wir zu Rom hetten holen können. Nam sicut aurum est excellentius omnibus metallis: ita & ipse Imperator debet esse excellentior omnibus alijs Regibus & Principibus, in potentia & justitia, *de quo est gl. ordinaria in Clem. 1. sup. verb. vestigijs, de jurejur.*

76. Cum verò Romani Præsules hanc coronationis solennitatem ad præcisam aliquam necessitatem redige-

rent, ex indeq; imperij auctoritatem dependere, dicerent, sententia ista jam olim publica imperij sanctione, tempore Ludovici Bavari Coloniæ promulgata, explosa est, cujus constitutionis tenorem *vid. apud Reinking. lib. 1. class. 3. c. 3.*

77. Remansit saltem coronatio nostra Germanica, quæ perficitur actibus tam essentialibus tum accidentarijs. Unctione nimirum, insignium traditione, excipiendo, deducendo, reducendo novo Imperatore: Equitum creatione & similibus. Qui singula cognoscere avet, is legat varias Electionum & Coronationum Relationes, apud Goldast, extantes. *p. 1. 2. & 3. Polit. Imper.*

78. Non solum autem Electus Imperator, sed & si adsit Augusta paulò post coronanda venit: Augustam enim æquo per omnia jure Imperatores secum esse voluerunt, *l. 31. de LL. & imprimis Justin. l. 3. C. de quadr. præscript.* Hinc vel sua manu diademata ijs imposuerunt. Quod in Orientis imperio ita fieri oporters exempla apud *Theophanem, Cedrinum, Zonaram* ostendunt. Apud nos eadem forma, ijdem ritus, ceremoniæ, coronationis hujusce sunt, quæ etiam *supr. de Imperat.* traditæ, pauculis immutatis, quæ tangit *Goldast. p. 4. tit. 1. Polit.* Reichshändel/ubi simul quot Romæ, quot itidem in Germania Reginæ coronatæ sint, tradit.

79. Atq; hæc etiam de Electione & Coronatione Imperatoris & Augustæ, quam ordinariam appellamus. Disputationem jam claudet electio extraordinaria, quæ quandoq; extra ordinem suscipitur, Vivente Imperatore, diciturq; Electio Regis Romanorum: qui olim dicebatur, designatus Augustæ Majestatis heres. *l. fiscus §. fin. ff. de jure fisci l. etsi C. de Malefic. & Mathem.*

80. Hic Rex Romanorum ritè electus vacante Imperij sede, sine controversia indubitatus successor Imperatoris & Imperij dicitur, uti *Ferdin. Imper.* de se loquitur *in Recess.*

Receß. Imper. de anno 1559. in pr. ibi. Vnd als hie bevor erwehltem/ beſtättigtem vnd gekrönten Römiſchem König/ auch jhrer Liebden vnd Käyſerlicher Majeſtät im fall der Erledigung des Käyſerthumbs vnzweiffentligem rechten ſucceſſori: ideoq; etiam ſtatim à morte Imperatoris adminiſtrationem ſuſcipiunt, uti Maximil. II. fatetur R. A. *de anno 1566. in pr. ibi.* Das wir gleich alsbald nach tödlichem abgang gedachten vnſers geliebten Herrn vnd Vaters/ vns der adminiſtration des erledigten Käyſerthumbs vnterfangen.

81. Sed dubitari hic poteſt; annè vivo Imperatori heredem deſignare rationi ſit conſentaneum. Qui negativam tuentur ſane non levibus utuntur argumentis, quorum quædam adducam.

82. Et quidem primò pro fundamento adducunt *l. hereditas C. de pactis convent.* in qua dicitur, viventis nullam eſſe hereditatem: Cujus ratio videtur aſſignata, *in l. fin. C. de pact.* quod ſcil. præpoſtera regnandi cupiditas, facilè inducat votum captandæ mortis.

83. Pro 2. afferunt Præjudicium Magnifici Principis Philippi Haſſiæ Landgravij contra Henricum Ducem Brunſuicenſem. Cum enim Philippus Landgravius à Duce Brunſuicenſe incuſaretur, quod Imperialem dignitatem ad ſe transferre conaretur, in apologia ſuæ defenſionis ita reſpondit. Es gibt Hertzog N. vor/ wir wollen Käyſer ſein/ vnd ſchreiben vns den Gewalt ſelber zu. Das iſt warlich etwas/ vnd ein ding/ dadurch man noch Käyſer vnd König bewegen mochte. Wir wiſſen ja wol/ das es ein Crimen læſæ Majeſtatis were/ bey leben des Käyſers nach dem Käyſerlichen gewalt zu trachten. *vide Hordled.* in Reichshandl. *lib. 4. c. 7. n. 43.*

84. Verum licet ſpecioſa hæc videantur, tamen magis convenientia illa cenſentur, quæ vetus conſuetudo comprobat, cum conſuetudo vim veritatis obtineat, æquipare-

pareturq; regiæ dignitati: quid verò ad argumenta supra allata responderi queat, videri potest apud *Dn. Reinking. in regim. lib. 1. claß. 3. cap. 14.* qui eleganter hæc pro & contra disputavit.

85. Ad jus hujus Regis quod attinet, quamvis ex sola designatione administratio Regni plena commissa non videatur *Heig. ad Proæm. Instit. n. 59.* attamen Rex Romanus electus perpetuus imperij vicarius existit. *Thom. Mich. de jurisd. conclus. 29. Matth. Steph. de jurisd. lib. 2. p. 1. c. 2. num. 51. Schonborn. 5. Pol. c. 19.* idq; lege & auctoritate publica, ita ut absente vel impedito Imperatore, omnia jura Imperatoria exercere possit, & quidem jurisdictione ordinaria non mandata. R. A. zu Speyr *de anno 1532. §.* So hat dem allem. *Schonborn. lib. 5. Pol. c. 19.*

86. Eo consilio Carolus V. Imper. cum sæpiùs abesset, Ferdinandum Fratrem, Regem Romanum creari ab Electoribus petijt, & obtinuit: Quanquam Statibus quampluribus & potissimum Electore Saxonico repugnante. Aliàs de differentijs inter utrumq;, *vid. Arum. ad A. B. disc. 2. q. 21.*

87. Illud præterea discriminis inter utrumq; observatur, quod Imperator Regi Romanorum tribuat saltem titulum, seiner Liebden R. A. zu Speyr *de anno 1544. §.* Vnd dieweil aber wir. Rex verò Romanorum Imperatori adscribat Majestatem, *d. Recess. Spir. de anno 1542. §.* Damit auch solcher ordnung. Item Rex Romanorum Imperatorem dominum suum appellat, R. A. *de anno 1555. in fin. §.* Solches alles vnd jedes *ibi.* die Käyserliche Majestät vnserm lieben Bruder vnd Herrn: Imperator verò Carolus Ferdinandum Regem Romanorum simpliciter fratrem suum appellat

Dd. R. R. differentias plures vid. ap. Arum. ad A. B. disc. 2. q. 21.

Disp. IX.

Disputationum JURIDICO-POLITICARUM NONA

DE SUMMA SUMMI PRINCIPIS POTESTATE.

RESPONDENTE
ZACHARIA Schummern
Rostoch.

THESIS I.

DIvus Augustus, (ut à Sacro nomine de Sacra Majestate ventilatio hæc mea incipiat) Imperator ritè electus, diem illum lætissimus cogitabat, quo magnitudinem suam exueret & exponeret. Hoc si saltem quo ad unum comparationis membrum præsenti meo negotio applicare vellem, nonnè me, qui disputatione præcedente de Imperatoris summi electione, non quidem quantum rei dignitas postulabat, sed quantum virium facultas admittebat, egi, maximè felicem prædicarem, si saltem obiter quoq; quædam de summa summi Principis Majestate sive potestate proferre possem.

2. Dici Majestas à magnitudine non inconvenienter potest, eò quod magnitudinem, decus imperium, amplitudinem, potestatem, dignitatem, securitatem, status eminentioris aut sanctioris ut plurimum denotet.

5. Aliquando etiam eadem hæc Majestas potestatis plenitudo dicitur. *Bald. in l. 2. C. de serv. & aq.* atq; hoc modo usurpatur in novissimis imperij constitutionibus, quando *in Aur. Bull. tit. 3.* appellatur, Die Römische Käyserliche macht vnd vollkommenheit. eodem modo accipitur *in Recess. Imper. Spirens. de anno 1529. sub tit.* Käyserl. *constitution*, wie Brüder oder Schwester Kinder / *& sub tit. constit.* wieder die Wiedertäuff. / R. A. zu Augspurg *de anno 1530. §.* Nach dem auch an etlichen orten: Item reservata Cæsarea, Die Käyserliche Hoheit vnd Reservaten. R. A. zu Regenspurg *de anno 1576. §.* Dadurch dann *Cacheran. dec. 29. num. 5.* Item sacra sacrorum *secund. Eberh. in loc. leg. à plenit. potest.*

4. Sumitur Majestatis vocabulum tripliciter. Propriè 2. Non impropriè & 3. non propriè sivè impropriè. Cujus significationis triplicis antequam fiat applicatio paucis lubet præmissos explicare terminos.

5. Propriè itaq; id dicitur, quod secundum naturam rei dicitur, & quo nihil dici potest significantiùs, & cum aliqua res speciali sibi nomine, & deindè etiam cum alijs communi appellari potest, illud quod peculariùs sibi est, id ejus est proprium, cujus rei exemplum habemus *in l. 6. ff. de adulter.* ubi adulterium propriè in nuptam committi dicitur.

6. Non impropriè autem aliquid de aliqua re dicitur, quando aliquam habet similitudinem, analogiam & convenientiam cum propria nominis significatione, nec tamen propria est, cujus rei exemplum sumi potest. *ex l. 1. §. si vir aut uxor. ff. ad SCtm. Syllan.*

7. Non propriè vel impropriè id dicitur, quod proprietati dictionis illius, cui attribuitur contrarium est, cujus rei exemplum habemus *in l. propriè 83. ff. de V. S.* ubi JCt. ait,

ait, propriè bona dici non posse, quæ plus incommodi quàm commodi habent. Ita etiam Ulpianus *in l. 67. ff. eod. dicit.* Alienatum non propriè dicitur, quod adhuc in dominio venditoris manet: venditum tamen rectè dicetur.

8. Similiter differentia horum terminorum eleganter patet *ex l. 1. ff. de suis & legit. hered.* quando in pr. dicitur. Intestati propriè appellantur, qui cum possent testamentum facere, testati non sunt. Sed & is qui testamentum fecit, si ejus hereditas adita non est, vel ruptum vel irritum est testamentum, intestatus non impropriè dicetur discessisse. Planè qui testari non potuit, propriè non est intestatus: puta, impubes, furiosus, vel cui bonis interdictum est.

9. Hæc applicando nostris, *secund. supr. th.* positam quartam, dico, vocabulum Majestatis *propriè & strictè* loquendo, soli competere Imperatori, quia nulli Principi tantam deberi Majestatem, quantam Imperatori, dicit *Purpurat. in l. quicunq; num. 116. ff. de offic. ejus cui mand. est jurisd.* Et aliàs Imperialis fortuna omnes reliquas supereminet. *l. cum multa in fin. C. de bon. quæ lib.* Proindeq; jura omnia de Principe loquentia propriè Imperatori conveniunt. *Specul. tit. de Appell. §. videndum restat. in pr. lib. 2.*

10. Hinc est quod in Imperij conventibus nulli Regi Majestatis, sed saltem Regiæ dignitatis titulus attribuatur, Die Königliche würde zu Böheimb R. A. zu Eßlingen/ *de anno 1526. §.* Vnd sein diß die Churfürsten/ die Königliche würde zu Hungarn/ R. A. zu Regenspurg *de anno 1527. §.* Vnd als die Wolgeborne/ *Item* die Königliche würde von Engellandt. Sic & Ferdinandus Romanorum Rex Imperatori fratri Majestatem tribuit, Sorori verò Reginæ Hungariæ non item R. A. zu Nürmberg *de anno 1542. §.* Darauff wir dann sampt den Käyserlichen.

11. Non impropriè autem & ad imitationem Imperatoris, etiam alijs regibus populis & civitatibus, neminem nisi Deum sive de jure sive de facto superiorem recognoscentibus Majestas competit: qui in suis regnis & Rebuspublicis ad similitudinem Imperatoris, supremæ potestatis & majestatis jura sibi vendicant.

12. Unde Politici pro diversa ratione gubernationis Mjaestatem aliam dicunt Monarchicam, aliam Aristocraticam, aliam deniq; Democraticam. Neq; enim plures, præter has tres Rerumpublicarum formas, constituendæ sunt: *Plato* quidem quartam; quintam *Aristoteles*; nonnulli inter quos *Machiavellus*, sex, *Polybius* & cum illo *Thomas Morus* septem faciunt: quidam Principatum addunt: quorum tamen nec rationes nec authoritates quicquam movent. Cum enim status ex eo sit judicandus, ut videamus penes quos summa rerum potestas, nunquam certe reverà mixtus erit: tum etiamsi ex virtutibus & vitijs, vel quæ extra virtutum aut vitiorum fines sunt, munerum quoq; varietate eum æstimemus, infinitæ erunt Rerumpubl. formæ, quæ nec scientia nec præceptis contineri possent.

13. Inter illas autem tres rerumpubl. formas datas, quænam optima sit, non hodierno solummodo tempore, sed & antiquitùs disceptatum fuisse, ex illis tribus *Otanis* pro Democratiâ, *Megabizi* pro Aristocratia, *Darij* pro Monarchia Orationibus apud Herodotum constat. Rectè autem & prudenter *Persas* feciſſe autumo, quod *Darij* sententiam secuti sint.

14. Demum impropriè vel non propriè Majestatis appellatio tribuitur illis, qui jura quidem regalia & territorialia habent, superiorem tamen recognoscunt, quales sunt Electores & Principes Imperij, quibus non nisi impropriè

Majestas

Majestas tribui potest. *add. Dn. Reinking. in reg. secul. lib. 1. class. 3. c. 11. num. 20.*

15. Definitur Majestas à varijs variè, *Johannes Bodinus*, (qui Majestatis definitionem ab omnibus Philosophis & Jurisconsultis præteritam, posuisse sese omnium primò prædicat) *lib. 1. de Republ. c. 8. in pr.* eam ita definit, quod sit potestas in cives & subditos summa, perpetua legibusq; soluta.

16. Sed hanc definitionem hodiè ex Neotericis atro carbone notat *Tobias Paurmeisterus in tract. eleganti de jurisdict. Imper. Roman. lib. 1. c. 3. n. 22.* tum propter rationes logicas, ubi refert obscuritatis & malæ subductionis vitia, tum propter ipsius rei angustiam.

17. Sanè posterius membrum quod attinet, nemo negabit, quin rectè Paurmeisterus eum accuset angustiæ. Quis enim quæso non cernit, definitione isthac cives & subditos saltem contineri, peregrinos verò & illos qui jure commorationis, jure quoq; hospitij quodammodo sunt subjecti & quasi subditi minimè comprehendi?

18. Melior igitur mihi & accommodatior illorum videtur definitio, qui Majestatem definiunt, summam ac perpetuam, legibusq; solutam potestatem, in Republica authoritatem & Imperium obtinentem.

19. Principis Majestas in definitione quod appelletur summa Potestas, non hunc habet sensum ac si illa Majestas, à summis divitijs, locorum spatijs, numerosa Provinciarum multitudine definiatur? neutiquam. Nam non minùs Regis titulo gaudebat Emathion, angustis inclusis pagis, *Justin. lib. 7.* aut cui uxor cibaria coquebat. *Herod. lib. 8.* quàm Alexander Magnus, qui totum mundum sibi debellasse videbatur: aut Artaxerxes, qui regnavit ab India usq; Æthiopiam, super centum viginti septem provincias, *ut le-*

gitur c. 1. Esther v. 1. & apud *Plutarch. in vit. Artaxerx.* Sed & Evander æquè Rex salutatur, quantumvis parvi palatij, ac Trajanus & Diocletianus, qui aquilas Imperij Romani ultrà Ctesiphontem protulit.

20. Hinc Eumenes, etiamsi fractis opibus, nihil præter arcem, in qua obsidebatur, suum dicere poterat: cum tamen de pace ageretur cum Antigono respondit: superiorem se neminem accepturum, quamdiu gladium exertum manu teneret. Plut. in Eumene *& ex eo Bodin. lib. 1. de Republ. cap. 9. n. 144.* & idem *c. 2. ejusd. lib.* ait, ut Elephas, non magis animal dici debet, quam formica: sic Ragusia, civitatum verè omnium, quæ sunt in Europa, minima, non minùs Respublica dici debet, quam Turcarum aut Tartarorum, aut etiam Hispanorum, quorum imperia ijsdem finibus quibus solis cursus, terminantur. Sic Ulysses, cujus Imperium Ithacæ scopulo continebatur, Rex æquè dicitur ab Homero, atq; Agamemnon. Ratio ejus rei est, quia forma dat esse rei, non quantitas: & plus ac minus non variant speciem, ut Logicorum docent Scholæ.

21. Illi igitur rectè summa attribuitur Potestas, qui neminem hisce, in terris recognoscit præter Deum, cujus vicem in hoc mundo obtinet. Qualis in Imperio nostro Romano-Germanico, Imperator, qui soli Deo hanc gratiam acceptat fert, uti communi Septemvirorum Imperij decreto, Anno 1338. tempore Pontificis Benedicti publicato, pronunciatum est, referente Thom. Michaeli *de jurisdict. conclus. 2. lit. a.* Hinc de Friderico Barbarossa canit *Gunther. Ligurin. lib. 6. vers. 360.*

—— Nullum caput ista super se
Aspicit, excepto cælorum Rege, potestas.

Et eleganter Caroli V. symbolum exprimitur hoc districho.

Vis ULTRA? *ast ultra non est, quo progrediaris.*

22. Mi-

22. Minimè quoq; idipsum celat Turcarum Princeps, dum eandem Imperatori Romano potestatem defert, sequenti in formula: *In fide Jesu Nazareni inter cæteros Principes Christianorum summos* uti apparet ex literis Solymanni ad Imperatorem Fridericum, quas *vid. lib. 10. Epist. Turcic. à Nicol. Reusn. edit.*

23. Quin & ipso facto potestatem hanc ei tribuit, dum non tantum ejus Legatis primum inter Orbis universi Legatos locum assignat: sed etiam illud permittit, ut sedendo mandata sua exponant, quod aliorum Regum & Principum legati stando facere coguntur. *Arum. discurs. 1. de jure publ. fol. 8.*

24. Inde etiam est, quod Romanorum olim Imperatores, Deorum providentia, hodierni Dei gratia, Von Gottes Gnaden / se constitutos scripserunt, & adhùc scribunt *Wesenb. ad pr. Proæm. Inst. num. 3.* Quodq; proindè à nullo, nisi qui solum Deum, nec ullum alium externum Principem pro superiore recognoscit, propriè fieri judicat *Rebuffus.* Eaq; inscriptione Germaniæ Principes, non jure proprio, sed ex Privilegio uti, dicit *Matth. Steph. lib. 2. de jurisd. part. 2. cap. 7. num. 40.* Inde inquam est quod Imperator nominetur dominus orbis *l. 9. ff. ad L. Rhod. de jact.* & numen terrestre, eminens super omnes tanquam stella matutina in medio nebulæ meridionalis. *Bald. cons. 238. lib. 1.*

25. Nec quicquam adimit Imperatori nostro, quod saltem ad pompam dicatur mundi Dominus *à Bodino lib. 1. de Rep. c. 9. n. 129.* siquidem nec nostrum quispiam est qui hoc dicat, esse eum totius mundi dominum, saltem illud volumus, quod omnes terrarum Reges, & mundi Dominos gloriâ, & dignitate antecedat, tum nec ipse Bodinus, hoc vel de Assyriorum, vel Persarum vel Græcorum vel Romanorum Monarcha ullo, ex historijs probare potest.

26. Eo-

26. Eodem planè modo reſponderi poteſt, ad chori juridici diſquiſitionem, quando quærunt, Anne Imperator Romanus cum dicitur dominus mundi, in omnibus mundi partibus fundatam habeat intentionem ratione Imperij & jurisdictionis: ita ut alij Reges & liberæ Reſpublicæ, quamvis de facto Imperatorem non pro domino & Principe ſuperiore recognoſcant, jure tamen id facere debeant?

27. Nam diligenter etiam hîc ut ſuprà attendendum quo in ſtatu & quo ſenſu dicatur Imperator dominus mundi. Conſtat illud undiq; ex hiſtorijs, univerſum mundum Imperio nunquam fuiſſe ſubjectum, & ad evitandam igitur inconvenientiam, *totum* ſive *univerſum* non propriè ſed per Synechdogen totius pro parte accipitur: ita ut totus & omnis mundus & ſimiles dictiones pro majori mundi parte, non quidem per ſe ſed contemplatione Rerumpublicarum & Regnorum aliorum intelligantur. *l. 1. §. domini ff. ad Syllian.*

28. Atq; ſic etiam Chriſtophorus Beſoldus *in tr. de jurisd. Imper. Rom. q. 6. f. 16. l.* illam dictam *9. ff. ad L. Rhod. de jact.* in qua dicit Imperator: Ego mundi dominus ſum, lex autem maris, accipiendam ſcribit, cum ibi mundum tanquam partem majorem opponat mari.

29. Quod autem rectè totius denominatio ſæpè tribuatur illi, qui majorem ſeu potiorem partem poſſedit, id tam ex jure noſtro civili quam codice ſacro teſtatum faciam.

30. *Ex jure noſtro civili* notum eſt cuilibet ex *l. majore 150. & ibi Alciat. & Gædd. ff. de V. S.* illum majori parte anni dici poſſediſſe, licet duobus ſaltem menſibus poſſederit, modò adverſarius paucioribus diebus aut nullis poſſedit. Sic etiam Imperator noſter meritò dicitur dominus à ſummo illo imperio ratione aliorum regnorum vel Rerumpublicarum.

31. Quam

31. Quam præeminentiam Imperatoris optimè agnovit Alphonsus Arragoniæ & Neapolis sapientissimus Rex: qui Fridericum III. Imperatorem, Maximiliani I. patrem, Neapolim ad se venientem nullo non honoris cultu est prosecutus & veneratus, eiq; superiorem locum tribuit, quamvis ætate profectior esset. Et cum id aulici assentatores iniquè ferrent & admonerent Alphonsum, ne demissiùs quam par esset erga Cæsarem se gereret, ut modestissimum ita justissimum responsum tulit: Vestrum non est judicare de Regibus: nos Reges omnes debemus Reverentiam Imperatori, tanquam summo Regi, ille est caput & Dux Regum *vid Joh. Douth.* im Bericht vnd erklärung an Rath zu Braunschweig *fol. 25.*

32. *Ex codice sacro* primò exemplum afferri potest de Cyro primo Persarum Monarcha, qui *Esdr. lib. 1. c. 1. v. 2. & Esdr. lib. 3. c. 2. v. 3.* ita dicit: Omnia Regna terræ dedit mihi Dominus terræ: Idem Cyrus, me constituit Regem orbi terrarum Dominus Israel, Dominus excelsus. Nec non Artaxerxes Rex maximus in Epistola adversus Judæos *Esth. cap. 14. v. 2.* Cum pluribus gentibus imperarem & universum orbem meæ ditioni subjugassem &c. Itemq; Daniel ad Nabuchdonosorem Regem Assyriorum & Babyloniorum: Tu Rex Regum es: & Deus cœli Regnum & fortitudinem & Imperium & gloriam dedit tibi: & omnia in quibus habitant filij hominum, & bestiæ agri, volucres quoq; cœli dedit tibi & sub ditione tua universa *Daniel. 2. v. 37. & 38.* Nec tamen vel Cyro, vel Artaxerxi vel Nabucdonori totus paruit mundus, sed illustrius & potentius orbis Imperium singuli tenuerunt. Sic quod *Luc. 2. v. 1.* dicitur, exijsse decretum, ut censeretur totus orbis, cum grano salis id condiendum est, & audiendum de orbe Romano, seu parte ea orbis, & quidem majori, quæ tum subjecta erat Imperio. Ita

ut non immeritò ex consideratione illius status & denominatione majoris partis, Augustus dominus mundi diceretur. Unde est illud *Petronij*:

Orbem jam totum Victor Romanus habebat.

33. Dicitur porro in definitione *Perpetua Majestas* h. e. quæ per se nullo temporis spatio terminatur, quæq; tamdiu durat, quamdiu imperans & imperium, eo, enim animo datur & accipitur illa potestas, ut apud Principem sit, dum vivit perpetuò *Dn. Vultej. lib. 1. Jurisp. Roman. cap. 12. & 24.*

34. Ergò nec Harmostes Lacædemoniorum, nec Æsymnetes Thessalorum, nec Archon Melitensium, nec ulli alij Magistratus curatoresvè summa potestate ad tempus vel ad certas res gerendas præditi, majestatis jure frui possunt, de quibus *Bodin. lib. 1. de Republ. cap. 8. n. 79. Alber. Gentil. disput. Regia 1. fol. 9.*

35. Sic eadem ratione nec Regentes Regni, quos Procuratores seu Rectores Franci appellant, quibus vel ob infantiam Regis, Regni cura committitur, sive eorum nomine, manu ac sigillo leges, edicta, decreta, responsa, jussa denique omnia sanciantur, sive Regium nomen ac sigillum legibus & mandatis proponatur. Nam quemadmodum fluviorum vis & impetus unà cum nomine absorbetur, cum ab ostijs in mare confusi labuntur: & syderum stellarumq;, tum errantium, tum inerrantium lux nulla percipitur, cum primùm sol exoriri cœperit, quasi lumen acceptum Soli restituere videantur: ita quoq; Senatus auctoritas, ac Magistratuum omnia imperia, præsente Principe conquiescunt, uti innuit *Guntherus in Ligur. 2.* quando dicit,

——atq; omnis judex omnisq; potestas
Atq; Magistratus, ipso Rege præsente quiescant.

36. Cui

36. Cui eidem fundamento superstruitur & illud: Quod si supervenerit Majestas; nullus Magistratus jurisdictionem suam retineat tutam & impeditam. *arg. l. 58. ff. de judic. l. 5. C. de offic. Rect. provinc.* Hinc & in jure Saxonico sancitum invenimus: In welch Land der Käyser kompt / daselbst ist jhm das Gericht ledig. Quo sensu aptissimè *Plin. in panagyr. fol. 120. edit. Just. Lipsij.* Altissimæ ait, Civium dignitates, collatione fastigij Imperialis, quasi deprimuntur: quantòq; propiùs ad magnitudinem ascenderint Principis, tantò etiam à sua descendisse videantur.

37. Neq; etiam Dictator Romanus, nec ullus ex Magistratibus Romanis, etiam majoribus, majestatem habuere, quia perpetua potestate usi non sunt. Dictator siquidem, ut ex Romanis antiquitatibus constat, creari consuevit, cum improvisa aliqua necessitas esset oborta, puta, belli gerendi, seditionis sedandæ *l. 2. §. 18. ff. de O. J.* Ut ergò existente necessitate extitit Dictator, ita etiam necessitate intercidente, ejus etiam Dictatura & Imperium unà intercidit, finemq; habuit. Nec fas erat ultra sextum mentem hunc magistratum retinere. *d. §. 18. l. unic. de offic. præf. præt.*

38. Dicitur & perpetua perpetua, quia est *individua & Incommunicabilis Herm. Kirchn. de Repub. disp. 2. th. 4.* Ut enim mundus non patitur duos soles, sic Imperium non patitur duplicem Majestatem. Quamvis enim aliquando duo vel plures simul fuerint Imperatores; unus tamen summam potestatem habuit, & verè Imperator fuit, reliqui vel socij fuerunt, vel pro una reputati persona, vel si aliquando plures Impp. simul imperarunt, hoc vel de diversis locis erit intelligendum, quemadmodum quidam in Oriente, quidam in Occidente regnabant, vel facto non juri adscribendum puto: & sicut plures quandoq; solis imagines apparuisse, sed tandem dissipatos scimus; ita etiam plurium

Impp. regimen, reliquis prostratis tandem ad unum devolutum fuit.

39. Tandem in definitione adjicitur, *Legibus soluta potestas:* Qua in re cum magnus sit JCtorum ac Politicorum conflictus, mentem meam distinctione quadam explicabo, interim B. L. *ad Dd.* ipsos, mirè & variè quæstionem hanc decidentes.

40. Aut ergò quæritur de Legibus divinis, aut humanis; Divinis legibus Principem teneri nemo sanæ mentis negabit, quas si violare si perrumpere, aut quovis modo labefactare tentabit, divinæ Majestatis reus erit. A Deo enim potestatem suam sibi habet commissam, Dei subditus est, Deum superiorem agnoscit: illud igitur quod subditi, quod vicarij, quod delegati est exequatur, h. est domini ac superioris jussui obtemperet, nec potestatis suæ limites infringendo leges divinas, aut contra eas dispensando excedat.

41. Impura igitur & scorto famoso magis quam Augusta digna vox Juliæ, ad Privignum Antoninum Caracallum, *si libet licet:* An nescis te Imperatorem esse & leges dare non accipere. Nec minus impietatis ac absurditatis plenum quod de Augusto amici ejus ipsum adulteria exercuisse non negarunt, excusantes sanè non libidine, sed ratione commissa, quò facilius consilia adversariorum, per cujusq; mulieres exquireret.

42. Leges humanæ sunt vel Naturales vel Civiles. Naturales rursus vel in specie naturales sic dictæ, vel Gentium.

43. Jure naturæ Principem obligari nullum est dubium, cum jus illud ipso Principatu & imperio potentius sit. Dei enim jus naturæ lex est inquit *Apostol.* Nisi crudelia Herodis Judæorum Regis in tres filios, Neronis in matrem ac uxorem, trium Ptolomæorum, quorum primus fra-

fratrem, secundus matrem, tertius patrem interemit, parricidia nefaria, Caracallæ & Tiberij fratricidia, detestandam Caligulæ cum sororibus, ac Neronis cum matre libidinem. In summa Augusti, Tiberij, Vitellij, Titi Vespasiani Sodomiam approbemus, & per consequens Principem stupra, incestus, furta, cædes, & similia ex illicitis licita facere posse statuamus.

44. Idem judicium fero de jure Gentium, undè pacta, undè conventione etiam servare tenetur. Quippè nihil naturæ magis consentaneum, nihil dignitati magis conveniens quam quæ placuerunt servare *l. 1. ff. de pact.* Et quomodo qui ipsæ mutuæ fidei inter privatos ac Legum omnium vindex omnibus exemplo est, à se datam fidem non reservaret? hùc respicit *Anton. de Guevara lib. 1. c. 35. in fin. Horolog. Princip.* quando ait: in omnibus rebus tolerari potest, ut potior sit conditio Principis, præterquam in sola justitia, quam prorsus æqualem esse inter Principem & Rempubl. oportet & opus est.

45. Hinc Saxoniæ Elector & Landgravius Hassiæ in edito scripto contra Carolum V. Imperatorem, Cæsari verò ajunt, non licere vim ullam facere ulli ordini, nec indicta causa proscribere quemquam, neq; militem externum intra Germaniæ fines adducere, vel jus aliquod hereditarium atq; successionem imperij sibi vindicare, nimirum his legibus eum ex pacto devinctum esse, nam si fas sit ei secus agere, non posse diuturnum esse Reipubl. statum. *Skeid. lib. 17. de statu relig.*

46. Neq; etiam Legibus Civilibus in totum solutus est. Occurrit namq; duplex earum consideratio: Aut enim consideratur Princeps ratione legum quas ipse tulit, aut respectu earum quæ ab alijs latæ sunt.

47. Legibus quas ipse tulit, solutus omninò est; Potest quis aliorum Imperium suscipere, sibi ipsi verò imperare, sibi legem ita dicere ut ab ea recedere non liceat, minimè potest, & voluntatem sibi servam facere, libero arbitrio, quod natura humano generi largita est, contrariumq; adversumq;. Proprium insuper Legis est, imperare, vetare, promittere, punire, *l. legù virtus 7. ff. de ll.* quæ tamen non nisi in subditos locum habent. Quamvis dignum sit Majestate regnantis, & æquitati conveniens, Legem, quam quis condidit factis & vita comprobare. *l. digna vox C. de ll.* Nam facere rectè cives suos Princeps optimus faciendo docet, cumq; sit Imperio maximus exemplo major est. Undè quam elegantèr *Sereniss. Angliæ Rex Jacob. in lib. de jur. lib. Monarch. infit.* Nam:

— — — componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos, edicta valent quam vita Regentis.

Sic Lycurgus nihil lege ulla in alios sanxit, cujus non ipse primus in se documenta daret. *Justin. lib. 3. histor.*

48. Ab alijs quam à Principe leges latæ, vel Antecessorum suorum sunt, vel Status Imperij. Antecessorum legibus non tenetur. Æqualibus enim imperare nemo potest, cum par in parem nullam habeat potestatem. Constitutiones quoq; posteriores prioribus potiores sint, ijsq; derogare possint. Quo fit ut nec privilegia, nec Leges Principe mortuo vim suam ac robur obtineant, nisi successorum auctoritate confirmentùr, vel tacito consensu approbentur. Hinc Imperatores ac Reges beneficia corporibus ac collegijs tributa renovare consueverunt. Communi enim Dd. calculo approbatum est, quod Antecessorum concessio posteris nullum creet præjudicium.

49. Hîc notandum obiter, licet ipse Imperator privilegia

vilegia à prioribus concessa approbare soleat, tamen neutiquam opus esse confirmatione Cameræ Imperialis, uti de Gallia, ubi omnia beneficia indulta, Privilegia à Rege concessa firma non censentur, antequam à summa Parlamenti Parisiensis curia confirmentur, Scriptores tradunt.

50. Leges Statuum quod attinet, quæ & ipsæ leges imperij dicuntur, illis Imperator solutus non est, cum ad illarum Legum observationem publica cum Statibus Imperij conventione se devinxerit. Neq; hoc potestatem ejus minuit, etiamsi juramentum servandarum harum legum gratiâ interposuerit. Ipse namq; Jehova pro salute Ecclesiæ juravit, cujus tamen Majestas est ineffabilis. Imò si juramento hoc summa potestas læderetur, vix ullus Regum illam salvam haberet, cum etiam Rex Hispaniarum quando inauguratur suis se juramento obstringat, nec non Rex Galliæ, Ungariæ, Bohemiæ, Angliæ, Poloniæ, ut probat *Dn. Reinking. in reg. secul. lib. 1. class. 3. c. 9. n. 18. & seqq.*

51. Hæc præmissa ansam Interpretibus præbuerunt variè quærendi: ut est. An Princeps ex potestate sua summa alteri jus suum auferre queat. Et post longam disputationem placuit opinio ista, quod non competat Principi talis soluta potestas, qua possit subditos pro lubitu suo privare.

52. Cum enim Achab Rex Israelis vineam Nabothi vi atq; injuria occupasset, non solum ipse gravissimè à Deo fuit per Prophetam reprehensus *3. Reg. 21.* sed etiam posteritas ejus gravissimas flagitij hujus pœnas luit. *4. Reg. 10.*

53. Hinc etiam *Ezechielis cap. 46. v. 18.* Non accipies, ait Propheta de hereditate populi per violentiam & de possessione; sed de possessione sua hereditatem dabit filijs suis, ut non dispergatur populus meus unusquisq; de possessione sua.

54. Et congruit hæc sententia etiam legi naturæ, cujus

cujus præceptum atq; principium est. Alterùm non esse lædendum, suum cuiq; tribuendum. *l. 10. ff. de just. & jur §. 3. Inst. eod.* Jam verò Princeps legibus naturæ æquè est adstrictus, atq; alius quivis, ut suprà expositum.

55. Insuper non ampliùs Princeps est sed tyrannus, qui naturæ leges, atq; limites justitiæ transgreditur *cap. 12. caus. 2. q. 1.* Atqui hoc facere principem, dum subditis suum, absq; causa aufert, jam jam dictum fuit.

56. Ideo etiam Theodosius & Valentinianus Impp. Rescripta contra jus elicita, quæ alium lædant, jubent ab omnibus judicibus refutari, *l. 7. C. de precib. Imper. offer.*

57. *Et in l. 5. ff. de Natat. restit.* ait Modestinus: Libertum debere natalibus restitui, *consentiente patrono.* Quia jus Patroni, natalium restitutione impetrata, amittatur. Ex quo haud obscurè colligitur, Imperatores non velle, nec posse absq; justa & legitima causa subditis aliquid auferre, aut jus eorundem minuere.

58. Idemq; manifestè confirmat *l. 2. C. de rescindend. vendit.* in qua Dioclet. & Maximil. Imperat. de contractu *inquiunt* venditionis & emptionis, jure perfecto, alterutro invito nullo recedi emptore bona fides patitur, nec ex nostro rescripto. Et omnium manifestissimè *Justin. in tit. in de his qui sunt sui vel alien. jur.* expressè testatur ac protestatur, Nolle se cuiquam jus suum detrahere.

59. Tandem accedit & hæc ratio, quod eam potestatem Populus Romanus in Principem transtulerit, quam ipse in singulorum civium bona habuerit. *§. sed & quod Principi Instit. de jur. nat. gent. &c.* Populus autem Romanus nunquam habuit tantam in civium bona potestatem, ut de illis pro arbitrio statuere ac disponere potuerit. Quare idem nec Principi, quantumvis potestatis suæ plenitudine utatur, licebit,

60. His

60. His ita in veritate positis, ulteriùs quæri solet, Anne Princeps subditis suis jus suum quæsitum tum queat auferre vel minuere, quando id vel Reipublicæ necessitas postulet, vel utilitas suadeat. Sanè affirmativa multis ob utilitatem publicam placuit, ast ego his ita simplicitêr quare non subscribam, sequentia faciunt fundamenta.

61. Primò quia iniquum & injuriosum foret, ut cum jactura & incommodo unius, aut quorundam duntaxat civium, non etiam universorum, publicæ necessitati aut utilitati subveniretur: cum ut utilitas & commodum est universorum, ita quoq; æquissimum sit, ut non quorundam duntaxat civium, sed universorum re atq; opera quæratur ac paretur. quippè & hæc sit naturæ lex justissima, ut cum sequantur incommoda, quem commoda. *l. secundum 10. ff. de R. J.*

62. Accedit, quod nemo debeat alterius causa prægravari, *c. non debet de R. J. in 6.* Jam verò si ob necessitatem vel utilitatem publicam quis à re sua pelleretur, prægravaretur utiq; alterius, utiq;, concivium videlicet, causa, ut qui necessitatem publicam solus ferre cogeretur, quam tamen ipse solus non commeruit.

63. Probat idem textus apertissimus *in l. venditor 13. §. 1. ff. commun. præd.* in quo *Ulpian.* verbis disertis scribit: si in agro alicujus sint Lapidicinæ, tunc invito illo domino neminem posse lapidem cædere, nec privato nec publico nomine, nisi priùs pro hoc Domino salarium præstito. Undè profectò luce meridiana clariùs elucescit, nec publico nomine, sive quod idem est, propter utilitatem vel necessitatem publicam, quicquam privato auferri posse, nisi justo refuso precio. *add. l. 2. c. pro quib. caus. serv. pro præm.*

64. Et quamvis respondeatur, ob publicam necessitatem à regulis juris recedi; non tamen existimo tantam

esse Reipubl. causam, ut ejus gratia leges naturæ atq; æquitatis regulæ violari possint, ubi quacunq; ratione sartæ tectæ conservari queunt, ut hîc, si ei cui res adempta est, vel qui damnum passus fuit, id resarciatur, vel contributione civium, vel ex fisco Reipublicæ.

65. Ita nec refert quod *Justin. Imperat.* affirmet, omnia Principis esse, & Seneca, Juris Civilis hanc vocem dicat. Omnia Regis esse, etiam quæ sibi quisq; privatus habet ac possidet. Ille enim scil. Imperator, fiscalia ac patrimonialia intelligit, hic, puta, Seneca rectissimè excipit, ita ut omnia Rex Imperio, i. e. jurisdictione, defensione, protectione possideat, singuli dominio. Nam ea quæ tua sunt, Principis non sunt, aut certè tua non sunt, quoniam dominium in solidum duorum esse non potest, & communia quoq; esse inter te & Principem, nemo dixerit.

66. Hæc de Imperatore; Quid nunc de Augusta, hoc est uxore Principis dicemus? Eam legibus solutam non esse, verius est; nec obstat, *quod dissut. Præced. th. 78.* Augustam æquo per omnia jure Imperatores secum esse voluisse. Nam cum nihil tam humanum sit, quam fortuitis casibus, prosperis vel adversis conjugis participem conjugem fieri, propterea lex indignum existimavit, marito altissimo honoris gradu constituto, uxoris dignitatem pariter non concrescere. Ideoq; Princeps eadem illi privilegia tribuit, quæ & ipse habet. Intellige quoad reverentiam, immunitates, vacationes & si quæ sunt similia. Non tamen par jus est usquequaq; Principis & Augustæ, alioquin Legem condere ea quoq; posset, quod in jure nostro (colum ab omnibus officijs & muneribus publicis non immeritò removens) absurdum est.

67. Atq; ita fuit Majestatis forma in dignitate & potestate

testate posita, sequuntur nunc effectus, seu jura Imperatori ratione summæ Majestatis competentia.

68. Hæc jura communiter à Politicis dispescuntur in Majora & Minora, quam divisionem & ego retinebo. Majora appellantur, in quibus potissimùm suprema potestas, dignitas & præeminentia Principis relucet. Hinc à nonnullis potentiora; personæ Principis adhærentia; ossibus Principis cohærentia; ipsi coronæ connexa & reservata dicuntur, ut avelli nullo modo possint: ita ut ubi Majestas sit, illa quoq; necessariò adsint; non tamen è contra, ubi hæc, ibi Majestatem esse censemus. Solent enim nonnunquam inferioribus concedi, quamvis non omnia & ad certum modum.

69. Inter majora hæc Majestatis jura insigniter conspicuum est, jus condendi legem universalem: nec non eandem abrogandi. Dat legem universis vel singulis. Universis data lex omnes obligat, qui sunt in ferentis territorio. Extraneos nunquam, nisi vel contractus vel delicti ratione, forum apud hunc sortiantur.

70. Singulis quam legem dat, Privilegium dicitur, quod secundum Ciceronem: Lex est in unum aut paucos cives lata, sive ad commoda eorum sive ad incommoda, spectare videatur.

71. Unde quæri solet, si lex data sit ab Imperatore, & illa dubia sit, ad quem explicatio pertineat. Et Respondent communiter, si ratione verborum esset dubia, tum interpretationem ad solum Principem utpote legislatorem spectare: sin verò dubitatio ratione applicationis ad factum propositum occurrat, tum pertinere ad Magistratum, qui tamen ex bono & æquo omnia interpretari debet. Caveat autem sibi ne nimia vi flectendo æquitatis objecta specie perrumpat, ac propterea infamiam subeat: audiat potiùs illud

JCti, *in l. 2. ff. de publ. jud.* Non aut severitatis, aut clementiæ gloria affectanda, sed propenso judicio, prout quæq; res expostulat, statuendum. Planè in levioribus causis proniores ad lenitatem judices esse debent: in gravioribus pœnis severitatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi. Qui enim nimium nares emungunt, sanguinem eliciunt.

72. Alterum summæ potestatis jus consistit in Bello, quod indicere, gerere & finire, summi Principis proprium est. *l. 3. ff. ad L. Jul. Majest.* ibi, qui sine injussu Principis bellum gesserunt. *l. neminem 17. C. de re militari l. unic. C. ut armor. usus.* Quapropter si quis sine Imperatoris licentia bellum indixerit, & parârit, in crimen læsæ Majestatis & pacis publicæ violatæ incidit. *d. l. 3. Unde dicente Bodino lib. 1. de republ. cap. ult.* hoc jure Majestatis nullum ferè majus esse potest: quia sæpissimè ab exitu Belli Reipublicæ excidium aut status pendeat:

73. Tertium caput, in creatione Magistratuum præsertim Majorum, & dignitatibus conferendis positum est. *Tholoz. de Repub. lib. 9. c. 1. n. 34.* Summi igitur Principis est creare Reges, Electores, Archiduces, Duces, Principes, Comites, Barones, Nobiles, Comites Palatinos, Doctores, Licentiatos &c. Est enim dignitatum & honorum omnium fons & scaturigo augustissima. Sic Henricus V. Uratislaum Ducem Bohemiæ Regio titulo exornavit *Dubrav. lib. 9.* Et Fridericus I. Petrum Daniæ Ducem ad Regij honoris fastigium evexit. Otto III. Imperij Poloniæ Principi Boleslao Regia stemmata dedit. *Ott. Frising. lib. 7. c. 17. in vit. Ott.* Principes etiam Duces & Comites ab Impp. Roman. non semel creatos notius est, quam ut probatione egeat. Invictissimum nostrum Imperatorem Ferdinandum II. (cui felicissimum precamur imperium) non ita pridem Principalem

lem dignitatem contuliſſe *Erneſto Comiti Schaumburgico*, ſcimus. Et Bethlehem Gabor Imperij Princeps ab hoc noſtro Imperatore creatus, ab eodem etiam eadem dignitate privatus.

74. Huc referendi ſunt & alij actus, ſcil. conſtituendi Academias, reſtituendæ famæ & honoribus, concedendi veniam ætatis, abſolvendi à juramento ad effectum agendi, de quibus alij pluribus. Item jus Equeſtrem nobilium ordinem dandi, ſicuti *ſupr. diſp. 5.* demonſtravimus. Jus aureorum annulorum, quod non niſi Princeps ſummus tribuit, *ut in tit. P. & C.* Quod jus aureorum annulorum alij id fermè fuiſſe ajunt, quod nos dicimus Equitem facere, zum Ritter ſchlagen. *Weſenb. in parat. ff. de jure aur. ann.* Item jus conſtituendi curſus publicos, ſive regios curſores, quos hodiè Poſtas vocamus *Matth. Steph. de jurisdict. lib. 2. part. 1. c. 1. memb. 2. num. 110.* Tabelliones ſeu Notarios. *Borcholt. in explic. c. 1. quæ ſint regalia.* Jus conſtituendi ferias generales: Unde & Imperiales dicuntur *l. 4. C. de feriis.* Jus dandi civitatem, quod JCti vocant ſpiritum & vitam dare civitatibus Stadtrecht geben/ quod itidem penes Imperatorem eſt, adeò ut ſi quis abſq; Cæſaris conſenſu civitatem conſtituerit, ea nec civitas, nec jura civitatis habere putetur. *Innocentius in c. Eccleſiarum num. 1. de offic. ord.*

75. Hinc cum Albertus Comes Mansfeldicus propè Islebiam vicum quendam jure civitatis donare vellet, Maximilianus I. mandato inhibitorio id fieri prohibuit *Anno 1514. die 6. Februar.* cui hæc in ſpecie verba fuère inſerta: Wann nun dir noch jemandt anders nicht geziemet/ Stadtrecht oder anders/ das der hohen Obrigkeit anhanget/ ohne ſonderbare erlaubnuß/ außzurichten/ ſo empfehlen etc. *Thomas Michael. de jurisdict. concluſ. 12. lit. c.*

76. Quartum jus in extrema provocatione conſiſtit,

quod jus adeò sanctum habetur, ut qui sciens prudensq; à summo Principe provocârit, capitali fraude teneatur. *Bodin. lib. 1. de Republ. c 10. n. 163. p. 256.* nisi fortè exemplo *Machetæ* id fiat. quem cum damnaret Macedoniæ Rex, qui dormitans non observabat, quibus ille juribus se tueretur, exclamat damnatus, se provocare. Interrogante Rege; ad quem provocaret: Ad te ipsum, ô Rex, inquit, siquidem vigilans & attentus audias. Rex provocationem illam admisit, & quia res à se judicatas rescindere turpe ducebat, quò minùs levitatis, & inconstantiæ argueretur, Machetæ damnum illatum de suo recompensavit. *Bodin. d. l.*

77. Sic etiam à Cæsare malè informato ad meliùs informandum appellatio est permissa. *Tob. Paurmeist. lib. 2. de jurùd. c. 4. num. 159. Matth. Steph. lib. 2. p. 1. c. 1. memb. 2. num. 200.*

78. Quintum majestatis caput pendet in potestate veniam delictorum concedendi, relegatos restituendi, jure vel injuriâ capite damnatos contra vim legum ac judiciorum liberandi. *l. cum salutatus 1. l. cum indulgentia 10. & & tot. tit. C. de sent. pass. & restitut. l. relegati 4. in fin. l. 9. §. 11. in fin. l. 27. l. 71. ff. de pœn.*

79. In tantum autem venia & gratia facienda admissi sceleris ad majestatem & superioritatem spectat, Ut licet Carol. V. Imper. Senatui Mediolanensi potestatem ferè Regiam, propter sui absentiam dedisset, attamen damnatorum restitutionem exceperit. *Bodin. d. l. n. 164.* Ubi simul refert, cum Franciscus Major Rex Franciæ matri potestatem fecisset damnatos restituendi: curiam judicasse, id jus ne Reginæ quidem concedi posse.

80. Distinguendum autem hîc diligenter erit inter Constitutiones & divinas & humanas. Nam si lex divina certum pœnæ genus definiat, illud disertis verbis delinquentibus

tibus indistinctè irrogare jubeat, nec arbitrio judicis relinquat, summo Principi non convenit de ea remittere. Immotæ siquidem veritatis axioma est, & suprà quoq; notatum: quod Princeps ea, quæ sunt juris naturalis & divini non possit immutare. *§. sed naturalia Inst. de jur. nat. gent. & c. l. eas. 8. ff. de cap. min.* Nam hic Princeps est minister & executor legis divinæ. Nec inferior potest tollere legem seu jus superioris, per vulgaria. Atq; sic exempli causa, Deus mandat, ut homicida morte moriatur. *Exod. 21. v. 12. & 14. Levit. 24. v. 17. Num. 35. v. 31.* nec Magistratus ei parcat, vel misereatur *Deut. 19. v. 14.* sed auferat malum de medio sui. *Deut. 22. v. 21. & 24.* Hinc ergo homicidij pœnam Principis indistinctè remittere non est. Et sic judicandum de similibus.

81. Aliquando tamen Princeps pœnam legibus prædictis præscriptam prægnantibus causis & ratione circumstantiarum mitigare potest, quemadmodum etiam nonquandocunq; vult Majestate sua uti debet in humanis, nisi cum Majestatis, justitiæ, æquitatis, aut publicæ utilitatis sive necessitatis ratio id requirat, extra quos casus, si ea Princeps utatur, potiùs abuti videbitur.

82. Et quod magis est, quod si Majestas nimis lenis, assidua nimis est, contemptum, principatus pestem & maximam illecebram peccandi, impunitatis spem inducit, tum etiam in hac colluvie morum & hominum, habendus metus, aut faciendus est. Insuper punitio bona est, si Deum, bona, si homines, bona si illos ipsos qui puniuntur spectes, sicut impunitas mala.

83. Ridiculum ergò ac sine ratione mihi videtur illud, quod dicunt Romæ adhùc observari, quod capitis damnatus Cardinali obviam factus supplicio liberetur: cui non absimile illud, cujus *Plutarchus* meminit. Si vestales

fortè

fortè cui ad supplicium rapto occurrerent, is mortis pœna eximebatur: Jusjurandum autem exigebatur à virgine, fortuitum fuisse & inconsultum nec præmeditatum occursum.

84. Neque etiam propterea furem vel capitaliter reum necessariò liberandum esse, si virgo quædam matrimonialiter eum petat, vel etiam fur rupto fune patibulo cadat, puto. Nam primum delictis pejoribus viam aperiret, & alterum accidens est, neq; tenori sententiæ quicquam præjudicat, cum executio secundum talem formam sit demandata, Das er mit dem Strang/ vom Leben zum Todt sol hingerichtet werden.

85. Sextum est jus nummi percutiendi, imagine signandi, ejus valorem & potestatem constituendi *Bodin. d. l. n. 167. p. 262.* quod Carolus Magnus ita proprium sibi habuit, ut nullibi quam in proprio palatio monetam cudi voluerit. *Sixtin. de regalib. lib. 2. c. ult. n. 4.* Sicut & Romæ tantum in æde Junonis Monetalis percutiebatur, cui præfecti erant Trium viri monetalis æris, auri, argentiq; latores.

86. Proindè reprobare & tollere monetam non minùs ad Majestatis jura pertinet, quam cudere eam. Quamvis legitimæ reprobatio ac mutatio sine justa causa fieri non debeat. Tenetur enim princeps ut de se ipso Maximilianus II. Imper. scriptum reliquit, hoc jure uti ad salutem & honorem imperij, quod maximè eo modo læderetur.

87. Hoc jus nonnullis principibus ac Rebuspublic. superiorem agnoscentibus concessum est, maximè verò in Imperio Romano? quibus tamen varia præscripta sunt, quæ ab ijs observari debent.

88. Ergo si quis privatus vel quivis alius potestate cudendi monetam carens, cujuscunq; conditionis & status, monetam licet justi valoris, nomine Principis cuderit, vel finxerit, crimine læsæ Majestatis tenetur & facultates ejus fisco

fisco addicuntur. Unde & Commodus Imper. Perennium familiarem suum pœna capitis affecit, quod nummos publicos sua imagine signasset, *Herod. in vit. Commod.* Hodiè jure novissimo, qui monetam falsam cudit, exurendus est igne. Constit. Criminali Carolin. *art. III.*

89. Sequuntur jura Majestatis minora, quæ ad fiscum Principis potissimùm augendum spectant, atq; itidem varia sunt, & in certas classes redacta prolixèq; explicata ab illis in specie, qui de Regalibus scripsêre.

90. Hùc pertinent viæ publicæ, Offene Land vnd Heerstrassen / quatenus reditus omnes, qui ex vijs publicis dependent, ad fiscum pertinent. Incumbit autem Summo Principi, & omnibus ijs qui ab eo viam publicam concessam habent, curare, quæ ad viæ securitatem spectant. Unde dicere solitus fuit laudatissimus Hassiæ Landgravius Philippus, uti etiam alibi monui: Man sol einen Fürsten kennen/ bey reiner Strasse / guter Müntze / vnd haltung beschehener zusage.

91. Referuntur etiam sub hanc classem *Portus*, hoc est, vectigalia, quæ pro transitu per pontem, vel in portu solvuntur. *Ripatica*, h. e. quæ pro transitu riparum præstanda; *Vectigalia, Tributa* & similia. *l. vectigalia 10. ff. de public. & vectigalib. l. 2. & 3. C. vectigal. nov. instit. non poss.* Nullis enim ex Principibus Cæsarem superiorem recognoscentibus, alijsq; ordinibus Imperij licet vectigalia nova propria auctoritate instituere. *Sixtin. lib. 1. de Regal. c. 6. num. 15. 16. & 20. Rosenth. de feud. cap. 5. conclus. 44. n. 1. & 2.*

92. Quod si ergo quis nova vectigalia sine consensu Imperatoris instituat, tenetur L. Julia de ambitu *l. unic. ff. ad L. Jul de ambitu:* cujus pœna pro admisso interdum durior est *l. unic. C. eod.* interdum lenior, prout demonstrat Wesenbec. *in parat. ff. ad L. Jul. de amb.* Qui verò exigit seu

exercet, tenetur *L. Julia de vi publica l. ult. ff. ad L. Jul. de vi publ.* quæ pœna est deportatio, vel bonorum publicatio. *§. item Lex Julia de vi. Inst. de public. judic.* Hodiè verò Legis Juliæ de vi publica pœnam arbitrariam esse tradit *Dn. Vultej. in d. §. item. num. 3. & Menoch. de arbitrar. quæst. lib. 2. cent. 4. cas. 394. n. 1.*

93. Neq; ea quæ de vectigalibus dicta sunt, tantum obtinent in novis constituendis, sed etiam in veteribus sine consensu Imperatoris augendis. *d. l. 10. de Publican. Mindan. lib. 2. de process. de mandat. jud. lib. 2. c. 42. n. 5. Mynsing. cent. 5. observ. 29.* & est Constitutio Imperij publica. Ita enim in *Recess. Ratisbon. sub Maximil. II. de anno 1576. §.* Weiters seind wir *ibi.* auch glaubhafftig berichtet worden/ das etliche Stände ohne vnsere Käyserlichen Consens/ auch ohn bewilligung vnsere vnd des Heiligen Reichs Churfürsten/ sondern für sich selbst/ mit eigener Thac hin vnd wieder im Heiligen Reich Deutscher Nation/ zu Wasser vnd Lande die Zölle zu ersteigern angefangen/ etc.

94. Quibus novissimè accessit capitulatio Ferdinandi II. Imper. nostri hodierni Invictissimi *de anno 1619. art 17.* Wir sollen vnd wollen auch insonderheit/ dieweil die Deutsche Nation vnd das H. Römische Reich zu Wasser vnd Land/ zum högsten damit beschwert/ etc. Et tantum etiam de ipsis Regalibus tam majoribus quam minoribus, quorum longè plura ab alijs adduci non ignoro, sed mihi præcipua tantum pro instituti ratione recensere, & breviter saltem attingere placuit.

95. Illud hîc obiter notandum moneo, quando supra dixi, prædictorum Regalium quædam inferioribus etiam Principibus ab Imperatore concedi posse, illa concessione ipsam Majestatem seu summam potestatem, quæ individua & incommunicabilis est, *ut supr. dictum*, nequaquam

quam transferri, vel imminui, sed summo Principi totam, & integram perpetuò reservari, Principem autem jura quædam per eos, quos in partem sollicitudinis, non plenitudinem potestatis assumpsit, tanquam manu propria exercere. *Kirch. de Republ. disp. 2. th. 4. in fin.* Unde etiam jura hæc concessa, Regalia quidem nominari, quatenus à solo Rege proveniunt, non autem jura Majestatis dici posse, monet *Besold. lib. 1. Polit. c. 4. §. 10.*

96. Ita etiam fuit Majestas cum summis juribus, sequitur omnium horum amissio, quam nullo alio modo fieri posse puto, quàm spontanea voluntate aut coacta.

97. Spontanea fit cessione de qua dictum *disputatione antegressa th. 49.* Coacta est vel divina vel humana. Illa fit morte Principis, hæc vel Bello vel remotione, de qua itidem *in d. th. 49. disput. antegressa.*

98. Ad extremum, cum nihil tam altè constitutum, nihil tam firmum, cui periculum non sit etiam ab invalido; nec quicquam in rerum natura tam sacrum, quod sacrilegium non inveniat, etiam de jure nostro in temeratores læsæ Majestatis certa constituta pœna est.

99. Nam si quis contra eam quid attentârit, Majestatis læsæ reus dicitur, quod crimen etiam Perduellio vocatur, quando scilicet hostili animo adversus Reipubl. statum aut Principem quid attentatum fuerit, Utriusq; pœna præter bonorum confiscationem etiam hodie capitalis est, quam ulteriùs prosecutam vide à Dd.

100. An verò hæc pœna locum habeat etiam in eos, qui inferiores Principes superiorem recognoscentes, offendunt, inter Dd. controvertitur. Et certè cum superiorem recognoscentium Majestas propriè nulla sit, ut supr. dictum, adeoq; nec lædi possit, consequens erit quod in illorum offensione nec pœna Majestatis locum habeat; Electoribus tamen

tamen Imperij ex A.B. Caroli IV. ut in multis alijs ita in hoc genere si quid concessum est, non sine speciali ratione conceditur.

101. De Consiliarijs & ijs qui Principis Consistorio interfunt nullus dubito, quin crimen hoc adversus eos locum habeat, cum sint pars corporis Principis, etiam Majestatis participes esse videntur. Quo tamen casu distinguendum puto, an privato in ipsos odio, an studio lædendi Principem delinquatur.

102. Finem disputationi præsenti imponat elegans illa controversia, quis in crimine læsæ Majestatis sit judex: & licet generali Lege cautum sit, neminem sibi esse judicem, vel jus dicere debere, in re enim propria iniquum admodum est, alicui facultatem tribuere sententiæ. *l. 1. C. ne quis in sua caus. l. 17. ff. de judic.* Quod & naturali ratione conveniens. *Bodin. de Republ. lib. 4. c. 6. n. 463.* Unde Jure Gallico Rex Galliæ sibi Jus non dicit, sed ei à Parlamento dicitur. *Buxtorff. ad A.B. c. 5. conclus. 80. in not. ad lit. B.* Idem dicit de Rege Daniæ, *Arnis. de jure Majest. lib. 1. c. 6. n. 11.* ut & de Rege Angliæ. *Bodin. de Republ. lib. 1. c. 8. n. 84.*

103. Attamen contrarium multi defendere conantur, & ferè communis est Dd. conclusio, quod hæc cognitio sit de reservatis Principis. Ego informationem interim libenter exspectans, juxta *tit. 20. part. 3. Ordin. Camer.* puto, Imperatorem, quando Actoris partes sustinet, vel in Camera vel etiam coram Electoribus & ordinibus Imperij agere debere, & hoc ipsum exempla multorum Imperatorum demonstrant. Sic Maximil. I. Johannem Fridericum Ducem Saxoniæ, coram statibus Imperij & Comitijs accusasse & convenisse legitur. *Recess. Imp. de An. 1566. & seq.*

Disp. X.

Disputationum
JURIDICO-POLITICARUM
DECIMA

DE STATIBUS ET MEMBRIS IMPERII ROMANO-GERMANICI.

RESPONDENTE
FRANCISCO SCHREVEN
Bielfeldiens. Westfalo.

THESIS I.

IUsto ordine nunc progredior ad membra & fulcra, seu Status Imperij, cum ante hac usq; huc de capite Imperij Romani, puta Imperatore & Rege, ejusq; juribus dixerim.

2. Sunt autem Imperij status Immediati Imperij cives, qui cæsaris & communi Procerum Imperij consensu in album sive matriculam imperij recepti sunt, ea lege ut Cæsari, als ein Christlich corpus vnd versamblung / ut loquitur Maximil. I. in R. A. de Anno 1512. de usu Imperij in Comitijs proponenti consilio & suffragijs adsint, & occurrente necessitate, certum censum in matricula expressum pensitent, vel subsidium militare præstent. *Gail. 1. obs. 21. num. 2. Dn. Matth. Steph. de jurisd. lib. 2. p. 1. c. 4. num. 27. Excellentiss. JCt. Dn. Zach. Victor in elegantiss. dissert. de caus. exempt. imp. concl. 5.*

3. Neq; hoc Bodine, Imperatoris nostri majestatem imminuit. Nam nec Jovi quidem suum consilium satis esse sine Nemesi, sine Themide voluerunt cœli cives. *Senec. nat. quæst. edit. Lipsi. fol. 702.* Magna negotia magnis adjutoribus egent, neq; vitio datum Atlanti, quod Herculem in laboris communionem admiserit: Non Agamemnoni, quod Nestorem: nec Æneæ quod Palinurum. Verba Henrici IV. Imperat. ad Elector. Colon. pulchra sunt, decora & intexenda: In maximis negotijs maximorum opus est consilijs: qui & facultatem habent exterius & voluntatem interius, ut rei cui benè cupiunt, consulere & velint & possint. Tempore Theodosij & Valentini, cum sine dubio Romana monarchia orbem in Triumpho ferret, Humanum tamen sanxerunt Impp. ut nulla lex generalis recitaretur priusquam tum Proceribus Palatij, tum universo Patrum conscript. cœtui probaretur. *l. 8. C. de legib.* Et quid contendo? Omnium regnorum consuetudine parili firmari posset mos noster, nisi aliorum schedia expilare verecundarer.

4. Ut ergo status Imperij Romano-Germanici quis esse & pro tali reputari velit, quatuor qualitates, seu inseperabilia potius adjuncta ut habeat, necesse ajunt, *referente Besold. in tr. de jurisd. Imper. Rom. q. 8. Reink. in reg. sec. & Eccles. lib. 1. class. 3. c. 4. n. 3.*

5. 1. Ut ejus nomen in albo seu matricula Imperij, in des Reichs matricul, extet. Nam sicut hæc militem aut cohortalem. *l. quicunq; C. de cohort. l. 2. & 2. C. de commeat. l. 3. C. de Salgamo.* itemq; civem & studiosum. *l. 1. & 2. C. de primi cer. Rebuff. de privileg. scholar. privil. 147. num. 5. Ampliss. Vir Dn. D. Cothm. p. m. resp. Acad. 14. n. 23. & resp. 18. n. 21. & resp. 21. num. 12. Mascard. de probat. conclus. 1297.* ita etiam Imperij statum arguit. *Frider. Mindan. lib. 2.*

lib. 2. de proceſs. extrah. c. 67. num. 4. Dn. Zach. Victor. diſſ. diſſert. concluſ. 5.

6. Quò verò neminem lateat, qnid nomine matriculæ indigitetur, notabit, matriculam per diminutionem dici à matrice, quæ non rarò pro prima ſcriptura ſumitur, ex qua aliæ traducuntur. Sic *ap. Sueton.* Palma matrix dicitur, à qua velut matre palmites alij procedunt. Sic matricula imperij nihil aliud eſt, quam album, in quo nomina civium immediatorum & ſtatuum imperij conſcripta continentur: Eamq; in Aula ſua Elector Moguntinus, tanquam Archicancellarius per Germaniam habet, & apud eum matriculæ editio, decretis in Camera Imperiali compulſorialibus peti ſolet, Vnd wird auß dem Meintziſchen als auß des H. Reichs Cantzley ediret. *Rulant. de commiſſ. p. 2. lib. 5. c. 4. num. 11. 12.*

7. Sed hîc dubitare licet, quemadmodum etiam dubitatum in cauſa, des Hertzogen von Braunſchweig contra die Stadt von Braunſchweig / cum varient matriculæ nec ejuſdem undequaq; tenoris, cui ſtandum. Sic Brunſvicenſis quidem civitas veteribus Imperij matriculis inſerta reperitur, in recentioribus verò omiſſa eſt. Quapropter ut in illo labyrintho procurator fiſci & judices Imperij, relliquiq; logographi certa ducerentur via, illa demum (quæ anno 1521. elaborata) velut melior, conſilio conſenſuq; ordinum facta, & unicè ſequenda commendata eſt, donec moderatorum judicio emendetur, tenenda. *add. Dn. Vietor. d. l. Reinking. in reg. d. l. n. 13.*

8. Pro ſecundo requiritur à ſtatu Imperij, ut ſeſſionem & votum in Comitijs habeat, Das er Stimm vnd Standt in Reichs verſamblung habe. R. A. *de anno 1548. §.* Wann auch ein Außgezogener. Qui enim ad comitia imperij circulorumq; conventus evocantur & in ſacro iſto conſenſu

pedem figere audent, pro ſtatu Imperij habentur. *Gail. obſ. 21. num. 9.* adeò ut unico etiam actu comparitionis vel conſultationis, quaſi poſſeſſio ſtatus Imperij acquiratur. *Dn. Viet. dict. concluſ. 5.* ſiquidem nemo admittitur, ad conſilium & ſenatum imperij, niſi ſit conſors imperij, & par curiæ imperialis, & ſic immediatè imperio ſubjectus. *arg. l. honores §. is qui ff. de decur. & l. 2. C. eod. Gail. d. O. n. 9.*

9. Tertium ſignum Imperij ſtatus eſt, ſi quis indictiones & collectas imperio immediatè pro rata ſua quolibet tempore ſolverit. *d. R. A. de anno 1548. ibi.* Vnd wieder jhn darbracht mochte etc. quamvis hoc ita exactè probare non teneatur, ſiquidem fieri poteſt, ut aliquis privilegio vel præſcriptione ſit immunis ab hoc onere.

10. Quartum demum requiſitum eſt, ut territorium cum omnimoda jurisdictione & regalibus, quorum vigore Imperatorem in ſuo territorio repræſentat, immediatè ab vel ſub imperio poſſideat. *Gail. d. obſ. 21. num. 4.* Nam in hunc, qui non eſt immediatè ſub imperio, non poteſt cadere cauſa juris ſublimis ſuperioritatis territorialis, & omnimodæ jurisdictionis, quæ eſt quod quiſq; Princeps & Comes in ſuo territorio jura ſummi Principis exerceat, h. e. poſſit ea in ſuo, quæ Imper. in univerſo. *Knich. in ſublim. jur. territor. cap. 1. num. 301. & ſeqq.*

11. Diſtinguuntur & collocantur ſtatus Imperij 1. in tres claſſes: in quarum prima ſtant Electores: in altera Principes; in tertia liberæ civitates.

12. Electores quod primo collocentur loco, nemini debet eſſe mirum: quippe qui membra ſunt capiti proximiora; ut conſtat ex A. B. *tit. 2. §.* Vnd wiewol von Alters appellantur & ibidem *tit. 3.* Nobilia Imperij fulcra & Proceres, ſacrum ædificium circumſpectæ prudentiæ pietate ſuſtentantes, quorum præſidio dextera imperialis potentiæ robora-

roboratur. Unde non immeritò Regibus comparantur. *Luth.* in seinen Dischreden *c. 38. Daniel. Moller. lib. 1. semestr. c. 40. num. 1. Heig. 1. q. 3. num. 53. War. ab Erenb. de fœder. c. 2. num. 147. lib. 1.*

12. De Electorum Origine varij varia tradiderunt. Neminem tamen meliùs & accuratiùs ea de re scripsisse quam Heigium *in illustr. q. 3. & seq.* asserit *Rulant. in tr. de commiss. & commission. p. 2. lib. 5. c. 4. n. 18.* qui enumeratis & refutatis multorum sententijs concludit, sub Ottone III. Collegium Electorale constitutum esse. Mihi si modò A. Bullæ credendum, eorum probabilior videtur sententia, qui Collegium hoc non tam expressa, vel speciali aliqua constitutione constitutũ, quam antiquâ & sensim, Ordinum consensu invaluisse, & cœpta consuetudine introductum fuisse existimant: *Vid. text. in tit. 2. A. B. §.* Vnd dieweil *& tit. 4. in fin.* Ubi hoc nulli antecessorum sanctioni, sed consuetudini usuiq; longævo acceptum fertur. *add. Paumeist. de jurisd. lib. 2. c. 2. num. 38. & seqq. Schonb. lib. 5. Pol. c. 32. Anton. Coler. de jure Imper. Germ. concluss. 46. & seqq.*

13. Septem verò sunt constituti Electores, undè & dicti Septemviri, sicut olim Duumviri, Triumviri, Decemviri. Quare autem septem tantum sint Electores eleganter illustrat, *Andr. Knichen. comment. ad jus Saxon. verb. Electorum cap. 1. quando dicit:* Septem ideo numero sunt, ut hoc ipso perfectitudo Electionis summi Imperatoris constaret. Sic enim quando magnæ res sunt perficiendæ, hoc numero absolvuntur, quod collige ex *Gen. 2. v. 1. 2. 3. Jos. 6. v. 4. 18. 1. Reg. 7. v. ult. Mich. 5. v. 5.* Ubi notat *Osiand. f. m. 482. 4. Reg. v. 10.* Sic eodem modo summum Regis Persarum consilium 7. viris principibus absolvebatur. *Melancht. tom. 3. declam. orat. de dign. pr. Elect.*

14. De illo non injucundè quæritur, an numerus hic septenarius ab Imperatore augeri queat? Magis ego in Negativam inclino, dum recordor, me *apud Marquard. Freh. in not. ad Aur. Ball.* legisse. Maximilianum I. hoc ipso aliquando Electores tentasse, & jus suffragij in electione Archiducibus Austriæ quoq; voluisse conferre, at frustra.

15. Ex quibus septem, tres sunt Ecclesiastici, quatuor Politici seu seculares. Existimarunt enim Veteres, Imperium Romanum in portu consistere, si ex togata & armata militia constitueretur, quò Imperatoria majestas & ll. armata & armis decorata tantò clariùs omnibus illucesceret. Unde & Imperium Romanum dicitur sacrosanctum.

16. Archiepiscopus Moguntinus inter Ecclesiasticos primas tenet. Unde & Collegij Electoralis Decanus dici meruit *Buxtorff. in dissert. ad A. B. conclus. 15.* & jus convocandi Electores habet *A. B. tit. 1. §.* Wann es darzu kommen/ & perquirendi vota ex alijs. *A. B. t. 4.* Secundus est Archiepiscopus Trevirensis. Tertius, Archiepiscopus Colonienſis.

17. Olim Archicancellarij dicebantur. Siquidem unus Cancellarius erat per Germaniam, Moguntinus scil. alter, per Galliam, Trevirensis: tertius per Italiam, Colonienſis: At cum Aquilæ Romanæ duo ista Regna, Galliæ & Italiæ, sint avulsa etiam Cancellariorum qui per Italiam & Galliam fuerunt, potestas diminuta est, adeò ut nihil ferè quàm nomina restare videantur. Quo factum est ut omnia, quæ ad Archivum Imperij spectant, in solum Germaniæ Cancellarium collata inveniantur.

18. Cæterum seculares quod attinet, sunt eorum quatuor, quorum primus Rex Bohemiæ, quippè ex regiæ dignitatis fastigio meritò obtinet primariam. *A. B. tit. 4. §.* Zum dritten. Nec refragatur, quod supr. dixerim Electoralem dignitatem, comparari & adæquari regiæ; Nam Bo-

hemus non solum est Elector sed etiam Rex, adeoq; non solum æquiparatur Regi propter Electoralem dignitatem, sed etiam revera est Rex & regia dignitate præditus. Jam verò habens dignitatem duplicem, jure præfertur habenti saltem unam. *uti constat ex disp. n. 5. th. 26.*

19. Bohemum in ordine sequitur Comes Palatinus Rheni: & eum Elector Saxoniæ: Tandem MarchioBrandenburgensis *d. t. 4. A. B.*

20. Generaliter de quatuor hisce posterioribus secularibus scil. Electoribus notandum, quod successione gaudeant ex jure primogenituræ, ut nec illud testamento Patris ijs auferri queat, *per tradita ab Anton. Coler. de jure Imperij Germ. sect. 51.* Et gaudet hoc jure Primogenitus etiamsi natus sit, antequam pater successit in Electoratu, præferturq; fratri à patre jam Electore prognato, *per ea quæ tradidi disput. 4. th. 49.*

21. Competere autem Electoralis dignitas, itemq; territorij administratio nulli potest, nisi qui annum 18. compleverit. *A. B. tit. 7.* Interim ergò proximus agnatus senior, tutor & administrator ejus existit, *d. t. 7.* Quod an etiamtum locum habeat, quando in testamento alius datus est, controversa quæstio est? Equidem licet in decisione hujus libenter meam agnoscam imbecillitatem, Academici tamen exercitij gratia, videbo num propugnari queat assertio: Tutelam testamentariam in Electoratu locum habere & eam legitimæ præferri.

22. Insuper specialiter de Electore Palatino & Saxone sciendum, quod præter Electionis jura habeant peculiare, ut vacante sede Imperij sint Vicarij, & vices Imperatoris in imperio gerant, donec novus Imperator constituatur, *A. B. tit. 5.* Ita quidem ut Comes Palatinus in partibus Rheni, Sueviæ & in jure Franconico, Elector verò Saxoniæ in illis

illis locis, ubi Saxonica jura servantur, æquali potestate imperio provideant, exceptis quibusdam specialiter Imperatori & Regi Romanorum reservatis. *d. t. §. R. A. de anno 1521. §. Ob auch Sachen fürfielen. Ordin. Cam. part. 2. tit. 7.*

23. Ergò ab horum Vicariorum sententijs appellari non potest: tum quia à Vicario ad eum cujus est Vicarius, non appellatur, cum utriusq; idem sit tribunal. *l. 1. 2. C. de off. ej. cui. vic. ali. jud.* tum quia à Vicarij sententia non appellatur, nisi ad eum, ad quem appellaretur, si ipse cujus vices sustinet, judicasset. *l. 1. §. 1. ff. quis & à quo app.* tum deniq;, quia capitulatione adstringitur Imperator, ut ea quæ interregni tempore à Vicarijs gesta sunt rata habeat, modò tamen legitimè gesta sint. *Anton. Coler. de jur. Imper. German. conclus. 33.*

24. Rursus specialiter hoc jus ex vetustis imperij moribus & Aur. Bull. confirmatione habet Elector Palatinus, ut Imper. vel Rex Roman. super causis, pro quibus impetitus fuerit, coram ipso conveniri possit, ita tamen non in Palatinatu, sed in ipsius Imperatoris curia, ubi ipsemet præsens extiterit, jndicium instituatur, & de causa cognoscatur. *A. B. tit. 5. §. fin. Ampliss. vir Dn. Thom. Michael. de jurisd. conclus. 131.*

25. Unde illud promanat dubium, an idem obtineat in causis Feudalibus, in quibus alias exorta lite inter Vasallum & Dominum coram paribus Curiæ controversia definitur. Affirmativam tuetur *Sixtinus lib. 1. de regalib. c. 8. n. 53.* Sed magis mihi arridet illorum sententia, qui statuunt, quod talis cognitio non ad Palatinum, sed ad Pares Curiæ spectet. Tum quia juris Feudalis decisio specialis est, & quidem antiqua, ut in lite feudali coram Paribus Curiæ Dn. conveniatur. *c. 1. §. si inter. de alien. feud. patern. c. 1. de Feud. fin. culp. non amitt. Clar. §. Feudum q. 90. in pr.* Aureæ

verò

verò Bullæ constitutio generalis & posterior, quæ nunquam speciali derogat *l. in toto jure & ibi Dd. ff. de R. J.* etiamsi specialis præcedat generalem. *text. in l. si ita fuero ff. de novat.* Tum quod causæ feudales inter Vasallum & Dominum vertentes, ad hoc specialiter sint privilegiatæ, ut earum cognitio ad pares curiæ spectet *dd. supr. jurib. Schrad. de feud. part. 10. sect. 5. n. 43.* in generali verò dispositione non continentur isti casus qui specialiter sunt privilegiati. *add. Schrad. alleg. loc. Rosenthal. de feud. cap. 12. conclus. 3. n. 15. Borch. de feud. cap. 10. n. 6. Wesenb. cap. 17. Vultei. de feud. lib. 2. c. 2. num. 24.*

26. Præterea nec illud ultimum Electorum est privilegium, quod nemini subditorum vel incolarum, ab Electorum vel eorum officialium sententijs nisi denegata fuerit justitia appellare liceat. *A. B. tit. 11.* Licet privilegium illud apud plerosq; Electores evanuerit, qui illi contrario usu renunciarunt. *Dn. D. Thom. Michael. de jurisd. conclus. 26. lit. c.* Solus Elector Saxonicus & Brandeburgicus illud in viridi conservarunt observantia. *Sixtin. de regal. lib. 1. c. 5. n. 14. Heig. 1. q. 4. n. 32. Dn. D. Gerlac. Buxt. ad A. B. conclus. 94. lit. c. Bocer. de reg. c. 2. n. 244.*

27. De alijs Electorum privilegijs ut & eorum officijs, de quibus multa egregiè constituta leguntur in Constitutione Carolina, quam auream Bullam vulgò appellamus prolixiùs differere non licet, ideoq; B. L. eò remitto, interim generaliter notari possunt, sequentes versiculi:

Moguntinus, Trevirensis, Colonienſis,
Quilibet Imperij sit Cancellarius horum.
Est Palatinus dapifer: Dux portitor Ensis:
Marchio præpositus Cameræ, Pincerna Bohemus:
Hi statuunt Dominum cunctis per secula summum.

28. Illud interim hîc addere lubet, unde Aurea Bulla, de qua jam sæpiùs, dicatur. Sciendum ergò Imperatorias literas olim non lino & cera ut vulgò, fuisse obsignatas & obligatas, sed patentes, ut & hodiè loquimur. Has Græci posteriores vocarunt βυλὰς, quod in illis consuleretur aut decerneretur aliquid ab Imperatore. Constat autem literas ejusmodi Principales varijs rebus fuisse decoratas, puta, majestatis causa: unde aliquando etiam non ex charta, sed ex solida materia fiebant, h.e. auro vel argento. Hinc appellatæ illæ literæ χρυσόβυλλα, *Themist. orat. 5.* & ita hodiè quoq; extat Aurea Bulla Caroli IV. *uti videri potest Petr. Heig. p. 1. quæst. 4. n. 11.*

29. Secundam Imperij classem constituunt, Germaniæ Principes tam Ecclesiastici veluti Archiepiscopi, Episcopi, Abbates & Prælati, quam seculares, ut sunt Archiduces, Duces, Marchiones, Landgravij, Comites & Barones.

30. Dixi Principes, circa quod vocabulum velim notari, propriè quod soli imperatori competat, ut etiam is ea appellatione denotari solet in LL. nostris Romanis *l. Princeps ff. de LL. tot. tit. ff. de constit. Princip. §. sed & quod l. de J. N. G. & C.* usu tamen & usurpatione generali factum esse, ut hodie omnes, sive sint Electores sive Duces vel Comites Principes vocentur. Ubi rursùs notandum. Omnem quidem Electorem, Ducem, Comitem &c. esse Principem, sed non è contra, omnem Principem esse Electorem, Ducem, &c. Sicut omnis homo est quidem animal, sed non è contra omne animal est homo.

31. Neq; hîc prætereundum, quibusdam Principis nomen attribui in specie, qui neq; Duces, neq; Marchiones nec Comites dicantur. Sic in Imperio nostro est Princeps Anhaldinus, vulgò Fürst von Anhalt / qui neq; Dux nec Marchio. *Matth. Steph. de jurisd. lib. 2. part. 1. cap. 5. n. 24.*

32. Epi-

32. Episcopi nomen quod est generale, deducitur à Græco verbo ἐπισκοπεῖν, quod inspicere significat; Latinè speculator ac inspector vitæ morumq; populi dicitur, quiq; curam habet actuum sacrorum, disciplinæq; Ecclesiasticæ. *C. Cleros. 1. dist. 1.*

33. Unde Archiepiscopus ἀπὸ τῆς ἀρχὴς καὶ σκοπεῖν, quasi Princeps & summus Episcoporum. Hi Archiepiscopi aliàs etiam Metropolitani dicuntur. *c. per totam 9. q. 1.* quod in metropoli, i. e. matrice jam olim constituti sint. Hinc *Paumeist. lib. 2. de jurisd. Imp. Rom. c. 7. n. 4.* dicit. Archiepiscopos universæ provinciæ plures civitates complectentis Ecclesiæ esse Præfectos.

34. Archiepiscoporum præter tres Electores Ecclesiasticos numerantur hi: Magdeburgensis in Saxonia, ex antiquo Germaniæ instituto & prærogativa per Germaniam Primas: Saltzburgensis in Bavaria, qui perpetua quadam Pontificis legatione fungitur, & Legatus natus sedis Apostolicæ appellatur. Bremensis itidem in Saxonia. Rigensis in Livonia *Munster. lib. 3. in Cosmograph. in descript. Germaniæ cap. 25.* quibus alij addunt Bisuntium in Burgundia.

35. Ad Archiepiscopos refertur etiam Magister ordinis Teutonici; qui in dignitate major est Episcopo, veluti Archiepiscopi vices subiens, & in Comitijs Imperij, Auff der Geistlichen Fürstenbanck hat der Hochmeister Deutschens Ordens / die nechste Session nach den Ertzbischoffen / vnd den Vorsitz vor allen Bischoffen. *Ruland. de commissionib. part. 2. lib. 2. c. 11. num. 40. lit. C. fol. 56.* Reichs A. zu Augspurg *de anno 1525.*

36. Episcopi simpliciter & absolutè ita dicti, qui & Diæcesani appellantur, unà tantum civitati, & vicis ei adjunctis præesse dicuntur à *Paumeist. d. l. n. 3.* Unde & *Panormitanus in c. 1. de privileg. & excess. prælat. n. 1. sub fin.* scribit,

de consuetudine in Italia receptum esse, ut pro civitate non habeatur locus, nisi Episcopum habeat. In nostra Germania tamen Episcopos non uni tantum civitati, sed integris etiam provincijs præesse, cuivis notum est.

37. Episcoporum dignitas est amplissima *Scot. resp. 28. n. 35. tom. 1.* Insignis etiam potestas, utpotè sua in diœcesi non minùs ac cæteri Principes in suis imperium & jurisdictionem habent.

38. Equidem non ignoro esse non paucos, qui seculare Imperium Episcopis denegent, per dictum Christi, *Luc. 22, v. 25.* dicentis. Reges gentium dominantur vos autem non sic. Verum facilè etiam ijs occurri potest *ex Apolog. August. Confess. sub tit. de potest. Ecclesiast.* quæ ita dicit: si quam habent Episcopi potestatem secularem, hanc non habere ex mandato Dei, ut Episcopos, sed ut Principes Amplissimarum ditionum ex jure humano, donatam à Regibus & Imperatoribus ad administrationem civilem suorum bonorum; Hinc Doctores tradunt Episcopos duplicem personam repræsentare & sustinere, secularem & Ecclesiasticam: adeoq; duplicem habere jurisdictionem, Ecclesiasticam & secularem. *Sixtin. de Regalib. lib. 1. c. 4. n. 122. Matth. Steph. de jurisd. lib. 3. part. 1. c. 14. n. 10.* Quatenus ergò Ecclesiastici sunt, eatenus regalia, imperia & jurisdictiones eis non competunt, sed quatenus sunt Principes & status Imperij Romani. *Vultej. lib. 1. de feud. c. 4. & c. 5. n. 7. Geil. 1. obs. 30. n. 4. & 5.*

39. Nec juvat eos *Nov. 6. in pr.* ibi, Quod separata Dei dona sint, sacerdotium & imperium, illud divinis ministret, hoc verò secularibus præsit negocijs: & per consequens in una persona concurrere nequeant: hoc, inquam, nihil; Nam licet Episcopi jura territorialia & secularem potestatem ex liberalitate piorum Principum una cum Episcopali

pali & Diœcesano jure possideant, manent tamen separata munera, sacerdotium & imperium, nec propterea confunduntur: quia illud jure ministerij, hoc jure usurpant territorij: siquidem idem homo diversis respectibus præditus, diverso jure censeri, & sic duplicem personam repræsentare potest, *c. cum capella de privileg. c. cum ex literis de probat. l. apud filium de manumiss. vind. Tiraq. de Nobil. c. 28. n. 15. Geil. 1. obs. 30. num. 2. in fin.* Sic Paulus poterat esse Apostolus & textor. *Actor. 20. v. 34. 1. Corinth. 12. v. 12.* Diversi namq; respectus in eadem persona considerantur non secundum idem & idem, sed secundum aliud & aliud. In Politia Mosaica Moysen, Samuelem, Esdram mixtam exercuisse potestatem & imperium notum est. In Republ. Romana Crassus Licinius Consulatum, & Pontificatum simul gessit. *Alex. ab Alexand. lib. 2. genial. dier. cap. 8.* Numa Pompilius Rex & Sacerdos celebratur. *Liv. lib. 1.* Quod non videtur usquequaq; improbandum, si gubernatio secularis spiritualem non impediat omninò. *Philipp. Melanth. in Epit. Philos. Mor. p. 121.* De Abbatibus & Prælatis ut & Abbatissis ipse velim videas. *Schonborn. lib. 5. Polit. c. 37. & post eum alios.*

40. Sequuntur Principes seculares, inter quos juxta Electores summam in Imperio Romano dignitatem obtinent Archiduces. *Vult. de feud. lib. 1. c. 4. sub num. 14.* Sicut enim Archiepiscopus præfertur Episcopo, sic etiam Archidux, Duci.

41. Nomen hoc ut ait *Chass. de glor. mund. part. 5. consid. 44. vers. audivi alios.* in Germania tantum usurpatur, & nulli alij quam Austriacæ familiæ tribuitur. Et licet non defuerint Duces, qui etiam Archiduces nominari voluerint, tamen hoc apud Imperatorem obtinere non potuerunt, *Sixtin. de regalib. c. 4. n. 30.*

42. Ad Originem hujus dignitatis quod attinet, ascribunt eam Historiographi Rudolpho I. Habspurgensi, is enim cum Austria legitimo hærede destitueretur & imperio aperiretur, eam filio Alberto sub titulo Archiducatus contulit, per quem tota illa amplissima Archiducum familia propagata. Ex hac eadem descenderunt Reges Hispaniarum. Unde Archiducum Austriæ duæ factæ lineæ, prima Ferdinandi, quæ propriè Austriaca; altera à Carolo V. deducta Burgundica appellatur. *Paurmeist. de jurisd. lib. 2. c. 1. sub n. 17. Matth. Wehner. in pract. observ. verb.* Standt des Reichs *pag. 616.*

43. Privilegia Archiducum non sunt minima; siquidem quædam habent quibus Electoribus pares sunt. *Rulant. de commiss. p. 4. lib. 5. c. 4. num. 23.* quædam etiam quibus eos superant, utpote in erectione novorum vectigalium in suis ditionibus, possuntq; non solum Nobiles sed & Barones creare, ijsq; insignia dare & ijsdem si abutantur privare, *de quibus verbotenus vid. Munster. in Cosmograph. lib. 3. c. 399.*

44. Sic prætendunt etiam ijdem Archiduces privilegium exemptionis à Camera in causis appellationum. Verum Cameram diversis vicibus processus, inhibitiones & mandata contra eos decrevisse multis præjudicijs demonstrari posse testatur. *Thom. Michael. de jurisd. conclus. 23.*

45. Et quod magis est, novit quilibet crimen læsæ Majestatis in superiorem recognoscentes propriè non committi, *Mynsing. resp. 44. n. 9. 10. 12. 13. & seq. Rosenthal. de feud. c. 10. conclus. 35. num. 40.* & tamen in hos committitur, per ea quæ tradit *Sixtin. lib. 2. de regal. cap. 20. n. 20.*

46. Insuper probatione illud non indiget, Vasallum ad domum domini investituram petere, id tamen etiam secus est in Archiducibus Austriæ, qui non tenentur extra provinciam investituram petere, Das die Ertzhertzogen

nicht

nicht schüldig sein vmb entfahung jhrer Lehen ausserhalb des Lands Oesterreich nachzureisen / sondern sie sollen in demselben Landen geliehen werden. Item tecto capite, insidentes equo investituram accipiunt. Cum tamen alij quam humiliter quam devotè investituram petant. *c. 1. §. nulla, per quos fiat invest. Schrad. de feud. part. 5. cap. 3. num. 2.* De alijs prærogativis præsertim in sessionibus taceo, interim videri potest, *Wehner. in pract. observ. verb.* Standt des Reichs/ *pag. 616.*

47. Illud scitu non est injucundum, per quam occasionem privilegia talia splendida Archiduces fuerint adepti, ubi notandum, promanare ea non tantum ex Imperatorum posteriorum gratia & propensi animi inclinatione, sed etiam ex præclarissimis istius gentis meritis & periculis, quibus opposita & exposita semper fuit. Hinc Frideric. I. Imperator verissimè simulac venustissimè Austriam cor & Clypeum S. Imperij Romani dixit, referente *Rittershus. in orat. de vit. Frid. I.* cui calamitas furoris Turcici & ignis Bellonæ primò imminet. *R. A. de anno 1566. §.* Diese Form vnserm *ibi.* gleich vnsern Erblanden das Fewer zum nechsten anscheinet.

47. Post Archiduces proximum sibi vendicant locum Duces vulgò Hertzogen / quasi Domini & Duces exercitus Herrn des Zuges. Origo ab exercitus Romani Ducibus emanasse creditur. *Zas. de feud. part. 5. n. 6. Vult. de feud. lib. 1. c. 4. n. 14.* Hodiè verò Dux ille dicitur, qui de Ducatu à Principe supremo est investitus, h. e. cui Princeps in beneficium regionem, quæ Ducatus nomine veniebat, concessit: primis quidem temporibus ad vitam, postea verò in perpetuum. *Sonsbec. de feud. in tit. qui feud. dare poss.* Et quamvis alias res à persona sumat statum *l. 1. C. de impon. lucrat. descript.* ac tanquam accessoria Possessoris tanquam

Princi-

Principalis conditionem sequatur *c. accèssorium de R. J. in 6. Dn. Cothman. 1. cons. 10. n. 6.* tamen hoc casu persona à re sumit nomen, postquam ex concessione & acquisitione Ducatus fit Dux.

49. Inter Duces autem qua Duces, nulla differentia est, sed duntaxat ordo in sessionibus, *Vult. de feud. 4. c. 14.* Ex illo ordine dependet, quod alij sint Duces Imperij, alij vero simpliciter Duces: Duces Imperij sunt quatuor; Brunsuicensis, Bavariæ, Sueviæ & Lotharingiæ, *Schonborn. lib. 5. Polit. c. 38. de quib. infra plurib.*

50. Duces sequuntur Marchiones, Landgravij & Comites Palatini. In derivatione Marchiæ magna & mira Dd. est dissensio. Sunt qui Marchiam à Marcomiro Francorum Duce deducant, quidam à Marca, quæ germanis equa olim dicta, unde Marchare quod est equitare; ita ut Marchio sit quasi equitum præfectus seu Magister; *Alciat. in parerg.*

51. Verum Dn. Vultejus notationes istas *lib. 1. feud. c. 4. n. 14.* eleganter refutat, traditq; Marchiones dictos esse ex eo quod finibus Imperij Romani tuendis præfecti essent: quod etiam probabilius videtur: Nam fines & limites lingua Germania dicuntur Marck unde Gemarckung/Marckstein/ Marckscheiden / quo etiam pertinet, jus limitum, Marckrecht/ & inde Marchiones Duces limitanei vulgò Marckgraffen.

52. Ac licet hodie Marchiones non sint limitum defensores, siquidem hodie Marchio dicitur, qui de Marchia est investitus à Rege seu Principe, h. e. de feudo cum Regali dignitate, ut supra etiam de Duce dictum est, tamen nomen ipsis ex consuetudine adhuc integrum est, *Lazius in Comment. Reip. Rom. lib. 1. c. 2.*

53. Mar-

53. Marchiones in imperio nostro sunt quatuor, Brandenburgensis, Misnensis, Moraviæ & Badensis. *Schonborn. lib. 5. Polit. c. 39.*

54. Landgravij sunt quasi Comites Provinciarum, siquidem olim erant judices & præsides totius alicujus provinciæ. *Valtej. 1. feud. c. 4. n. 14.* Dicti etiam fuerunt judices mediterranei. Richter eines Lands/ das zwischen des Reichs Lande liegt. *Borcholt. de feud. c. 5. num. 33.*

55. Notandum hîc venit, quod olim Landgravij ut & Marchiones ex Comitum genere fuerint, hodie verò his sint superiores & in serie Principum collocentur. *Heig. illust. q. 2. n. 55. p. 1. Ryland. de Commiss. p. 2. lib. 5. c. 4. num. 26.* neq; minor dignitas Landgraviatus & Marchionatus quam Ducatus. *Sixtin. de Regalib. lib. 1. c. 5. n. 119.* Horum quatuor in Imperio familiæ reperiuntur, utpote Thuringiæ, Hassiæ, Alsatiæ, & Leuchtenbergensis. *Schonborn. d. l. in fin.*

56. Ad classem Marchionum & Landgraviorum referuntur etiam Comites Palatini: quippê & hi Principes imperij sunt & eandem cum his dignitatem obtinent, Dicti autem hi Comites Palatini sunt à Palatio Imperatoris, siquidem olim judices erant Palatij Cæsarei, qui nunc dicuntur Cammer oder Hoff Richter/ Hodie Comites Palatini sunt & dicuntur, qui de principatu seu regione ea, quæ in Palatinatum zu einer Pfaltzgrafschafft erecta est, investiti sunt. Itaq; qui tali Principatu non sunt investiti, impropriè & abusivê Comites Palatini dicuntur. *Chass. in tr. de gl. mund. consid. 50. Sixtin. de Regal. lib. 1. c. 4. n. 108.*

57. Talium hodiè in imperio nostro magnus est numerus; & sunt illi qui hoc titulo à Cæsarea Majestate donantur, ac officium habent cùm eximia dignitate conjunctum, & jus tale exercent, quod ad regalia & quidem majora spectat, utpote dandi veniam ætatis, legitimandi, Nobiles

Doctores, Magistros creandi, insignia concedendi, laurea Poetica aliquem donandi & similibus, *de quibus vid. Matth. Steph. de jurisd. lib. 2. part. 1. c. 6. membr. 1. ubi in specie de eorum potestate & jurib. tractat.*

58. Non autem creditur Comiti Palatino, dicenti se talem esse: nisi id probet: & qui falsò asserit se Comitem Sacri Palatij & exercet jura, quæ Comitibus Palatinis solent competere, debent puniri pœna mortis *sec. Bald. in l. data opera n. 50. C. de ijs qui accusar. non poss.* ubi illa ratione utitur, quia deliquit in ipsum Principem, à quo authoritatem se habere fingit. *arg. l. 1. C. de privat. carcerib. & c. paratus 23. q. 1.* Quam Baldi doctrinam procedere posse, ait *Menochius de arbitr. jud. quæst. casu 320. num. 9.* ob maximum periculum, quod ex eo crimine pendet, nempe ob falsa instrumenta conficienda à Notario, creato à Comite Palatino falso.

59. Nec possunt hi Comites Palatini potestatem ab Imperatore concessam alij exercendam delegare & committere, siquidem ipsi personæ privilegia ista ab Imperatore sunt concessa, adeoq; electa ipsius personæ industria, quo casu actus per alium explicari non possunt, *C. fin. de off. deleg. l. unic. §. fin. C. de caduc. tollend. l. servus in fin. de statu liber. Rol. à Valle consil. 23. n. 16. Gail. 1. obs. 97. n. 2.*

60. Sequuntur in ordine Comites. Nomen Comitis in genere est à comitando & sequendo *l. item apud Labeonem 15. §. Comitem 16. ff. de injurijs:* sic veteribus Comites dicebantur qui Proconsules & præsides in provinciam euntes, tanquam publicorum negotiorum consortes & administri sequebantur, quales erant Quæstores, Scribæ &c. *l. senatusconsulto 16. ff. de offic. præs. l. sed addes 19. in fin. locat. cond. l. administrantes 41. §. eorum ff. de excus. tut. cum simil.*

61. Successu temporis appellatio Comitis porrecta

est

est ad omnes, qui cui negotio præpositi essent. Unde est Comes sacrarum largitionum, i. e. præfectus sive præses, cui thesauri Imperatoris fuerunt commissi. *tit. Codic. de offic. Comit. sacrar. largit. Vultej. lib. 1. Jurisprud. Rom. c. 12. ad num. 55. in marg.*

62. Nobis hodiè ille propriè dicitur Comes, qui de comitatu investitus est à Principe, vel alio hoc jus habente. Vel demum qui longo temporis usu hunc titulum contraxit. Sic multos reperies in Germania Comites de comitatu non investitos, qui à Castris quæ possident denominationis & dominationis istius titulos contraxerint. Nam vetustas & privilegium pari passu ambulant, ita ut quæ privilegio ea etiam vetustate induci possint. *l. 1. C. de servit. Dn. Ernest. Cothman. 2. Consil. 79. num. 72.* Et in horum numero esse Nobilissimos Comites ab Ottingen & Zollern. *tradit Paurmeist. de jurisd. lib. 2. cap. 10. n. 15.*

63. Germanicè Comites vocantur Graffen/cujus vocis notatio mirè torquetur à Dd. mihi verius videtur, hanc vocem ab origine ita natam, non verò factam aut aliunde derivatam esse, ita ut originaliter nihil aliud quam judicem denotet, si quidem non solum priscis temporibus, sed etiam hodie in plurimis Germaniæ locis vox Graffe aut Gräffe denotat judicem, unde illæ descendunt appellationes Centgräffe / Gogräffe / Freygräffe / Holtzgräffe cum similib. *Speculat. Saxon. lib. 3. art. 53. & seqq.* Hinc apud Feudistas Comites sunt judices ordinarij, qui in pace & ocio jus reddunt, *cap. unic. §. si judex de pace tenenda.* Sicut enim Herzogen seu Duces erant militiæ, ita Graffen seu Comites erant justitiæ. *Wehner. in observ. pract. d. verb.* Graffen.

64. Cæterum Comitum quidam Principum ordine censentur, dicunturq; Fürstliche oder Gefürstete Graffen/ qualis est Comes Gortzensis R. A. *de anno 1570. §.* Nach

dem auch auff jetzo/ *ibi* die Fürstliche Graffschafft Görtz & *similib.* Quidam etiam præter Comitis appellationem vocantur Edle Herren/ ut sunt Comites Lippienses Graffen vnd Edle Herren zur Lippe/item Mansfeldenses & alij, qui titulus familiæ antiquitatem & generositatem utiq; exprimit.

65. Tandem circa Comites notandum obiter, quod in Imperio nostro quidam vocentur sint etiam Comites, attamen statum imperij non repræsentent, neq; sessionem ac votum in Comitijs habeant. Quales ij qui non immediatè sed mediate sub aliorum Principum jurisdictione bona possident, quæ postea salvo illorum Principum jure, quorum veri sunt Landsassij in Comitatum eriguntur, & eorum possessores Comites creantur, de quibus specialis Constitutio in R. A. *de anno 1548.* §. Wiewol auch). Tales reperiuntur Comites de Hardeck/ sub Austriacis. Item Graffen von Honstein sub Electore Brandenburgensi; Graffen von Newgarten sub Ducibus Pomeraniæ & Episcopo Caminensi. *Conf. Matth. Steph. de jurisd. lib. 2. part. 1. cap. 6. n. 115. circ. fin.*

66. A Comitibus pervenimus ad Barones. Cujus vocabuli origo adeò controversa, ut & ipsa quibusdam barbara visa fuerit. Alijs ista similis videtur appellatio der Bannerherrn/ à German. Banner/ quod significat vexillum. *Borch. de feud. cap. 5. n. 39.* Quidam deducunt ab Hebræo Bar, quod dicunt significare filium. Quò facit quod notat Lucas de Penna *in l. fin. num. 8. vers. item nota C. de mancip. & col. patrim. lib. 11.* ubi scribit: Quod cum primò Reges multos haberent filios, nec omnes possent Reges facere, cum Regnum sint indivisibile, donabant eis ampla castella cum jurisdictione & imperio, & inde Hebraico nomine vocabantur Barones, hoc est filij alijs celsiores. Quibusdam dictum vocabulum videtur à Germanico Freyen. *Paurmeist. de jurisd. lib. 2. cap. 10. num. 27.* Alijs aliter, uti videre est

apud

apud *Dn. Reinking. in reg. sec. lib. 1. class. 4. cap. 15.* ubi ille lectoris arbitrio relinquit, ut eligat quam velit, præsertim cum in vetustis facilè ignoretur origo; *l. si arbiter 28. de probat. Wesenb. in par. ff. de legib. n. 9.* quod & mihi videtur tutius.

67. Barones in Decretis Comitiorum lingua germanica varijs nominibus appellantur: alij simpliciter Freyen/ alij simpliciter Herrn/ alij Freyherrn/ alij semper Freyen/ alij Edle Herrn/ exinde tamen nulla genera Baronum constituenda asserit *Paurmeist. d. l. n. 38. & seqq.* Sed eos nobilitate & dignitate pares esse: cum omnes generali vocabulo Herrn comprehendi queant: In genere autem inter Barones *num. 41.* ita distinguit: quod quidam simpliciter Freyen/ Freyherrn/ Edle Herrn/ vel Herrn/ tantum: quidam cum adjectione Freyherrn des Reichs dicantur, qui locum in senatu imperij, ac dictionem sententiæ habent, de quibus nobis hic propriè sermo. Tales in Imperio antiquitùs constituti referuntur à *Munstero lib. 3. c. 24.* Limburgicus, Tussensis, Westenburgensis, Aldewaldensis.

68. Tandem aliquando ad tertiam Imperij Statuum classem devolvor, quam constituunt, Liberæ civitates, quæ prorsus à reliquorum ordinum jurisdictione exemptæ, ac immediatè potestati Imperatoris relictæ. *Vide disp. nostr. 2. th. 17.* Germanicè appellantur Freye Reichs Städte vel simpliciter Reichs Städte: inter quas nonnulli realem constituunt differentiam, atq; putant liberas Imperij civitates ex eo ita esse dictas, quod præ cæteris, (simpliciter scil. liberis) peculiaribus privilegijs & immunitatibus gaudeant. *Munster. lib. 3. Cosmograph. c. 24. Rulant. de commiss. p. 2. lib. 5. c. 4. n. 41.* Sed quæcunq; tandem vera sit differentia, illud certum est ex Recessibus Imperij eandem non apparere: quippe non solum hæ appellationes promiscuè usurpantur, sed

etiam ut plurimum copulatè conjunguntur, Freye vnd Reichsstädte. R. A. *de anno 1542. §.* Die Freye vnd Reichsstädte. R. A. *de anno 1544. §.* Vnd nemblich sollen/ *ibi* die Freye vnd Reichsstädte. Unde etiam inter ipsos Cameræ Adsessores de hac controversia non convenit. *add. Reinking. de reg. sec. lib. 1. class. 4. c. 20. n. 28. & seqq.*

69. Nec impedit civitatum Imperialium libertatem, ita scil. ut desinant esse Freye Reichsstädte / licet vicini Principes sint, qui ratione meri mixtiq; imperij vel vectigalium vel salvi conductus vel similium jus aliquod in ijs ex præscriptione vel conventione cum illis inita aliove modo habeant. *Regner. Sixtin. de regalib. lib. 1. cap. 5. sub num. 82.* Sic in civitate Colonienſi quæ sine controversia libera Imperij civitas est, Senatus quidem habet jus incarcerandi, inquirendi: sed damnandi, absolvendi adeoq; jus meri imperij habet Archiepiscopus. *Wehner. in pract. obs. verb.* Freye Reichsstädte *pag. 180. Matth. Stephan. de jurisd. lib. 2. part. 2. c. 1. n. 33. add. thes. 21. disp. n. 2.*

70. Unde illa resultat elegans dubitatio. An civitas Imperij cum alio Principe convenire possit, atq; sic illi sese submittere? Quod fecerint nonnullæ testatur *Paurmeist. de jurisd. lib. 2. c. ult. in fin.* ubi pro exemplo adducit Susatum, Lemgoviam, Brackelam, & alias plures, sed num. rectè, controvertitur. Affirmativa non incommodè defenditur, modo illa subtractio non fiat in præjudicium superioris. Interest enim Cæsaris & Reipubl. ordines ac status Imperij integrè conservari. *c. 1. de prohib. feud. alien. per Frid.* Hinc si Princeps civitatem eximere velit, vel illa eximi sepatiatur, Fiscalis interesse Imperat. prætendens, processus contra alterutrum vel utrumq; instituit. *Gail. 1. obs. 21.* Et ut Dominus subditos invitos alienare nequit *d. c. 1.* sic & è contra subditi alteri quam vero domino se submittere non debent.

bent. Nisi forsan justæ subtractionis essent causæ, *de quibus vid. Coler. in c. cum non liceat n. 9. & seqq. extr. de præscript. Henr. Bruning. de var. univers. spec. conclus. 16.*

71. Civitates Imperiales non tantum vocantur ad comitia ibiq; sessionem habent: sed etiam votum tam decisivum quam consultivum habent, & non immeritò. Siquidem secundum naturam est, eum sequi commoda quem & sequuntur incommoda. *c. qui sentit onus 57. de R. J. in 6. pr. I. de legit. patr. tutel.* At nemo sani cerebri negaturus est, magnam onerum partem civitatibus Imperialibus incumbere. Eadem natura docet, neminem cum alterius damno locupletem fieri debere. *c. locupletari 48. de R. J. in 6.* Quis autem hoc eventurum non videt, si reliqui Status civitatibus Imperialibus pro libitu collectas imponant. Imò ipsi Principes inferiores Cæsare, collectas subditis suis imposituri, subjectas sibi civitates ad consentiendum invitant. Absurdum autem foret, meliore conditione gaudere municipales quam liberas civitates.

72. Constat insuper ex Imperij constitutionibus per viam contractus imponi collectas. In contractibus autem omnium, quorum interest consensus requiritur, & qui non consensit, non obligatur, prout multis probari posset. Quid quod ex *Aurea Bulla Caroli IV.* non minùs ex civitatum, quam Principum consilio res in comitijs directas fuisse, compertum est in *pr. ibi* Mannichfalt der Stadt Botschafften. Idem apparet ex *Frider. III. de anno 1442.* Quin etiam omnes ferè recessus disertam civitatum mentionem faciunt. Ac licet quibusdam in locis civitatum nomen expresse non ponatur, sub generali tamen Statuum reliquorum appellatione eæ comprehenduntur. Præterea civitates jus præsentandi Adsessores, quod solis Statibus imperij

conve-

convenit, habere, nulli nisi in patria peregrino ignotum esse potest.

73. De Nobilibus immediatè imperio subjectis tria hic addo: quorum 1. qui illi sint, & sciendum quod ratione loci ubi degunt in tres possint distingui classes; Franconiam, Sueviam, & Rhenanam. *Recess. Imp. poster. August. de anno 1500. tit.* Was man mit den Ritter schafften zu Franken/ Schwaben/ Rhein Landen handeln sol. Quare ijs tantum locis ordo equestris immediatè subsit Imperatori; alibi verò Principes & Dominos territoriorum ita agnoscant, ut loco subditorum habeantur? *Quod vide expositum apud Besoldum in discurs. de ordin. equestr. in Imper. Rom.* 3. Utrum inter status Imperij sint referendi? Et licet olim comitijs eos interfuisse planum sit ex Bulla Sigismundi *v. 2. & 4. nec non c. 12. A. B. Carol. IV. & Recess. Imper. de anno 144, in pr.* Hodie tamen ad Statuum diætas vocari desierunt, nec suffragandi nec sedendi jus in ijs habent teste *Sixtin. de regalib. lib. 1. c. 4. n. 44.*

74. Et hactenus de distributione Statuum in classes dixisse sufficiat, nunc dicenda quædam etiam essent de distributione in Quaterniones seu quatuor viros Verum brevitatis ergo te ad Dd. remitto.

75. Tandem distinguuntur Status in decem circulos. I. Est Austriacus. II. Burgundicus. III. Electorius Rhenanus. IV. Saxonicus superior. V. Circulus Franconicus. VI. Bavaricus. VII. Suevicus. VIII. Rhenanus. IX. Westfalicus. X. Saxonicus inferior. Qui tamen decem, quoties in comitijs circulariter aliquid deliberandum in sex contrahuntur. *Confer Reinking. lib. 1. class. 3. c. 2. n. 6.*

Disputationum JURIDICO-POLITICARUM UNDECIMA

DE CONSILIARIIS ET LEGATIS.

RESPONDENTE

JOHANNE DUNCKEN

Rostoch.

THESIS I.

ET hactenus etiam de difficillimo Reipublicæ munere, nempe de Magistratibus tam in genere quam in specie, eorumq; muneribus satis actum est: Exigit nunc ordinis ratio, ut simul aliquid de ipsis administris & medijs, sine quibus Respublica, quæcunq; tandem fuerit, nec benè regitur, nec Magistratus dignè geritur, agamus. Princeps quippè quod Pythagoram potuisse fabulatur *Ælian. in suis varijs histor.* omnibus locis adesse, *l. magistros 7. C. de profess. & med.* & multitudine causarum distentus seu præventus, ad omnia advertere, omnium litium finitioni interesse non potest, *auth. sed & lis cum seq. C. de temp. appellat.* atq; ita sine administris justitiæ Respubl. corrueret, frustrà enim jura sancita essent, nî forent qui ea redderent. *l. 2. §. post originem 13. ff. de O. I.*

2. Consistunt autem illa media vel consilium suggerendo, vel suggestum in actum deducendo: Hac parte

visuntur CONSILIARII, illa præcipuè eminent & emicant LEGATI. De hac ergò ut Consiliariorum ita & Legatorum materia utilissima, aspirante Divini Numinis aura, pro ingenij viribus collationem quandam instituam.

3. Dicuntur Consiliarij quasi consilijs cudendis destinati, vel potiùs à consulendo, *arg. l. 1. in pr. ff. de offic. consul.* diu enim noctuq; consilijs suis pro Principe laborant, *l. ult. in fin. C. de quadrienn. præscript.* Quò pertinet illud Antonij Trigonæ *singular. 87. n. 4.* Consilium à civitate vel consistorio, lignum à nemore petendum esse.

4. Atq; ut ad definitionem accedam, Consiliarius est, qui Magistratui suo salutaria de Republ. fideliter & prudenter suggerit, *Lipsi. lib. 3. Polit. c. 4. Gregor. Tholozan. de Republ. lib. 10. c. 3. num. 6. & 7. Aristot. lib. 6. Eth. c. 7. Althus. cap. 22. Polit. pag. 288.* Vel consiliarius est persona publica, consilijs suis statum Principis promovens. *Josias Nolden. c. 5. num. 1. de offic. jur. dign. & privileg. consil.* Vel etiam consiliarius optimus est ille, quemadmodum eum descripsit *Camerar. in cap. 47. part. 2. horar. succisivar.* qui non privatis inimicitijs impulsus, aut gratia adductus, sed publica utilitate commotus, sententiam suam dicit, & optimè de futuris consultat, qui rerum futurarum exempla ex præteritis desumit.

5. Consiliarij pro locorum imò etiam negotiorum quibus præficiuntur diversitate dispescuntur. 1. Quod alij sint consiliarij Imperij vel Regni; alij Imperatoris vel Regis. Consiliarij Imperij vel Regni non incommodè dici possunt Electores & Proceres de quibus in disputatione antegressa dictum. Reliqui consiliarij sunt vel ordinarij vel extraordinarij.

6. Ordinarij sunt illi, quorum consilijs magistratus semper vel saltem sæpiùs utitur; & vicissim sunt vel Politici vel

vel Ecclesiastici. Ecclesiastici qui res sacras & divinas suis dirigunt & promovent consilijs: Politici potissimum sunt in triplici classe, vel enim sunt consiliarij secretiores aulici, Die geheimbste Räthe/ vel consiliarij militares, Die Kriegs-Räthe/ vel consiliarij justitiæ, Cantzley und Justitien Räthe.

7. Extraordinarij consiliarij sunt, quorum consilijs magistratus non semper utitur, sed tantum urgente gravi aliqua necessitate. Et tales sunt vel provinciales, Die Lands-Räthe/ quibus præcipuè utitur princeps in dirimendis litibus provincialibus: vel sunt extra provinciam, quibus princeps utitur ad consilium dandùm de certis quibusdam causis, quas aliundè cognoscere oportet, undè germanicè appellantur, Räthe vom Hauß auß.

8. Generaliter in consiliario spectanda duo veniunt: 1. Electio. 2. Officium: circa Electionem imprimis ponderandum, ex consiliarij electione & honorem & utilitatem uti & ruinam & calamitatem populi dependere, quare eligendus est, qui animi & corporis præsidijs & veluti instrumentis munitus est, quibus finem suum & ea quæ ad finem spectant consequi possit. *Hæn. diss. 4. Polit. th. 14.*

9. Præsidia hæc partim sunt insita, partim acquisita. *Hippolit. à Collib. de concil. & consil.* Insita sunt ingenium & forma corporis. Hinc omninò oportet eum esse ingenio præstantem. Nam ut ingentia pondera, quæ nullis hominum viribus elevari possunt, machnis facilè tolluntur, ita quod alia sæpe ratione nequeas, ingenio id facilè efficies. Ingenio verò præditus variè dignoscitur, præcipuè si in dicendo argutus, in respondendo promptus, in arripiendo facilis, in docendo clarus, jocando suavis, in serijs cautus, & in versanda natura ita studiosus, ne virtutis immemor conspiciatur: quippè ingenium solers, quocunq; sese convertat, & bona & mala videt, bona laudat & amplectitur; mala verò

reprehendit, & absq; insectatione & injuria cujusquam refellit. *vide plur. ap. Frider. Fur. Ceriolan. c. 2. de concil. & consil.*

10. Hoc tamen ipso non contemno consiliarios ingenij non ita acuti & subtilis, sed aliquantùm tardi: nam sæpè evenit, ut hebetiores quam acutiores meliùs rempublicam administrent: rationem *ex Curtio reddit Lipsius lib. 3. Polit. c. 4.* hanc: quod subtilia illa & ignea ingenia in assiduo motu, sæpè novandis, quam gerendis rebus sint aptiora, nec quieta, quieta sinant; Inq; multiplici inventione & rationum copia plerumq; natent, & ægrè expediant aliquid cui insistant; proponant sæpissimè ea sibi quæ non sunt neq; erunt & mentem consiliaq; adversarij æstiment à subtili sua mente.

11. Hùc non incommodè quadrat quæstio illa anceps & dubia. Utrum præstabilius sit, habere ingeniosos bonosq; consiliarios, & stupidum malumq; Principem, quam Ingeniosum & bonum Principem, stupidos verò malosq; consiliarios? Et præstabiliorem esse Rempublicam ac tutiorem in qua Princeps malus, eâ, in qua sunt amici & consiliarij Principis mali, ex immotis rationibus concludo.

12. Constat enim omnibus, plures mali ab uno difficulter admodum quod corrigi queant; quid quæso faciet optimus Princeps, si amici, si familiares, si ipsius consiliari extiterint mali? frustrà sanè eos in ordinem redigere conabitur, potiùs callidis pernicioſisq; ipsorum consilijs parere necesse habebit. Exemplo nobis sit Ptolomæus Rex Ægypti, qui admodum adhuc adolescens, cum deliberatum fuit: Utrum Pharsalica ex acie fugiens Pompejus recipiendus, an rejiciendus esset? Vicit familiarum ac consiliariorum sententia, qui necandum esse suaserunt, eò quod mortuus non mor-

mòrderet: sed indè præter summum dedecus in quantum extremum periculum & Regem & regnum deduxerint, notat *Jun. in tom. orat. pag. 1171.*

13. E converso verò consiliarij boni haud difficulter corrigunt Principem malum, siquidem unus facile corrigitur à multis, cujusmodi exempla undiq; occurrunt. Notum est exemplum Domitiani Imperatoris, qui licet avarus, ambitiosus, crudelis, sævus esset, tamen quia consiliarijs usus est bonis, doctos ac prudentes amavit & audivit, leges non paucas easq; utilissimas tulit: coercuit magistratus, justè judicavit, scelera punivit acerrimè. *Antimach. lib. 1. de regn. admin. theor. 1. pag. 30.* Probat hoc itidem Judæorum Rex imus Saul, qui licet impius, tamen dum Samuelis Prophetæ consilio est usus, rectè plurima feliciterq; gessit. Sic Joas, qui etsi septem solummodo annorum esset, cum regnare cœpit, tamen egregiè regnum administravit, quia Jojadæ summi Sacerdotis aliorumq; optimatum consilijs obtemperavit. Ita & Gordianus Junior hoc ostendit, qui anno ætatis undecimo Imperator factus, Misithei viri doctissimi consilia sequutus est, indeq; imperium omni ex parte auxit; quod & alij satis superq; evincunt, qui Principes minùs laudati, prudentes, docti, quia consiliarios habuerunt bonos, multa in suis regnis utilia & imperijs constituerunt, quos vide magno numero *ap. Jun. d. l. pag. 1181.*

14. Neq; enim negari potest, meliora esse quæ à multis, quam uno aliquo tractantur, maximè in consilijs, ubi plùs oculi vident quam oculus cernit. Nec unquam quis tam fælici faustoq; sydere natus, qui unus cuncta viderit, aut etiam benè utiliterq; inventis tutò fidere ausus fuerit, nisi hæc ipsè cum alijs communicaverit. Dicitur equidem in *l. omnium. C. de testam.* Principem omnia jura in scrinio pectoris habere. Verum *Petr. Gilken. in auth. habita*

num. 3. C. ne fil. pro patr. item Alvar. Valasc. consult. 51. n. 6. eleganter idipsum explicant, & dicunt verum esse intuitu & respectu consiliariorum. Sic licet in ijs quæ ad jus pertinent, Princeps rarò inveniatur Jurista, uti post Andr. de Isern. tradit Knichen. de Saxon. non provocand. jur. verb. Elector, c. 5. n. 94. tamen propter multitudinem sapientum, qui astare solent Principi, princeps nunquam errat in jure. Cardin. Tusch. tom. 2. pract. conclus. 764. num. 3. lit. C. Imò ut summatim omnia complectar, non magis mens & ratio in corpore humano præstat, quam consilium in Principe. add. Horolog. Princip. c. 43. lib. 1. Patric. lib. 3. tit. 13. de regn. instit. Dn. Philipp. Camerar. Reipubl. Norimb. Consiliar. part. 1. c. 55. hor. succis. Quin & in cæteris rebus ita comparatum esse novimus, ut quod uni deest, mutua quadam communione suppleatur. Bodin. lib. 3. de repub. c. 1. Melch. Jun. in orat. p. 1167. usq; ad p. 1195. ubi quinq; orat. quæstionem hanc pertractavit. Hæn. disp. polit. 4. th. 20. Antimach. d. l. Althus. cap. 22. Polit. & alij ab hù relati quamplurimi.

15. Insuper præter ingenium de quo pauca adduxi, etiam formam corporis requiri liquet ex th. supr. 8. magnum quippe ornamentum est forma corporis dignitati congruens, oris decus & elegantia. Frider. Fur. Ceriolan. d. l. cap. 3. reg. 4. Durus de Pascol. in aul. Pol. reg. 43. & 75. Hyppol. d. l. Castilion. in aul. suo lib. 4.

16. Quamvis autem in virgine concinna totius corporis symmetria laudanda & eligenda sit. Petr. Fab. in Instit. rubr. de nuptijs. Ubi ducturo uxorem consulit, ut formosam ducat, quia utplurimùm liberi matrizant in corpore, idem suadent Boer. decis. 241. n. 7. & seq Fulv. Pacian. cons. 123. n. 28. Et hac ratione minus peccatum esse fornicari cum pulchra muliere, quam cum deformi, ait gl. in c. fur. 14. q. 16. cui credat qui velit.

17. At-

17. Attamen non tam penſiculatè membra conſiliarij tanquam in Veſaliana anatomia conſideranda ſunt. Non enim adeo neceſſaria eſt corporis conſtitutio & forma, ut vis ingenij, & mens benè conſtituta, neq; deformis eſt forma, quæ virtutem habet comitem. Interim ſi ingenium cum bona forma in uno concurrat, non immeritò eundem amplectimur. *add. diſput. n. 4. th. 32.* quippè, Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus. *Unde Galen. lib. 2. de temperam.* ait. Natura componit membra prout animi moribus conveniunt: ſin verò uno carendum ſit, malunt Politici caput minus ornatum, modò habeat cerebrum, quam caput variè pictum cerebro carens. *Caſman. Pol. c. 20. Hæn. d. diſp. th. 22. Jun. quæſt. polit. 21.* Cavendi autem nec adſumendi ſunt conſiliarij, quos Deus & natura notavit. *Ludowic. Schwartzmeyer. in epiſt. præfix. ad not. in tit. C. de nupt.* ubi in ſpecie de gibboſis loquitur. *hùc facit illud Horatianum.* Hic niger eſt, hunc, tu Romane caveto.

18. Præterea cum vel maxime ex forma corporis de cujuſvis ætate judicetur; hic non ineptè diſquiritur, Utrum juvenes an potiùs ſenes in numerum conſiliariorum Principis ſint cooptandi? Quidam ſimpliciter ſenes legendos arbitrantur, conſultiùsq; ſtatuunt, ut juvenes à ſenibus, non verò ſenes & ætate grandes à juvenibus regantur *l. fin. ff. de fid. inſtrum.* ex hoc potiſſimum fundamento, quod authoritatem obtineant, prudentiam habeant & conſultam tarditatem. *l. ſemper ff. de jur. immun.* Juvenes verò ignorantiam & conſultam facilitatem, *l. ſi quis 3. ff. ad SCt. Maced. l. 1. & tot. tit. ff. de minorib.* ſenes experientia lucent; juvenum verò meſſis in herba eſt.

19. Alij verò cum videant egregia exempla juvenilis prudentiæ, aliter quæſtionem hanc decidendam autumant: Nam Nerva anno ætatis 17. publicè de jure reſpondiſſe

disse fertur. *l. 1. §. 3. ff. de postul.* (qui tamen derisus legitur *in l. est differentia 9. ff. in quib. caus. pign.*) Et Celsus adolescens ut legitur *in l. si servus 91. §. 3. ff. de V. O.* pari ratione Corasium 13 ætatis anno jura docuisse testantur viri insigniter eruditi. Imo juvenem decem & septem annorum in Doctorem creari posse tenent. *Camill. Borell. lib. 1. de magistr. edict. c. 6. num. 52. Menoch. cons. 803. num. 6. & seqq. tom. 9.*

20. Ego in sententiam priorem sum pronior, tum ob rationes pro ea adductas, tum etiam quia constitutum est, In der ernewerten Cammergerichts Ordnung/ *part. 1. tit. 5. §. 11.* Das den jungen vnerfahrnen Personen/ so auß der Schulen kommen/ der zutritt ad Assessoratum nicht verstattet werde/ jam verò in nostro casu eadem ferè militat ratio, ideo eadem quoq; erit juris dispositio: tum quod senes multa suo malo didicerunt; ac senex vulpes miras novit eludendi artes, nec facile laqueo capitur. Uti *ex Laertio* referunt *Tiraq. de jur. primog. in pr. n. 92. Pruckman. consil. 18. n. 68. vol. 1. &c.* Et aliàs seniorum conversatio sit juventutis educatio perfecta *Nov. 5. c. 3. in fin. hinc Jason. ait*, plus valet umbra senis quam gladius juvenis: huc quadrat & vetus *ex Plutarcho* diverbium, Mit den Alten sol man Rathschlagen/ vnd mit den Jungen Fechten.

21. Quæ autem dixi, dicta esse nolo de med a ætate, quæ consilijs censetur opportunissima; quam æstimat à trigesimo ad sexagesimum usq; annum *Frider. Fur. Cerolian. de consil. c. 3. Hyppol. d. l. Waremund ab Erenberg. de fæder. lib. 1. c. 1. n. 89.* Alij numerant à vigesimo quinto, ad quinquagesimum quintum, quæ ætas perfecta dicitur *in l. si maritus §. l. ex Julia. 6. ff. ad l. Jul. de adult. l. fin. C. de his qui ven. ætat. impetrav.* Prioribus autem facilius adscribi potest, si id consideretur, quod frequentius accidere solet, Ipsa etiam exem-

exempla pro juvenibus minoribus 25. annis allata quod attinet, dico ista tam excellentissimorum ingeniorum esse admodum perrara, & ideo rem magis exceptione quam regula finiendam, *arg. l. 4. & seqq. ff. de ll.* Neque etiam Salomonis prudentia trahi statim debet in consequentiam. *Tholozan. lib. 47. Syntagm. jur. c. 9. num. 25.*

22. Parum etiam refert ac ἀδιάφορον est, consiliarius nobilis an ignobilis sit, dummodo hîc cum Tullio vera animi nobilitate, atq; virtutis & scientiæ lumine præluceat, & probatus sit, non probandus. *Christoph. Besold. de Consil. Polit. axiom. 45.* qui enim semel scurra nunquam paterfamilias: & sic sæpissimè erratur reipubl. malo, quando ex ima & ignota status cavea, per satyram ad summam consiliariatus dignitatem evehuntur. Hi vel indigna digna habent herus quæ facit, *ut inquit Plautus*, Scind Placentiner vnd Jaherrn sive Jahrüder ut vulgò dicitur, nec ijdem semper manent cum Socrate, sed eò plerumq; deveniunt superbiæ, Jnsonderheit wenn sie den Schlüssel gefunden: Ut vix etiam familiari usu notos agnoscant; Amicis non amplius sunt prioribus, sicut ante amici &c. & ut à Menelao objurgatur Agamemnon frater *ap. Eurip.* Sie bedürfften gute Niederländische Perspectiven vnd Brillen / dadurch sie jhre beste gehabte Freundt erkennen können: Ita sæpè dignitatum oportunitas mutat naturalem cursum operarum, *arg. l. si non sortem 26. §. libertus 12. ff. de condict. indeb.* ut verissimum sit illud Poëtæ:

Asperius nihil est humili cum surgit in altum.
Es ist kein Kling die scharffer schierd /
Dann wan ein Bawr zum Edelman wird.

23. Et hactenus de boni & præsidijs insitis, quæ circa Electionem consiliarij maximè notanda veniunt, sequuntur bona & præsidia acquisita, quibus consiliarius munitus

esse debet, quæ versantur circa notitiam earum rerum, quæ in omni genere Principatus ad Imperij magnitudinem & conservationem potissimum pertinent.

24. Sit itaq; Consiliarius respectu qualitatis TREBATIUS. de quo legitur *in pr. Inst. de Codicill.* h.e. Pius, Doctrina imbutus, Continens, Integer & fidelis *Nov. 17. c. 5. §. 2.* quarum virtutum adjumento, regnandi onus licet videatur grave *l. 1. C. de Justin. Cod. confirm. l. unic. C. de emend. Just. Cod.* omnia quæcunq; velit sine suada facilimè persuadebit.

25. Pietatem in Consiliario requiri prolixè hic demonstrare supersedebo, cum haud mihi persuasum habeam, quemquam adeò bardum & stupidum esse, qui non videat scientiæ Theologicæ utilitatem ac necessitatem; quippe sine ejus prudentia aliarum omnium artium scientia est umbra.

26. Sic quoq; eadem necessitate requiri, ut doctrina sit imbutus, cuivis obvium esse puto, licet nonnulli ignari literarum, quarum osores & rosores existunt, alta voce reclament; quorum è numero prodeunt Crassi Calphurnij, existimantes hoc vehementer aulicum esse, equum scire coloratum, & sufficere, Was einer thue / das solchs Amptswillen geschehe. *Adam Keller. lib. 2. de offic. jur. Polit. c. 2.* Verum his contradicit *JC. in l. servius 4. ff. quod vi aut clam.* ubi pernegat, quod stulti & analphabeti melioris conditionis esse debeant, quam periti, docti & sapientes: merentibus quippè virtutum præmia tribui convenit. *l. 4. C. de stat. & imag. l. auxilium 25. in fin. ff. de muner. & honor.* si autem doctrina exulat, quorsum doctrinæ præmium? Et Cantzler germanica voce non dicitur ganz leher / h. e. totus vacuus & inanis, sed quasi ganz gelehrt &c.

27. Nec quicquam hisce decerpit exemplum Philippi Cominæi; quem civilis prudentiæ Enchiridium appellat

lat *Lipſ. in not. ad lib. 1. Polit. c. 9.* cujusq; libri omnibus qui in Republica atq; Principum & Regum conſilijs verſantur, cognitu utiliſſimi ſunt *Chytræ. in Chronolog.* hunc referunt adeò in latina lingua rudem & imperitum fuiſſe, ut etiam ternas i. e. Amo, ut loquitur *Plautus in Mercat. act. 2.* conjugare neſciverit, & tamen potentiſſimorum Ducum ac Regum Caroli nempè Ducis Burgundiæ & Ludovici XI. Regis Franciæ, conſiliarius, & ut vulgus loquitur *fac totum* fuerit. Tum quia *ut ſupr. dixi* res non tam regula quam exceptione definienda, tum quia non exemplis ſed ipſis legibus judicandum. *l. nemo 13. C. de ſent. & interloc. omn. jud.*

28. Hîc jam opus eſſet delineare, quæ ad doctrinam qua imbutus meritò debet eſſe conſiliarius, pertineant, ſed cuncta hîc referre paginarum anguſtia prohibeor; hoc interim obſervandum, præ omnibus illi neceſſariam eſſe Eloquentiam, Politicam Prudentiam, Juriſprudentiam, perigrinationem atq; hiſtoriarum cognitionem.

29. Eloquens ideò ſit, quia indies ferè accidit, ut Principi, quis ſuorum conſiliariorum vel in exteras terras, vel ad quandam ſuarum civitatum aut provinciarum ablegandus ſit, idq; ad ſuadendum ſeu diſſuadendum, accuſandum ſeu defendendum, laudandum ſeu vituperandum, gratulandum ſeu condolendum & res ſimiles. Quam verò neceſſarium, ac cum commodo & utilitate Principis conjunctum ſit id rectè fieri, atq; viciſſim in eo peccari, damnoſum atq; turpe Principi exiſtimetur, quivis facile videt. add. *Frider. Fur Ceriol de conſil. c. 3.* & ſic ad quævis paradoxa reſolutus ſit, & in animi cogitationibus explicandis promptus. Bald vnd wol reſolviret oder reſolut ſein/ helt man für ein Fürſtliche tugendt. *Adam Kæller. d. l. lib. 1. c. 2. in fin.* Nec tamen plus rerum quam verborum in ſermone relinquat, nec in ſermone ultra modum ſit prolixus; Unde Julius Philipp. II.

in elogio suo ferebat, multa, nec apta, Viel geschreyw enig Wolle &c. hinc *Pindarus ait*: in bona causa tria verba sufficiunt, Kurtz vnd gut: Ne homines dicant consiliario deesse os, hoc est, talem esse, quem nihil pudeat, quod aulici vocant: Mit einem grossen Messer auffschneiden/ *Relator ex Parnasso*, Köstlichen Wind verkauffen/ *part. 1. relat. c. 25.* Et cum haec eloquentia necessariò conjuncta sit multarum linguarum cognitio, maximè eorum populorum, quibus Princeps imperat, amicis aut hostibus utitur. *Frider. Fur. Ceriol. d. l.* Unde & reliqua de Jurisprudentia, Historiarum cognitione & peregrinatione, petere cuilibet licet, eleganter enim & satis fusè haec prosequitur.

30. Illud etiam non ultimum consiliarij est ornamentum, ut sit continens, per quam continentiam hoc loco intelligo abstinentiam à corruptione. Quia qui rectè judicat & praemium remunerationis exspectat, fraudem in Deum perpetrat, cum justitiam quam gratis impertiri debuit, acceptione pecuniæ vendidit, *inquit Divus Gregorius*. Hinc alius ait: Justitiam vendere iniquitas est, injustitiam iniqua insania: Haec siquidem ubiq; reprobata, ut nusquam esse debeat, illa ubiq; debita est, ita ut sine scelere vendi non possit. Habeat igitur consiliarius puras manus, sitq; ab avaritia & philodoria, quæ mulierum proprium est, *Petr. de Anchor. cons. 339. n. 8.* sejunctus *Tessaur. in praefat. decis. n. 29.* ne lucro & pecunia se inescari patiatur, quod germani vocant, Sich mit einer gülden Ketten binden lassen &c. Avaritia namq; & justitia in homine non habent concordiam. *Anton. de Guevara in Horolog. Princip. lib. 3. c. 6.* nec fieri potest, ut qui oculos muneribus obcæcari sinit, Der sich verblenden/ oder wegen der Vngerischen gewapneten Ducaten erschrecken lesset/ candidè fungatur officio *Nevizan. in*

Sylv.

sylv. nupt. lib. 5. n. 98. cum munerum acceptio sit prævaricatio veritatis. *c. qui rectè 11. q. 3.*

31. Imo tenentur consiliarij repetundarum, qui aliquid accipiunt ut justè vel injustè faciant. *t. t. ff. & C. repetund.* Hodiè verò perpaucos se à pœna repetundarum excusare posse consiliarios, Weile jtzunder marsupium, sceptrum & directorium bey einander sein / ait *Keller. d. l. c. 16.* unde, non rarò munera intrant per portam, sed Diabolus exit per fenestram, uti refert, *Paris. de Put. in tr. de synd. verb. Esculenta.*

32. Sin verò ipse Princeps Consiliarijs manum porrigat, id placidè accipiendum statuunt Politici, quia melius sit habere quam exspectare feudum, & *secund. Accurs.* melius unum tene tene, quam centum cape cape: suadent itaq; ut potius sumat consiliarius paratam pecuniam grata mente & repentè quam exspectantiam ut vulgò loquuntur lentè. *Anton. de Guevar. in Horol. Princip. c. 10. Dur. de Pascol. in aul. Pol. reg. 97.*

33. Deniq; integer ut sit consiliarius maximè necessarium est. sub hanc integritatem pertinet, ut sit integer i. e. legitimè natus: Spurius enim si bonus est, casu, si perversus, naturâ accidit. Hinc illegitimi nati non possunt esse Adsessores Cameræ. *Ord. Camer. part. 1. tit. 3. §. 1.* Es sollen die Beysitzer alle eines Erbarn wesens vnd wandels / auch rechter Natürlicher Ehrlicher Geburt sein &c. Interim tamen si legitimentur, & virtutibus adeò inclarescant, ut etiam legitimorum officiant luminibus, non animadverto, *inquit Paleot.* spuriorum patronus, ut vocatur *à Petr. Heig. q. 21. num. 35. p. 1.* cur honores illis sint invidendi. *tract. de spur. c. 56. n. 8.*

34. Ego quamvis hæc non negem, negare etiam nequeam *juxta disput.* meas præcedentes; attamen illud hîc addo, licet legitimentur, ægrè tamen in aulis & congressi-

bus ferri. Nam etsi dematur nota, litera tamen manet, suntq; similes Alchymiæ, quæ facit apparere quod ita revera non est, assimulantuq; hominibus, qui à vulnere quidem sunt sanati, cicatricem verò semper secum portant, *add. Nov. 43. c. 1. pr. l. fin. C. ad l. Jul. repetund.*

35. Sit etiam Consiliarius fidelis, h. e. fidem quam Domino in dandis consilijs promisit, ad effectum deducat, Dann wo Trew mangelt/ da ist Verrätherey nicht weit/ ait *Johan. Werner. Gebhard. lib. 1.* hoc præsertim seculo, quo fides ferina esse solet. Trew ist Wildpred/ quapropter author relationis ex Parnasso *part. 2. relat. 1. ait.* Das die verlorne Trew vnter des bekandten Jägers Acteonis, vnd des schönen Adonidis Hunden gefunden worden. Alias tamen de consiliario, bona fide consilium dare & omnia bona fide agere, præsumitur, *l. 2. ibi quod non arbitramur C. de offic. civil. indicend.*

36. Jam post enumerationem eorum, quæ circa Electionem consideranda erant, sequitur officium consiliariorum, licet etiam præcedentia quodammodo ad officium referri queant: Consideratur autem consiliarius ratione officij sui tripliciter. Ante, In & Post. de quibus ordine paucis & parcis dicam.

37. Ante consultationem primò optandum, ut sobrij & jejuni ad consilia communicanda & capienda senatum ingrediantur: rerum enim gravium tractatio jejuno stomacho aggredienda *c. sane 15. q. 1. c. honestum q. 1. Pruckman. consil. 19. n. 39. vol. 1.* neq; satur quisq; consilia recta fingit. *Bodin. lib. 3. de repub. c. 1.* & pessimi consiliarij amor & vinum. *Vid. Proverb. c. 31. v. 4.*

38. Hinc à Politicis improbatur vetus Germanorum institutum, qui in remissiori gradu ebrij sua cudebant consilia; unde cellæ vinariæ haud procul à curijs undiq; in Ger-

Germania habentur: Vini enim efficacia non parum judicij adjuvari acrimoniam, omniaq; cogitata liberius proferri, opinabantur, sobrij autem deindè concludebant, ut testis est *Tacit. de morib. veter. Germ.*

39. Hoc vetus Germanorum institutum, quod si nostris comparemus temporibus, quo etiam validissimis juramentis vallata, sæpè non servantur, haud optandum, huic consuetudini imponi fabulam, imò quo ad intentionem fuisse optimum, & Germanis posteris imitandum, siq; neglexerint deflendum, ut ait *Anton. Hering. de fidei. c. 12.* Nam hi deliberabant dum fingere nequibant, constituebant dum errare non poterant, & quod ebrij consultabant, sobrij recoquebant & servabant. Nostri omnia sobrij transigunt, & tamen bonam fidem non agnoscunt. *Tacit. d. l. Joh. Dauth. tr. de testam. ad l. testamentum 13. n. 3. C. de testam.* Unde promissa eorum æstimantur, ut cassæ nuces.

40. 2. Ante consultationem ad exemplum Aristidis privatas inimicitias & simultates deponant: hic enim, cum esset inimicus Themistoclis, inimicitias, illis in consilijs Reipubl. suggerendis sepposuit: Visne inquit, ô Themistocles, inimicitias paulisper hîc deponamus, recepturi eas cum redierimus? *Vid. Schonbern. lib. 3. Pol. t. 24.* sic etiam omnes affectus excludant, quod innuere videntur inscriptiones in Curia Ratisbonensi & Basiliensi, docentq; Veneti illustri suo exemplo, qui solent ante vestibulum curiæ privatos affectus ap. S. Marcum deponere: *Boter. lib. 2. de Polit. illustr. c. 6.* quippè hæc tria destruunt ingentia etiam regna, scil. non digestum consilium, privatum commodum, & latens odium. *Mart. Lundens. tr. de consil. q. 10. Decian. resp. 22. n. 97. vol. 4.*

41. Ex quibus oritur mirabile magnumq; Dd. certamen. An consiliarius, si sciat consilium aliquod tractatum

iri,

iri, cui salva conscientia assentiri nequit, vel quod impugnare non audet, sese subducere debeat? Quidam tutiùs esse arbitrantur, non venire in senatum, quam in aliam sententiam trahi, & adversus conscientiam agere, *Felin. ad c. quod super de major. & obed. Nevizant. cons. 12. n. 117.* Quod licet non negem, attamen cum regulariter non possit consiliarius, nisi petita venia & justis de causis à collegio recedere, puto, si sciat injustum fieri, debet pertinaciter facto resistere, & si non illud mutare, saltem verbis protestari, quod illud non fiat suo consilio, faciendo hanc protestationem in actis scribi. *Dec, consil. 8. n. 2. vol. 1. Alex. consil. 1. n. 10. lib. 3. & alij plures.*

42. Illos verò adulatores ad gentiles deducendos existimo, qui Principi sub fuco ita abblandiuntur, semperq; practicare student, *Placebo Domino*, cogitantes quod is quæstus multò nunc sit uberrimus, omnia scil. assentari, *juxta Terent.* proindè tales ratò sunt Veronenses, semper Placentini & Laudenses, ut habeantur Beneventuri. Imò subscribunt omnibus votis Principum, ut prima syllaba sub vel Suppe salva sit, *ait Dur. de Pascol. in aul. Pol. reg. 6.*

43. Sic fecerunt Consiliarij Cambysis interrogati ab eo, num quæ lex sit, quæ sinat volenti matrimonium inire cum sorore. Responderunt: Nullam quidem se invenire legem, quæ sinat fratri nubere sororem: quandam verò se reperire legem, licere Persarum Regi quodlibet. *Herod. lib. 3. & refert Pezel. in mellif. histor. 1.* Istiusmodi Consiliarius fuit impius Achitophel, qui Absaloni consuluit, ut pellices paternas pollueret *2. Samuel. 16. v. 20.* qui tamen satis dignas consulti sceleris pœnas dedit, & sibi ipsi laqueo vitam finivit. *2. Sam. 17. v. 23.*

44. In consultatione officium Consiliarij est, ne tantum rectè & justè, sed etiam ut benè consulat; melius enim

enim est consilij rationes habere, quam bona consilia dare, quia turpe & extremæ vecordiæ est dicere non putâram. 2. Exemplo Roboami *3. Reg. 12. vers. 5.* præmeditatè & maturiori deliberatione consilia proferant: Canis namq; festinans cæcos parit catulos, ipsaq; jura edicunt, in arduis deliberatione opus esse, *Specul. ad tit. de advoc. §. nunc tractemus n. 16.* tempore enim egemus, ut aliquid maturius diffiniamus. *c. ponderet dist. 40.* è diverso juris est pervulgaris, præcipitantiam inimicam & adversam esse & consilijs & justitiæ. *Sebast. Vand. de nullit. rubr. de nullit. ex defens. proc. n. 33. Pruckman. cons. 19. n. 36.* indeq; fieri, quod cum festinatione nihil agendum sit. *Lucas de Penna ad l. his tantum, C. de curs. publ. c. notificasti 33. q. 5.*

45. Hinc iterum dubitationis pleniſſima profluit quæstio. An videlicet consiliario damnosum esse debeat, consilium si malè succedat? Ubi distinguo inter malum consilium ex προαιρεσει, & ex eventu. Illud plerumq; juxta *Hesiodum* consultori solet esse pessimum. *arg. l. 2. quod quisq; jur. in al.* potest namq; malum consilium præbens pœna plecti, quia persuadet: persuadere autem plus est quam compelli, atq; cogi sibi parere, *l. 1. §. 3. ff. de serv. corrupt.* Persuasorq; tenetur de delicto subsecuto. *l. eum quis 5. C. de apostat. l. unic. C. de rapt. virg.* Et quemadmodum persuasor damnum tenetur emendare, uti multis exemplis affirmat *Cravetta*, sic & consiliarius, cum consilij fraudulenti de dolo sit actio *arg. l. consilij ff. de R. J.* malum præbens consilium damnum emendare tenetur. *Menoch. consil. 175. num. 2. vol. 1.*

46. Si verò bona intentione consilium suggerat, illudq; ut quandoq; contingit, pessimè cedat, pœnam non meretur, quia consilij non fraudulenti nulla est obligatio *d. l. consilij ff. de R. J. Besold. lib. 2. Pol. c. 3. n. 55.* nec enim

ex eventu minùs prospero inferri potest, consilium fuisse malum. *l. neq; 10. C. de probat. c. sicut. §. fin. cum 2. seqq. distinct. 47.* siquidem plerasq; res fortuna ex libidine sua agitat, neq; eventus in manu consultoris est. *Bodin. lib. 3. de Republ. c. 1. Schonborn. lib. 3. Polit. c. 22.* sed sæpè etiam prudentissimos fallit, juxta *Ovidium.* Fallitur augurio spes bona sæpè suo. hinc vulgò dici solet. Conatus in laude, effectus in casu est.

47. Peracta sic consultatione, in consiliario ante omnia requiritur 1. silentium, quod optimum tutissimumq; rerum administrandarum est vinculum *Valer. Maxim. lib. 2. c. 2.* neq; enim res magnæ sustineri possunt ab eo, cui tacere grave est. Quamobrem Consiliarius, si veluti vas Danaidum hac illac perfluat, secreta Principis detegat, perjurij & proditionis vitium incurrit, etiamsi amico Domini revelasset, maximè verò si adversario. *l. 2. C. quæ res export. non deb. Ruland. de commiss. part. 1. lib. 1. c. 25. n. 3. & seqq.* Et ob hanc causam removeri potest ab officio *Coler. decis. 233. n. 1. part. 2.* ac pœna falsi puniri. *l. 1. §. is cui ff. de fals. Damhoud. prax. crim. c. 123. n. 19.* Tenetur & actione in factum ad interesse ejus, cujus secreta revelavit. *l. in lege §. & si quis ff. ad L. Aquil. Gail. 1. obs. 100. n. 6.* Imò capite eum plecti, vivum exuri, ac furca suspendi posse tradunt Dd. quos magno numero adducit *Josias Nolden de jur. privileg. & c. consil.* & quod communis praxis id observet ait *Matth. Steph. de jurisd. part. 2. lib. 2. c. 2. n. 295. & seqq.* Inde lex Ægyptiorum jubebat, abscindi illi linguam, qui arcana reipubl. quæ tuta esse deberent, alicui detexisset, Hùc quadrat *vers. Horat. lib. 1. Satyr. 4.*

Fingere qui non facta potest, commissa tacere
Qui nequit, *hic niger est, hunc tu Romane caveto.*

48. 2. Post

48. 2. Post consultationem in consiliario requiritur *Constantia, per text. in c. quod semel, de R. J. in 6. l. si creditores ff. de separat.* Nam voluntatis mutatio indicat animum inconstantem & fluctuantem, firmumq; & fixum non est, quod vagatur.

49. Cujus ratione resultat quæstio difficultate non exigua implicata. An Consiliarius à semel dicta sententia recedere possit? Plurimi equidem sunt, qui tametsi errorem intelligant, pudet tamen agnoscere, adeò placet illis Constantia; Verum hæc non tam constantia, quam pertinacia dicenda. Licet enim in consiliario requiratur, ut sicut unum habet animum, ita etiam unam linguam & calamum habeat, & sit immobilis, ut lapis angularis, & sicuti polus in cœlo, uti loquitur *Duaren. ad l. nemo potest. 73. n. 3. de R. J.* Ac alias sapientis proprium sit, nihil quod pœnitere possit, facere, nec dicere, non putâram. Attamen melius est consiliarium reperta meliori sententia, veterem abdicare & rejicere, quam præfractè & mordicùs eam tueri. *l. nonnunquam 8. in pr. ff. de collat.* Et hoc si evidens suadeat ratio, aliàs signum levitatis esset. Sic etiam variavit Papinianus. *l. si venditor 6. §. 1. in fin. ff. de serv. export. l. fin. §. 3. C. de furt.* Variavit & Julinianus. *l. tutor 19. in fin. ff. ad SCt. Vellej.* Variavit Scævola. *l. qui bona 23. in fin. ff. de A. R. D.* Quin & ipsi Impp. *l. Divi 17. ff. de jur. patronat. Cujac. 20. O. 37.* ita ut consultori laudabile sit mutare sententiam, nisi pluries variaverit: quia magna sapientia est, revocare quod quis malè locutus est. *c. magna 22. q. 4.* & optimus portus est pœnitentia mutare consilium, neq; fallax dicitur qui ad veritatem revertitur. *c. apud 32. q. 1.*

50. Hisce requisitis si jam ornati sint consiliarij, maxima eorum erit authoritas, magna potestas, adeo ut Principem referant ejusq; loco sint. *Schwamm. lib. 1. proces.*

Camer. c. 2. n. 14. Attamen idem & omnia non possunt, quæ ipse princeps, modò enim dicta, secundum quid saltem vera sunt, quatenus nimirum actus, qui in controversiam venit, Principi in signum singularis cujusdam præeminentiæ & dignitatis concessus non est. Nam quemadmodum caput reliquis membris antecellit, & majori honore dignum est, *l. cum diversis & ibi Bart. ff. de relig. & sumpt. fun.* ita quoq; Princeps certis quibusdam præeminentijs fruitur. Sic Locumtenes Principis, vulgò Stadthalter / licet possit quæ ipse Princeps *l. 1. & 2. C. de offic. ei.* nihilominus ea non potest quæ sunt Principi in signum supremæ potestatis reservata. *Anton. de Petra de potest. princip. c. 21. n. 41. Natta cons. 931. n. 29. vol. 3.*

51. Nec solum tantam potestatem habent & authoritatem, verum etiam maximis privilegijs sunt muniti: Quippè qui non tenentur ad tributa & collectas. *Bocer. de regal. c. 2. n. 201. Wesenb. consil. 40. n. 43. 49. part. 1.* à tutela excusantur. *Gylman. decis. camer. 46. n. 6. lib. 1.* etiamsi Principes ipsorum superiorem recognoscant. *Schrad. consil. 1. n. 564.* à patria potestate liberantur. Et hoc 1. quoad Principem *per l. fin. & ibi Cujac. C. de consul. §. filiusfam. & ibi DD. Inst. quib. mod. patr. pot. solv.* 2. Quoad consiliarium *per l. ult. in fin. C. de quadrienn. præscript.* Imo & injuria consiliarijs ut consiliaris illata gravius punitur. Mynsing. *respons. 2. n. 46. decad. 15.* quia ipsi principi illata censetur. Nec torqueri possunt nec arrestari & si quæ sunt similia de quibus undiq; Dd.

52. Et hæc de consiliarijs, sequuntur pauca de Legatis. Dicuntur autem Legati, à legando vel legatione quam suscipiunt. Olim appellati fuêre etiam *Oratores. l. lex Julia ff. ad L. Jul. de vi publ.* verum hæc acceptio admodum est latissima, & Oratoris nomen latius patet nomine

Legati.

Legati. Illud enim ejus est propriè, qui de rebus omnibus possit variè copioseq; disserere: hoc verò ad illos tantum refertur, qui negotia publica tractant. *Alberic. Gentil. lib. 1. de legat. c. 2.* imò arctior jam ex communi usu videri aliquando potest *idem ibid.* cum Legatos quosdam deprehendamus, qui penitus nihil aut solum in accessionem operis peragendi aliquid loquantur.

53. Sic etiam dicuntur *Nuncij Cic. 1. Tuscul.* tamen non privati. *Caducatores* à Caduceo sive Ceryceo *l. 8. de rer. divis.* hoc est baculo à legatis præstari soliro, habenre ab utraq; parte insculptos duos serpentes invicem implicatos & se mutuò respicientes. *Plin. lib. 29.* Item *Ambasciatores* vel ut alij dicunt *Ambassadores*, quod *Marquard. Freher. in annot. ad Petr. de Andlo. lib. 1. c. 13.* derivat à veteri voce Celtica Ambachte: Celticam autem istam vocem ex mutilatione Græci verbi ἀμφαδίζειν profluxisse autumat *Kirchner. lib. 1. de legat. c. 1. num. 22.* quod Latinis hinc atq; indè vadere, circumambulare & commeare denotat. Idq; Legatorum nomini, qui ex natione alia in aliam, ex Regno uno in aliud mittuntur non incongruum esse.

54. A legatis tamen veris & propriè dictis discernendi sunt *Commissarij* & *Deputati*. Nam illi solenniter & à summo Reipubl. Magistratu, qui jus mittendi habet, mittuntur, *ut infr. tradam*. Hi verò à judice tam inferiori quam superiori ad subditos, rei utplurimum privatæ causa, adeoq; non solenni modo. Quamvis ab aliquibus Legati Commissarijs æquiparentur, præsertim Imperatorij: & Recessus Imperij nomina Legati & Commissarij confundant. *Dn. Arumæ. vol. 1 Jur. publ. fol. 371.* Eodem modo differentia traditur *à Kirchner. d. c. 1. n. 19.* inter *Legatos* Gesandten & *Ablegatos* Abgesandten.

55. Definiri possunt Legati Mandatarij, ab eo qui

potestatem legandi habet, publico negotio ad salutem Reipublicæ conficiendo solenniter missi. *Besold. lib. 2. Polit. c. 8. n. 2.*

56. Quod sint mandatarij patet ex eo, quia legati habent mandatum juris publici. Cum ergo eorum munus sit publicum, etiam inviti ad illud suscipiendum cogi possunt, uti expresse cautum *in l. 4. §. 5. ff. de Legat.* Nam publica à privato declinari non possunt, *l. si magistratum 18. C. de decurion. l. tutori 10. C. de Negot. gest.* Hinc rectè *Octav. Mag. lib. 1. de Legat. c. 2. fol. 32. in fin.* dixit. Sapientissimi viri sic semper sensêre: civis optimi patriæq; amantissimi officium esse, legationem accipere quotiescunq; tempus & occasio postulat: nec enim debent domesticæ res, longitudo itineris, asperitas viarum, aut quæ cæteros remorari solent, unquam retardare. Nam si benè de Republ. merendi usus est ad veram gloriam cursus: Si Romani avidissimi gloriæ homines, rapti ad spem immortalitatis, vitam pro patria toties in discrimine obtulerunt: quid est quod nos debeamus habere antiquiùs, quam præstare patriæ quantum possumus? Nihil autem est, in quo ipsa antiquissima & sanctissima omnium nostrorum parens, filiorum suorum operâ nitatur magis, quam in legationibus. Interim audiendæ justæ excusationes & parcendum ijs qui oneri impares sunt. *Kirchner. lib. 1. cap. 5. n. 13. de legat.*

57. Hac etiam ratione à legatione excusantur fœminæ, quæ & aliàs à foribus omnium civilium & publicorum munerum repelluntur. *l. fœminæ 2. de reg. jur. l. cum prætor 12. §. 2. de judic. l. pen. de edend. l. 1. §. 1. ad SC. Vellej.* Etquod magis; Fœminam inter viros versari pudor naturalis non patitur *l. 14. C. de contrah. & committ. stipul.* quomodo igitur in exteris regionibus, aulis & palatijs versabitur, & virorum colloquio intererit. *Vide latè Kirchner. d. l. c. 4. n. 206.*

n. 206. cum multis seqq. & 216. nec non *c. 6. n. 74. ad fin.* Ubi etiam inter cætera hoc argumento utitur: quod legato ut plurimùm dissimulandum, summaq; taciturnitas sit adhibenda, hanc autem non sperandam à muliere, propter insitam tum animi levitatem, tum linguæ volubilitatem & lubricitatem. *add. disp. n. 4. th. 25.*

58. Mittere legatos uti ex definit. constat potest omnis, cui mittendi potestas est, & cum jus mittendi Legatos à jure Majestatis dependeat. *Polyb. lib. 6. de milit. Rom. & Arnis. lib. 2. de jur. majest. c. 5. n. 16.* Primariò etiam competit hæc potestas illis, *qui jura Majestatis habent.* Qualis in Imperio nostro Romano Imperator, extra imperium, Alij Reges, Principes & Respublicæ superiorem non recognoscentes. Secundariò verò & ex interpretatione consequentiæ Imperat. quoq; statibus Imperij, alijsq; Principibus Germaniæ, qui illa omnia respectu suorum territoriorum habent. Unde illa notissima Dd. Theorica, posse quemlibet Ducem, Principem &c. suo in territorio, quod potest princeps in universo, quomodo autem hoc accipiendum monui *supr. in disp. 4. th. 64.* Idem de civitatibus liberis judicandum, testatur *Gail. 2. Obs. 34. n. 7. Thom. Michael. th. 44. concluf. jurid. de jurisd. Tobias Paurmeist. cap. ult. n. 17. l. 2. de jurisd. Rom. Imper. Warem. ab Erenb. de fœderib. lib. 2. c. 1. n. 37.* Quibus & annumerantur civitates hodiernæ Hanseaticæ. Ab alijs verò civitatibus subjectis ut & ijs qui status imperij non sunt missi, legatorum numero non habentur, sed vel selecti vel deputatati nuncupantur. Quid autem de Rebellium, Prædonum, hæreticorum &c. transmissis sentiendum, ex alijs petere cuilibet licet.

59. A definitione ducor ad divisiones & genera Legatorum. Quia verò Legati vel ad externas Respublicas vel Principes mittuntur, ut vel indicant bellum, vel componant

nant pacem, vel amicitias, fraternitates, fœdera ineant, vel mittantur ad matrimonia contrahenda, ad gratulandum de victorijs, de novis nuptijs, de novis conjugum puerperijs, deq; alijs prosperæ fortunæ eventibus: vel de adversis & luctuosis casibus ad dolorem significandum, aut ad gratias agendum: variæ etiam hinc legatorum emanant species.

60. Ego communem Dd. distinctionem retinens, dico, quod alij legati sint belli, alij pacis. Illi speciali nomine appellantur Feciales. Hi ad res armis ablatas repetundas mittebantur, quod si petitis eventus non respondebat, bellum indicebant, belloq; finito fœdera pangebant. Modum procedendi Livius eleganter describit, cujus verba aliqualis informationis causa hic recensere lubet. Postquam Legatus ad fines hostium velato capite accesserat, Audi Jupiter *inquit*, audite fines, audiat fas. Ego sum publicus nuncius populi Romani, justè pièq; vocatus venio, verbisq; meis fides sit. Audi Jupiter & tu Juno, Quirine, Dijq; omnes cœlestes, vosq; terrestres, vosq; inferni audite. Ego vos testor populum hunc injustum esse, neq; jus persolvere. Quod hic populus adversus populum Romanum Quiritium fecit, deliquit, quod populus Romanus Quiritium bellum cum hoc podulo jussit esse, Senatusq; populi Romani Quiritium censuit, consensit, conscivit, ut bellum cum hoc populo fieret: Ob eam rem ego Populusq; Romanus huic populo hisq; hominibus bellum indico, facioq;. *Id ubi dixisset hastæ in fines eorum mittebat. vide eund. Liv. de modo etiam pangendi fœdera.*

61. Hi verò qui *pacis* legati sunt, legatorum nomen & titulum in specie reservant: & dividuntur rursus *1. ab objecto.* quod sint Legati *negotij* vel saltem officij aut honoris gratia missi. Illi ad negotia Reipubl. tempore paci expedienda, quæ legatio dicitur *negotiosa*; Hi ad congratulandum

dum vel dolorem significandum mittuntur & hæc vocatur legatio *officiosa*.

62. 2. Alij à causa efficiente sunt Legati Principis, ejusq; vel supremi vel superiorem recognoscentis, alij Reipublicæ.

63. 3. Respectu mandatorum Legati aut sunt Liberi, aut Formularij. Hi certam formam & instructionem accipiunt: Illi dicuntur qui nulla certâ præscriptâ formulâ, liberam agendi habent potestatem, quod è Republ. esse judicarent.

64. Demùm nonnulli à tempore Legatos alios faciunt Temperarios, alios perpetuos seu residentes. Illos dicunt, qui ad tempus sive certum sive incertum emittuntur, & redire jussi, quando id quod habent in mandatis, confecerunt. Hos vero qui neq; ad definitum certumq; negotium nec ad tempus, sed ad voluntatem mittentis ex anno in annos donec non fiat revocatio resident, ad omnium rerum quæ in alieno Regno, Principatu & Republ. accidunt, curiositatem & explorationem, ut nihil prætermittant, quod Principi commodum afferre possit. Sed tales alij non genuina Legatorum classe, sed speculatorum censu collocant, cum non tam negotij, quam relationis gratia sint missi.

65. Licet autem varia sint Legatorum genera, una tamen erit ratio habenda & quidem diligentissima in ijs legendis: Ut nempè non solum externis fortunæ bonis, verum internis cumprimis, animi & ingenij muneribus æquè ut consiliarij *de quib. supr.* instructissimi, amplissimo huic Reipubl. muneri adhibeantur: Et hoc vel ipsa notatio Legati à legendo dicti, suadet, nihil siquidem turpiùs ambitur, nihil inconsideratiùs committitur, nihil periculosius & invidiosius suscipitur, nihil difficilius peragitur, quam lega-

tio. Hac de causa meritò laudatur Cyrus Persarum Rex, qui inter primos educandum & diligentissimè informandum aulicis & politicis institutis jussit, quem præficere huic muneri posset.

66. Et quid multis opus? Dignitas, Eruditio, Auctoritas Legati, à dignitate non modò ipsius missi, sed & mittentis coruscat. Indignitas verò Legati, non solum mittentis personæ dehonestamento est, verum etiam ei ad quem indignus missus est, ruborem incutit: qua ratione sæpè numero remissos esse Legatos indignos ex historicis undiq; constat.

67. Exemplum unicum hîc referam de Ludovico XII. Rege Galliæ. Hic tonsorem suum olivarium in Burgundiam petitum uxorem Delphino suo, Caroli Ducis unicam filiam, Mariam, ablegavit, quod pro contemptu à domo Burgundica meritò fuit habitum, & malè quoq; tractatus redijsset, nisi maturiore fuga sibi consuluisset. *Cominæus lib. 8. de gest. Ludovic. fol. 592. & seq.*

68. Rejiciantur ergò à splendore legationis fullones, cerdones, institores, negotiatores, turpes, infames, servi, Judæi & similes. Præficiantur verò viri genere nobilissimi, virtute & eruditione clarissimi, periti, probi & graves, qui amplissimos in Republ. gradus sunt consecuti.

69. Et hactenus ea quæ ad ipsam personam legati spectare videntur aliquantò vidimus, nunc quæ ipsum officium seu legationem concernunt, contemplabimur. Ubi primò occurrit ad iter apparatus, sub quo apparatu comprehendo 1. ipsum legativum h. e. sumptus ad iter necessarios de quibus *vid. JCtum in l. 3. & seqq. ff. de suppell. leg.* 2. formam missionis, quæ non semper eadem, quare nec certa describi poterit, sed potius cujusvis Principis arbitrio linquenda: interim hoc enê advertendum, quod legati semper

per solenniter sint mittendi, quæ solennitas partim in essentiali forma, partim in accidentibus consistit; Accidentalis solennitas partim in ceremonijs, partim in habitu & amictu consistit, olim quippè varias habebant ceremonias, quibus legatos ablegabant, uti aliqua ex parte videre licet *ex l. 8. §. 1. ff. de rer. div.* Formalis solennitas consistit in mandato legati, exinde enim omnis legationis nervus dependet, ita ut nisi mandatorum suorum literas, quas vulgò Credentz oder Credituff Schreiben vocamus, ostenderit, ægrè admittatur.

70. His ita præmissis Legatus cum bono Deo iter aggredietur, ibit autem per vias rectas. *Arum. discurs. 1. ad Aur. Bull. quæst. 2.* non dævia quærat aut latebras *Carol. Pasch. c. 13. de legat.* Unde si per vias non rectas sine causa vadat, & damnum senserit, id sibi à suo Principe resarciri petere non potest. *Zas. Consil. 20. n. 2. in fin. lib. 1.* Via enim solita & non inusitata in damni præstatione est attendenda *Gail. 2. observ. 64. num. 11. & seq. Cravett. consil. 406. n. 15. part. 3.* quia ipsi sunt in culpa ut damnum sentire non videantur: *l. quod quis 203. ff. de reg. juris.* Idem dicendum si commodè possunt ire per terram & vadunt per aquam, *post alios docet Bechtius de secur. & salv. cond. class. 5. n. 185.*

71. Nec patrocinatur ijs, insolitam quoq; viam debere esse tutam, siquidem quod juris in toto, idem quoq; juris est in qualibet ejus parte *arg. l. quæ de toto 76. ff. de R. J.* Nam sufficit territorij Dominum solitam vitam tutam reddere, qua omissâ si quis insolitam ingressus fuerit, facere id quidem, sed suo periculo poterit. *Matth. Coler. consil. 34. n. 31.*

72. Quod si verò legati illa quæ monui observarint, sancti & inviolabiles, hoc est ab omni violatione tuti erunt, ut est vox Pomponij *in l. fin. ff. de leg.* Hinc Romani summa religione viginti fecialium collegium instituerunt, ut si cujuspiam apud se legati violati essent, illi cognoscerent, &

nullo dignitatis honorisvè intuitu violatores dederent. *Kirchner. lib. 2. de Legat. cap. 1. n. 39.*

73. Et meritò, siquidem qui legatos hostium pulsaverint, contra jus gentium faciunt *d. l. fin. de rer. divis.* nec solum contra illud, sed & jure Canonico violatores Legatorum excommunicantur, exterminantur è Christiana societate, *c. si quis distinct. 94.* Jus verò civile deditionem fieri jubet. *l. ult. ff. de legat.*

74. Nec ea quæ dixi tantum intelligenda sunt, de securitate veniendi, sed etiam recedendi. *l. nullam 3. C. de Navicul. ubi Bart.* Quod si autem aliquando accidat, ut Legatis quidem detur liber aditus, recessus verò denegetur, uti legimus de Leone X. qui Bajonio salvum quidem conductum accedendi concessit, ad se pellecto recedendi libertatem denegavit. *Menoch. de arbitr. jud. Quæst.* hoc *inquam* si fiat, non statim talio reddi debet. *Gentil. 2. cap. 6.* quippè eo facto non defendimus nos, nec nostra recuperamus, nisi Legati adhùc detinerentur: tunc enim Obsidum loco, & ut tessera sint Legatorum nostrorum salutis, detineri queunt. Aliàs si Legati violati essent, vindictæ divinæ illud erit committendum. Nec facilè invenies alicubi impunè violatos fuisse Legatos. Ammonitæ miserè à Davide sunt perditi, cum suos illi Legatos violassent contumelioseq; tractassent. *2. Sam. 10.*

75. Memorandum quoq; hujus rei legimus exemplum *ap. Herodot. lib. 8. de Xerxe*, qui cum Legatos misisset ad Athenienses & Lacedæmonios, ut Regi terram & aquam postularent, h. e. tanquam Monarchæ summam prædominationem in omnia alia regna vendicarent: Athenienses ut & Lacedæmones projecerunt eos in puteum, terramq; superingesserunt; quo autem facinus hoc expiarent, miserunt Lacedæmones duos suorum civium, à quibus Rex ob suos

Lega-

Legatos violatos supplicium sumeret: quibus tamen ipse manus injicere noluit, ne ipse faceret quod alijs exprobraret. Athenienses verò cum de expiatione parum essent solliciti, oppressi & urbe exuti sunt. *vid. Herod. d. l.*

76. Insuper hæc securitas non tantum ipsis legatis competit, sed & eorundem comitibus. Nam Ulpianus *in l. 7. ff. ad L. Jul. de vi publ.* Lege Julia non tantum eos teneri dicit, qui Legatos, Oratores, sed & qui Comites eorum pulsaverint, ijsq; injuriam fecerint. Et rectè; quippè privilegium aliquod pro se concessum extenditur quoq; ad ejus familiam, sine qua esse non potest. *arg. l. 2. ff. de jurisd. l. hujus ff. qui pot. in pign. hab. ibi: sine quibus navis salva pervenire non poterat; l. administrantes. §. 1. ff. de excus. tut. l. 1. §. si vir aut uxor. ff. ad SCtm. Scyll.* Hinc est quod famulis studiosorum *de quibus supr. disp. 6. plurib.* eadem privilegia sint indulta, quibus ipsi Studiosi gaudent. Inde privilegium Xenodochio concessum, extenditur etiam ad Oeconomos, & administratores Xenodochij, quorum opera pauperes carere nequeunt. *Gail. 2. Obs. 68. n. 5. & 6.* Ratio hujus est, quia hi connexi quasi videntur, connexitas autem unitatem operatur, & connexorum idem est judicium. Huc pertinet communis illa *Dd.* regula tradita *ex c. auctoritate §. fin. de conces. præbend. & l. Aristo. l. fin. ff. quæ res pign. oblig. non poss. verb. potest.* Quod quandoq; quis ex persona alterius quid consequatur, quod ex sua persona consequi non potuisset.

77. Ut autem sciamus qui illi Comites sint, privilegia isthæc quibus dantur, notandum obiter, nihil referre, cujus status sint aut officij, honestioris vel vilioris, sive hedarij sive stabularij, Nautæ sive remiges: Non enim propterea quod huic vel illi officio præsint, sed quod in comitatu sint, legationis jure potiuntur.

78. Postquam jam iter suum Legatus perfecit, & ad

eos ad quos missus pervenit, memor erit mandati tum sui, illud quam fidelissimè quam decenter & honorificè exequatur.

79. Unde quæritur. An Legato mandati fines egredi etiam liceat? Equidem hæc quæstio tot & tantorum virorum ingenijs ita fuit agitata, ut verè dicere possis, Eridos pomum in vestibulum scholæ Politicorum & Jurisconsultorum esse projectum, alijs affirmanti, alijs neganti opinioni subscribentibus, alijs verò distinctionibus quibusdam rem dirimentibus.

80. Pro affirmantibus, quorum assertio & mihi videtur verior facit hoc, quod legatus mandati sui fines diligenter debeat custodire. *l. diligenter 5. ff. mandat.* ℭ*Alber. Gentil. lib. 3. de Legat. c. 16.* nec nisi injuncto munere fungi *l. eundem 16. §. 1. ff. de legat.* & ministerium suum strictè exequi. *arg. l. quicquid 99. ff. de V. O.* Et quamvis mandati actio bonæfidei sit, *§. 28. Inst. de act. ibi Dd.* ejus tamen fines tam strictè custodiendi sunt, ut mandatarius etiam culpam leviſſimam præstare teneatur. *per l. in re mandata 21. C. mandati.*

81. His accedit testimonium ℭ*Alexandr. ab* ℭ*Alex. lib. 6. genial. dier. c. 6. fol. 323.* dicentis: Legati munus est omnia ad præscriptum imperiumq; ejus, qui mandavit agere, Imperatoris verò summæ rei consulere & liberum tenere imperium. Hunc in eundem sensum verba illa sunt *Hyppolit. à Collib. in Aulic. fol. 332.* ea quæ nobis à Principe nostro mandantur, non solum summo studio curari debent omnia, sed neq; aliter quam mandata sunt, ita, ut etiam eadem verba (quantum fieri potest) servanda sint.

82. Nec refert Legatus habeat mandatum generale nec ne, quippè uti id non extenditur ad ea, quæ mandari nequeunt, *l. si procurator 6. §. 2. ff. de condict. indeb.* Ita nec

ad

ad ea, de quibus verisimiliter cogitatum non est. *arg. l. mandato 60. l. 63. ff. de procur. l. obligatione ff. de pignorib.*

83. Quod si ergò de novo præter mandatum emergat aliquid, quod è re Principis esse videatur, Principem suum consulat; ejusq; declarationem, interpretationem, & secundam (ut vocant) jussionem exspectet *per trad. à Gail. obs. 35. n 5. & 6.* Quod si non facit, & à Principis mandato recedit, etiamsi ex malitia & superbia minimè agat, videtur dominum contemnere, vel se saltem suamq; prudentiam majoris facere, quod odiosissimum est.

84. Instant alij, dicentes, Quid si prudentia & discretio Legati rationi & honestati sit consentanea, & res feliciter cedat? Nec hoc quidem casu legatum excusari arbitror: Ne juxta Cantionem de *rustica* villicus magis sapere quam Dominus censeatur. Et Notabile est illud exemplum D. Breidenbachij Cancellarij, quod refert *Ruland. de commiss. lib. 3 c. 2. n. 5.* qui cum benè & feliciter negotium Principis Wurtenburgici expedijsset, sed alio modo quam quo mandatum erat, hoc tulit responsi à Principe, Dn. Cancellarie benè quidem expedivisti negotium, sed ne iterum sic expedias: Jhr habts wol gnug verrichtet / jhr seid aber meinem befelch nicht nachkommen/ thuts mir nicht mehr.

85. Licet autem *juxta præcedentia.* Legatus à mandati fine deflectere nequeat, media tamen ad finem rectè ducentia pro usu negotij eligere potest. *Wesenb. in parat. ff. de mandato n. 6.* quasi ex bona fide hæc instructioni insint, & simul commissa videantur, sine quibus legatio rectè ad exitum non queat perduci, *arg. l. 2 ff. de offic. ejus cui mand. est jurisd.* Neq; Principis mandantis quidquam interest, quomodocunq; quod confectum voluit, conficiatur *l. si verò 12. §. 3. ff. mandati.*

86. Legatus quando jam sic prout Dominus illius voluit, mandatum exposuit, responsionem ad illud exspectabit,

bit. Quod si verò ut optat non ita statim responsione dignatur, non statim recedet, sed domum literis missis quid faciendum sit, inquiret: Vel etiam quod diligentia assequi nequit, nimia instantia aliquando quoq; astutia idipsum tentabit. Exemplo nobis sit Legatus Venetus, qui ad Turcium Imperatorem salutandum missus. Huic, quò magis moras necterent in danda responsione, accessionem ad Imperatorem ipsum denegarunt; quid factum, hic deposita veste patria, Turcicam togam induit, per turbam transijt, negotium suum perfecit, responsumq; desideratum accepit. *Kirchner. de Republ. lib. 2. cap. 4. num. 17.*

87. Responso accepto, quam honestè Legatus gratias aget & dimissionem petet. Cum autem plerumq; Legatis jam jam discessuris munera offerri soleant; nos minimè hîc aberrabimus, si quæramus. An etiam liceat Legatis munera accipere? Sunt qui quæstionem hanc pro & contra ventilent, nos mediâ viâ utentes, distinguimus: Aut munera eâ mente sunt data, ut legati corrumperentur, & meritò recusanda: aut data sunt ad testificandâ benevolentiam & humanitatem, & nil obstat, quò minùs accipienda. Quibus addi potest distinctio *Ulpiani JCt. in l. 6. §. 3. ff. de off pro cons.* his verbis contenta. *Neq; omnia, neq; quovis tempore, neq; ab omnibus.*

88. Tandem ita legatione perfecta, Legatus domum reversus, nihil eorum quæ in legatione actitata sunt, simulare & celare debet, sed omnia fideliter, candidè & sincerè renunciare & referre tenetur, quæcunq; Reipubl. referri interierit. *Kirch. d. lib. 2. de Repub. cap. 10. n. 42.* Nihil hîc sibi vendicet ira, nihil invidia. E contra Princeps habitum laborem cum omnibus impensis & expensis legato recompensabit: ita ut etiam includatur honorarium illud quod in hospitio dare solet legatus, vulgò Trinckgelt. Nam illud non ad sui sed Principis reputationem conservandam elargitur.

Disputationum JURIDICO-POLITICARUM DUODECIMA

DE CAUSIS EXEMPTIONUM IMPERII.

RESPONDENTE
JACOBO BANDELOW
Collegii-Magdeburgico.

THESIS I.

MIrari hîc quis posset, quî fiat, quod hoc demùm loco de Exemptionibus Imperij dicere incipiam, cum fortassis alibi commodior de ijs dicendi patuisset campus; sed mirari desinat, modò cogitet, me hùc usq; de membris adhùc sub Imperio contentis differere voluisse.

2. De Exemptionibus igitur incepturus, sub initio memor ero istius *Panormitani*, quod æquivoca definiri nequeant, *in rubr. extr. de judic. & juxt. l. fin. C. de legit. tut.* ad vitandam nominum eorumq; confusionem, ambiguitatem vocabuli priùs enùdabo, ut quid velim dicere pateſcat.

3. Est autem verbum Exemptionis apud Latinos frequentissimum, & varijs rebus accommodatur. Sic in jure Canonico exemptio Ecclesiastica est sacerdotibus indulta, qua secularibus principum sedibus, tributis, captura,

regimine, muneribus eximuntur, *de qua c. 1. de privileg. in 6. c. si Imperator distinct. 96. c. 11. q. 1. l. 2. & 7. C. de Episc. & Cler. Nov. 123. Joh. Lup. de libert. Eccles. p. 1. q. 12. & p. 2. q. 11. Boer. decis. 69.*

4. Ita & in Jure Civili sæpiùs occurrit exemptio, velut immunitas à muneribus, oneribus, operis, collectis, *l. fin. §. 2. ff. de munerib. & honorib. tot. tit. ff. de immunitatibus, tit. ff. de vacat. mun. l. 1. C. de veterar. l. 2. C. de re milit. l. fin. C. de his qui non implet. tot. tit. C. de muner. patrim. tit. C. quib. muner. nem. tit. C. de privileg. dom. Augusti. tit. C. de Profess. & Medicis tit. C. de privileg. eor. qui in sacr. Palat. milit.*

5. In novissimis Recessibus Imperij hoc verbum itidem frequens est. *Vid.* R. A. *de anno 51. §.* Solche der Stände/*ibi.* die da exempt vnd gefreyet sein/R. A. *de anno 48. §.* Deßgleichen sind auch. *ibi.* die freye vnd vnstreurbare Güter haben. R. A. *de anno 57. §.* Damit auch diese *ibi.* Die in possessione libertatis sein & passim.

6. Cui similima est exemptio in Imperij Constitutionibus ordinum quorundam à Cameræ judicio, qua subditi ad aliud tribunal quam sui Principis tracti, declinatoria fori se tuentur: quale privilegium impetrarunt Principes & Electores, Saxo & Brandenburgicus, ut & alij de quibus in disputat. præcedentibus sat dictum.

7. Sed hæ ut & aliæ innumeræ exemptionum species proposito nostro sunt ineptæ, illa saltem huc quadrat: quando aliqua Imperij provincia, ditio, vel Regnum, totaliter & omnimodò, tam quoad onerum contributionem & præstationem, quam superioritatis recognitionem ab Imperij nostri Romani jurisdictione eximitur, & quomodo rursus Princeps Provinciam aut Urbem illam libertate Imperij nudatam, suæ jurisdictioni subjicere & coercere studeat.

8. Quam-

8. Quamvis autem perquam multi sint qui statuant, exemptionem talem fieri non posse, ut quis ab Imperio eximatur, nostrum tamen seculum & exemplorum frequentia contrarium suadent: quorum quædam in gratiam studiosæ juventutis ex probatis Auditoribus adducam.

9. Nonnè Italia Provinciarum orbi primaria olim Imperij sedes fuit, sed jam eam ab Imperio Romano-Germanico avulsam esse, perquàm notorium est.

10. Hispania ut & Gallia quod olim Imperij Romani ejusq; victrices recognoverint aquilas, sàt lucet ex textu notab. *in l. 2. §. 2. C. de offic. præf. prat. Afric. ibi.* Jubemus etiam, ut in trajectu, qui est contra Hispaniam, qui Septa dicitur, quantos providerit tua magnitudo, de militibus unà cum tribuno suo homine prudente, & devotionem servante Reipublicæ nostræ per omnia constituas: qui possint & ipsum trajectum semper servare, & omnia quæcunq; in partibus Hispaniæ vel Galliæ seu Francorum aguntur, viro spectabili duci denunciare, ut ipse tuæ magnitudini referat.

11. Patet idem ex *l. relegatorum §. 10. vers.* Sed Imperatores nostri Mæcio Probo Præsibi Provinciæ Hispaniæ rescripserunt. *ff. de interd. & releg.* facit hùc inscriptio *l. 5. C. de jurùd.* quæ ab Arcadio & Honorio Impp. ad Vincentium Præfectum Prætorio-Galliarum rescripta fuit.

12. Imo Justinianum Imperatorem sine controversia jura Regibus Galliæ dedisse dicit *Cujac. consult. 3. in fin.* Et Ottonem II. Imper. consobrinis suis Lothario atq; Carolo Galliæ Regibus bellum intulisse, quod Romano Imperio justa non persolverent, seq; subducerent legitimæ dominationi, scribit *Crantz. in Metropol. Saxon. lib. 3. c. 35.*

13. Ast hodiè Hispaniam non agnoscere Imperium, testatur *gl. in c. Hadrianus distinct. 63. Gomez. in §. fuerat n. 5. Instit. de actionib. Panormitan. in c. venerabilem, Col. 9.*

de action. hanc q; esse communem opinionem Dd. tradit Molin. in consuetudin. Paris. in pr. num. 20.

14. Exemptam quoq; esse Galliam constat *per c. venerabilem vers.* insuper cum Rex superiorem non agnoscat, *X. qui filij sint legitimi. Chassan. in Catalog. glor. mund. pag. 5. consid. 30 & 31. Purpurat. in l. 1. num. 13. ff. de jurisd.* ubi dicit, quod de Rege Franciæ nihil aliud possit dici, nisi quod dicitur de Polo Antarctico, qui non est nostri Hemisphærij. Hinc *Gunth. in Ligur lib. 1.*

At simul à nostro secessit Gallia Regno,
Nos priscum Regni morem servamus, at illa
Jure suo gaudet, nostræ jam nescia legis.

15. De alijs Regnis & Provincijs, puta, Portugallia, Britannia, Dania, Hungaria, Polonia, Neapoli, Borussia, Livonia, Burgundia, Belgia & similib. velim videas *Amplis. virum Dn. Zachariam Vietorem in Dissertat. elegantiss. de causis exempt. Imperij, ut & Clariss. virum Dn. Theod. Reinking. in Regim. secul. lib. 1. class. 2. c. 8.*

16. An autem suprà dictæ Provinciæ justas exemptionis causas habuerint, seu an illæ, quas prætendunt legitimæ sint, ego, tanquam ab alijs informandus, in medio relinquo? *Vid. interim Dd. citatos.*

17. Illud non difficeor esse causas ob quas exemptio fieri potest, quamvis nonnulli statuant, impossibile esse de jure aliquem de regno vel in regno & totaliter exemptum vel exceptum fieri *ut & supr. dictum*, sed tamen nec quisquam mihi illud negabit, ut quædam sunt exemptionis causæ veræ, ita & è contrariò etiam falsas vel saltem apparentes esse. de quibus paucis non meo tenui è cerebello, sed virorum aliorum Clarissimorum judicio disseram.

18. Igitur veras exemptionis causas quod attinet, licet variæ & multiplices sint, præcipuæ tamen referuntur à

Dd. Prin-

Dd. Principum mortalitas, merita publica, demùm præscriptionis vetustas.

19. Nam (ut de prima nempè mortalitate incipiam) quemadmodum omnium rerum, ita & regnorum sua mortalitas est, provinciæq; velut Pilæ datarim de manu in manum propelluntur: ut meritò dici cum Manilio queat; Quis numeret

— — *eversas urbes Regumq; ruinas*
Inq; rogo Cæsum, Priamumq; in litore truncum.

20. Adhæc omnis ævi fata comprobant, inclytas familias planè pessum iviſſe, ac stemma nomenq; avitum tumulis & æternæ nocti intuliſſe: Jul. Scalig. *in admirando poëmate de regnorum everſionibus*, ita ut hæc non minima causa sit, quod multi Status Imperio avulsi, Provinciæ exemptæ, regiones aliorum dominijs intextæ sint, nec face, nec viatico inveſtigandæ.

21. Volve quæso vetera Imperij scrinia, subscriptiones per lege, reperies stemma & nomina multa, non magis jam cognita quam Faunorum & Aborigenum genealogiam.

22. Eò tendit Imperator, quando in R. Imperij de *anno 48. §.* Als auch durch die *ibi*. Das etliche Stände in des Heiligen Römiſchen Reich Anſchlägen befunden / aber unbewuſt / wer dieſelben oder welcher Ende ſie zu finden.

23. Causam secundam exemptionis sæpè dederunt, promiscua Statuum facinora, prout scil. benè vel malè de Imperio promerebêre. Quemadmodum olim exemptio à pensitationibus publicis ob præmium benè navatæ operæ concedebatur *l. cum navarchorum C. de navicularijs*; sic ob præclara merita libertas amplior quibusdam indulta est. Ex quo fonte gratiam uberiorem nactos Principes finitimos Francos, Iberos, Sarmatas, Britannos, Cimbros, ac Imperatoris nutu Reges constitutos & à communi ordine exemptos

ptos multi Interpretum arbitrantur, nec desunt Scriptores numero quam plurimi, autoritate graviſſimi, qui Urbes Maritimas, quas & Anſeaticas vocant, exemptionem & immunitatem partim accepiſſe, partim retinuiſſe ſcribunt: quod ferarum gentium incurſiones ſtrenua manu velut obice & repagulo ſtitiſſent, *Vid. Ampliſſ. vir. Dn. Zachar. Viet. d. diſp. concluſ. 17.*

24. E contrario; Uti miſſione ignominioſa exautorabantur quandoq; legiones integræ. *l. 2. §. 2. ff. de his qui not. inf. l. 13. §. 3. ff. de re milit. l. teſtamenta ff. de teſtam. milit.* Sic etiam multi per infamiam ex matricula Imperij, numeroq; ſtatuum propter ſcelus, rebellionem aut perfidiam etiam ob religionem delentur & exterminantur: *Gail. 1. O. 21. n. 21.* Hinc vidimus urbes proſcriptas, damnatas, vomere preſſas, privilegia honoremq; quemlibet perditum ijſſe. *l. ſi uſufr. civ. ff. quib. mod. uſufr.*

25. Tertiam exemptionis cauſam & quidem optimam tradunt Dd. Præſcriptionem. Nam cum non ita pridem in celebri exemptionis cauſa omnes rationes rejicerentur, ſola præſcriptionis exceptio, velut relevans ad probandum reſervata fuit, *in cauſa exempt. fiſci contr. Holſatum & Hamburg. vid. Dn. Zach. Viet. d. l. & concluſ.*

26. Præſcriptio autem legitima ſit neceſſe eſt, & ut facta ſit cum patientia & ſcientia ejus, contra quem intenditur *per l. 2. C. de ſerv.* Nam Imperio vacante, aut Cæſare abſente vel in caſtris degente, nulla currit præſcriptio vel uſucapio;

27. Præjudicium hujus rei extat elegans & memorabile, agitatum acriter anno 1370, cum rebus ob diuturnum interregnum turbatis, Electores vectigalia urbeſq; Imperij ad ſe traxiſſent, cecidiſſentq; lite, niſi nimia Caroli IV. indulgentia ergà gnatum geſtâ iſta confirmaſſet. *Coler. de præſcript.*

præscript. ad c. placuit num. 18. Cui incommodo ut iretur obviam, à Septemviris jam adstringuntur Cæsares, ut non modò abstineant ab oppignoratione fundorum Imperialium, sed etiam revocent distractos, Das sie nichts hingeben / verschreiben / verpfanden / versetzen / oder in andere wege vereussern wollen / sondern sich auffs högste bearbeiten / das entkommende herzu zu bringen. *uti ex disp. præcedentibus patet.*

28. Dixi Præscriptionem debere esse legitimam. Undè non sine fructu disquiritur, quale tempus requiratur, contra Imperium ut currat legitima præscriptio.

29. Ad cujus quæstionis decisionem meliorem species præcipuas præscriptionis præmittam, atq; sic in nostro casu, quæ obtineat, exponam.

30. Sunt verò Præscriptionis Species Principales & quotidianæ octo: quarum prima Triennalis vocatur, qua præscribuntur res mobiles. Nam olim in re mobili anni tempus statutum erat, hodiè verò triennium ad res mobiles usucapiendas requiritur; Nec refert utrum sint res seculares *pr. Inst. de usucap.* vel Ecclesiasticæ *per text. in Auth. quas actiones C. de Sacrosanct. Eccles.* quod tamen de jure Canonico à Dd. variè disputatur.

31. Altera præscriptio dicitur longi temporis, decem scilicet annorum inter præsentes, & viginti inter absentes, qua præscribuntur res corporales immobiles, interveniente bona fide & titulo & alijs requisitis *de quibus vid. Dd.*

32. Tertia dicitur præscriptio longissimi temporis 30. scil. & 40. annorum, quæ de jure ff. fuit incognita, Imò etiam de jure Institutionum, cum nec ibi ejus fiat mentio, de jure autem C. quem jam habemus est introducta, deq; hac est tit. *C. de præscript. 30. vel 40. annor.* qua præscribuntur res sine titulo, ita ut etiam fur rem furto ablatam & detentam

tam usucapere queat *juxt. l. 1. §. adhæc. C. de annal. except. l. omnes. l. sicut. l. cum notissimi C. de præscript. 30. vel 40. ann.* Et hoc propter odium negligentis, quia non petit rem suam, sive jus suum, cum jura vigilantibus subveniant, *per l. pupillus ff. de vulg. & pupill. substit.* quod quoq; de jure Canonico secus videtur: præscribuntur & hac res longè aliæ plures, *de quibus Dd. ad tit. Inst. de Usucap.*

33. Quarta vocatur quadragenaria, quæ Canonica & Ecclesiastica præscriptio dicitur, qua præscribuntur res seu bona Ecclesiastica præsertim temporalia, ut fundi, sylvæ, &c. quæ & certis solennitatibus alienari possunt, *ut in §. sacræ Inst. de Rer. divis.*

34. Quinta, poterit etiam dici quadriennij præscriptio, sed diversa à præcedente in eo, quod hac in specie certis casibus præscribatur contra fiscum, & vice versa fiscus præscribit contra privatum. *de hac extat tit. C. de quadriennij præscript.*

35. Sexta est 20. annorum, qua præscribuntur sine titulo contra Fiscum bona vacantia etiam fisco nondum delata, *l in omnibus ff. de diversis & temp. præscr.*

36. Præscribuntur quoq; eadem actiones criminales, regulariter enim actiones criminales spatio 20. annorum tolluntur, *per text. in l. in cognitione ff. ad SCtm. Syllaneanum & ibi Dd.*

37. Quod tamen ita intelligendum, si reus accusatus non aufugerit sed permanserit. Nam si per 20. annos emaneret & rum reverteretur, non poterit se tueri hac præscriptione. Interim si alleget defensiones & exceptiones audiri debet neq; statim puniri.

38. Septima Præscriptio appellatur centenaria, qua sola Ecclesia Romana gaudet, contra quam minor præscriptio

scriptio non currit, *d. auth. quas actiones C. de SS. Eccles. c. ad audientiam, c. cum nobis extr. de præscript.*

39. Ultima est præscriptio immemorialis, quæ habetur loco tituli legitimè constituti. *l. hoc jure §. ductus aquæ ff. de aqua quotid. & æstiv.* Et in ea semper præsumitur titulus & bona fides, etiamsi non allegetur, quia tanto tempore possessum præsumitur ab autoribus suis justè possessum. *c. 1. de præscript. in 6.*

40. De hac acerrimè inter se litigant Dd. quantum tempus in ea requiratur, seu quod tempus dicatur, cujus initij memoria non extat. Et sunt tres diversæ opiniones, una eorum qui sentiunt requiri 100. annos, altera qui dicant, 100. annos non sufficere, tertia, quod etiam pauciores quam centum anni desiderentur, si modò nulla extet hominum ea de re memoria, cum quibus ultimis facere tutiùs & mihi videtur.

41. His ita præmissis, jam ad nostrum applicando propositum dicimus; Prisco quidem seculo sicuti omnes actiones fiscales 30. vel 40. annorum spatio tollebantur. *l. omnes l. cum notissimi C. de præscript. 30. vel 40. ann.* ita quoq; exemptiones à solutionibus contra Principem aut fiscum ijsdem annis fuêre admissæ. *Covar. 1. var. resolut. cap. 17. num. 10. Mynsing. consil 1. num. 54. dec. 15.* Ast hodiè ob præsentem Imperij usum sancitum, ne præscriptio procederet, nisi memoriam omnem excederet vetustas, R. A. *de anno 48. §.* Wann auch ein außgezogener/ *ibi.* Wann gegen jhn nicht dargethan werden kondte/ das er ja in Menschen gedechtnuß in des Reichs gemeinen vnd nicht Privilegirten hülffen contribuieret. *Gail. de arrest. imp. c. 8. n. 24.*

42. Rationem hujus dant ferè eandem quæ & suprà de immemoriali præscriptione adducta fuit; nempè quod hoc tempus vim contractus, justæ causæ, tituli, veritatis,

legis, privilegij, juris deniq; plenissimi obtineat. *l. fin. ff. de aqu. pluv. l. hoc jure ff. de aqu. quotidian. Mynsi. 5. O. 29. 30.*

43. Ita ut Dd. pro certo tradant hac præscriptione omnem jurisdictionem, *Lupus in l. Imperium n. 137. ff. de jurisd.* Omnia Regalia & Imperium *Mynsi. 1. O. 30. Paurm. de jurisd. lib. 1. c. 6. n. 12.* imò aliàs non præscriptibilia acquirantur *Surdus consil. 127. n. 16.* nec opus sit possessori allegare titulum, tempore ipso satis munito *c. 1. de præscript. in 6.* eo quod ex longissimo tempore fides præsumatur *Dd. in c. 2. de restit. in integr.* favorq; & veneratio antiquitatis suppleat probationis defectum *Ant. Fab. lib. 4. C. tit. 14. def. 63. n. 1. Dn. Victor. d. l. conclus. 17.*

44. Sed cum ex vulgatissimis juris regulis constet, Accessorium parilem naturam sapere cum principali *c. accessorium de R. J. in 6.* ad hærentia esse ejusdem conditionis *l. quæ religiosis ff. de R. V. l. fin. ff. de vin. trit. oleo leg.* quod Dd. ita solent exponere, de connexis judicari æqualiter, contentum continentis sui legibus æstimari, augmentum sumere naturam ejus cui adjicitur. *Cothman. consil. 84. n. 20. vol. 2.* haud importunè quæri potest, an quæ accedunt exemptis, exempta habeantur & contra.

45. Certè non infimi Dd. tradunt immunitatem in dubio ad bona etiam postmodum quæsita referri *per l. peculium ff. de leg. 2. l. si ex l. si ex toto ff. de leg. 3.* & in specie privilegium exemptionis datum Ecclesiæ cuipiam, extendi ad omnes adjacentes seu sub ea comprehensas. siquidem in concessione principum etiam adjacentia & pertinentia comprehenduntur. *l. si quando C. de bon. vacant.* Quod ipsum quoq; patet ex privilegio Friderici I. dato Austriacis. Volumus ut, si districtus & ditiones vestri ducatus amplientur, hæreditate, donatione, emptione, vel alio quovis devolutio-

volutionum successu, præfata jura, privilegia & indulta ad augmentum dominij Austriæ plenariè referantur.

46. Verum multis contrarium visum fuit æquius, Exemptionem scil. veluti odiosam & stricti juris, extra suam causam non esse extendendam, neq; ad postmodum quæsita applicandam. Hinc Ecclesiam profanorum bonorum emptione ditatam, immunitatem non mereri, *c. si tributum 11. q. 1. c. 32. q. 8.* itemq; nobilem plebejos agros comparantem ad pristina onera teneri, *per l. si quando C. de bon. vacantib. l. pen. & ult C. sine censu. l. his oneribus ff. de muneribus l. fundi partem ff. de contrah. empt. l. pater in fin. ff. quomod. serv. amitt.*

47. Cum quibus ultimis eatenus facio, quatenus primò accessorium non est ejusdem naturæ cum principali. Si ejusdem certa est opinio, quæ sic connexa sunt, ut separari non possint, eadem fortuna gaudere *per l. 13. §. 2. ff. de statu liberu:* Sin diversæ, probatione unius alterum non inferri, *Mascard. conclus. 14. n. 19.*

48. Secundò cum unionis innumeri modi sint, expendendum: an quoad protectionem & gubernationem, an ut appendices vel ut res æquè principales: an confusione revocabili an irrevocabili, an deniq; per se vel per accidens sub unius Principis imperium venerint. Si enim ista territoria ad idem regimen & superioritatem conflentur, ita ut planè confundantur, tunc illud quod extinguitur non attenditur; sed in principalis sui leges commigrat, *per text. in Nov. 8. c. 2. & l. 20. §. tyranno ff. de instr. leg.* Sin verò natura, limitibus modo regiminis ita formatum fuerit, aut pacto sigillatim placuerit, ne aliter quàm salvo priori jure coadunentur, certum est exemptionem ab uno ad aliud non porrigi, nec jurisdictionem unius provinciæ ad locum novitèr adjectum prorogari, illiusvè statutis illaqueari *per l. quoniam*

C. de appell. Æquum enim est separata aut separabilia diverso jure æstimentur. *l. ult. ff. de calumn. l. sancimus C. de donat.*

49. Hinc in Comitijs Augustanis, cum hæc quæstio Burggravio Misniæ moveretur, jusserunt ordines, So er an der Herrschafften vnd Lande jtzo innen hette / oder künfftig an sich bringen würde / die ohne das in des Heiligen Reichs Registern vnd anschlägen begriffen / das er davon sein Gebühr auch tragen vnd richten solle / X. A. *anno 84. §.* Mit den Gesandten.

50. Atq; hæc de causis veris, nunc progredior ad enumerationem causarum quarundam falsarum. Ubi statim in limine illa occurrit quæstio; anne pro vera vel falsa causa habenda, si quando subditi ob dominantis sæviciam sese eximunt, & ad libertatem proclamant.

51. Affirmativa alicui placere posset, per sequentes inductiones. 1. Quia per omnes humanæ societatis gradus vetita est sævitia, vetita est abusio potestatis; Sic in potestate herili, invisa fuit Jovi sævitia domini, Livio teste, propterea q, servus sævitia, fame, obscænitate pressus, venire jussus est. *l. 1. & 2. ff. de his qui sunt sui vel alien. jur. l. 1. §. 8. ff. de offic. præf. urb.*

52. Sic Pater etsi vitam quam filio dederat eripere quondam poterat. *l. 11. ff. de lib. & posthum. l. fin. C. de patr. potest.* postmodum tamen ob ferociam emancipare cogebatur. *l. fin. ff. si quis à patr. manum. l. 1. §. fin. ff. de lib. exhib. l. 5. ff. ad L. Pompej. de parricid l. unic. C. d. emendat. propinq. l. 3. & 4. C. de patr. potest. l. si Lenones C. de Episc. audient.* & deinceps. Quantò magis ergò subditi obsequio, fide, Sacramentiq; vinculo liberari deberent, si Princeps concesso dominatu ad sævitiam aut proterviam præposterè abutatur, cum salus Populi suprema esse lex debeat, & Populus

lus non tam propter Principem, quàm Princeps propter populum ejusq; utilitatem sit. *c. ecce cap. 1. quæst. 1.*

53. Unde etiam à Dd. modò appellatur Princeps, Pastor qui pro grege excubet, modò pater communis, qui filios placido sinu foveat, & velut Deus in terris, cui nihil magis proprium, quam humanitas per quam sola Dei imitatio servatur *l. fin. C. de donat. int. vir.* quiq; Deum tantò magis habiturus sit benignum & propitium, quò diligentiùs subditos illæsos præstat. *Nov. 149. in præfat.*

54. Ut ut autem plausibilia omnia videntur, apage tamen pestem. Non enim Rex postulatur ut Medicus, cujus Imperia durant quam diù placet ægroto. Qua de re verè Impetatoris Valentiniani verba ad Prætorianos extant: Ut me ad imperium eligeretis, in vestra erat potestate: sed postquam electus, quod petitis in meo arbitrio est, non alieno: pareatis: ego quæ facienda restant, ruminabo. *Vid. Niceph. lib. 11. hist. cap. 1.* Innuere voluit, subditos quidem immittere in possessionem, dejicere verò rursus dominum pro lubidine non posse. *Molin. consuetud. Paris. tit. 1. §. 51 gloss. 1. n. 13.*

55. Quid ergo? Si Clodius ad tribunal, Verres ad præturam, Catilina ad consulatum, Phalaris ad Sceptrum sedeant, licebitnê viro forti esse tam degeneri, ut æquis oculis patriæ calamitatem intueatur? Minime.

56. Ast quid faciet interim? Ut injuriam avertat, jus publicum invocet, & potestate superiori præditum adeat, qui vim fieri prohibeat *l. 13. & 23. ff. quod met. caus.* h. e. conquerantur subditi & supremi Principis opes implorent. *Mynsing. 5. O. 8. n. 4.*

57. Habes in Imperio nostro Cæsarem, habes Cameram, Status Imperij habes, ubi plangas *Mynsing. d. O. 8. Gail. 1. O. 17.* Horum sola auctoritas est, ut non solum à Principum Imperio subditos eximere *Mynsing. 3. O. 99. n. 3.* sed & si

opus planè Dyonisios expellere, Nerones more Majorum plectere, Wenceslaos Augustalibus Insulis exuere possint. *Vid. Dauth. de testam. lib 3. num. 2. lib. b. fol. 398.*

58. Cogitate quæso sacra ista capita à Deo esse, nec profana manu immolanda; Cogitate igneas Heroum mentes à Deo primariò in possessionem missas, nec subditorum arbitratu ita esse expellendas, uti passim in disput. nostris demonstravimus. Hoc nomine *Bodin. 2. rep. c. 5. num. 212.* Martinum Lutherum eruditissimum Theologum vocat, quod Germanorum Principes ab armis contra Cæsarem susceptis dehortatus fuerit.

59. Perfer ergò quisquis es tempestatem istam ac imbrem, & ut melior aura adspiret, cœlum implora. Quod ne sic quidem emendatur, ad novercæ tumulum luge: & ut isti Tiberio non nisi apud inferos locus sit, Deos obtestare.

60. Secundam exemptionis causam falsam præbet, si quando quis à Principe suo bona feudalia obtineat, & ex eo ilicò exemptus dici velit.

61. Nam licet quidam subtiliter contrà disputent, dicentes, esse contra communem rationem & sensum, ex recognitione feudi puram subjectionem concludere velle: primo, quia servitus personalis vel anonyma (uti in feudo) non faciat subditum sed domicilium & habitatio *l. domicilium ff. ad municipalem*, distinctaq; omnia esse inter subditum & vasallum. *Matth. Stephan. de jurisdict. lib. 2. p. 1. c. 7. n. 182. & c. 4. n. 61.*

62. Attamen cum omnia illa de nudis & alienigenis vasallis loquantur, nobis, quibus de subdito & vasallo simul quæstio est, nil refragantur: Siquidem Princeps subditis suis quando concedit feuda, non in hunc finem utenda & fruenda dat, ut sint à jurisdictione sua exempti, sed ut ille amore & dilectione illorum sit tutior, *Cujac. lib. 8. observ. 14.* atq; ut

isto

isto nexu devinciret, qui parati essent pro ipso promiscuè sanguinem fundere vel haurire, perdere vel perire; *lib. 2. feud. c. 7. & 8. ibi Feudistæ, vide etiam th. nostram 57. disp. sup. 5.*

63. Ad classem hanc referri etiam potest exemptio illa, quando scil. ipse Cæsar investierit Principem de Comitatu, Comitisve personam Imperio exemisset, atq; Principi eandem subjecisset.

64. Cæsar enim per talem infeudationem jus exemptionis Comiti auferre, alteriusvè status subditum facere nequit, *Matth. Steph. lib. 2. de jurisd. p. 1. c. 7. n. 128. Heig. 1. q. 19.* Quin imo ne cum Electoribus quidem formam pro Statu Imperij constitutam mutare potest.

65. Neq; hæc rationibus suis destituuntur. Constat enim, Principem jus quæsitum alteri invito non posse auferre *l. 2. §. si quis à principe ff. si quid in loc. publ. l. 2. C. de precib. Imper.* item quod privilegia ad alienam injuriam non debeant porrigi *l. 40. ff. de admin. & peric. tut. l. 8. ff. de præscript.* & quod omnia Imperatoris rescripta, beneficia, largitiones, hanc tacitè habeant clausulam annexam, salvo jure Imperij & cujusq;, quod Princeps inscium & invitum vasallum in dominum alium inferiorem alienare nequeat *per l. invitus & ibi gl. ff. de fideicommiss. lib.* aut sicut quæstioni huic accommodatè differit *Natta*, quod Imperator non possit mutare statum aut minuere honorem veterum vasallorum *cons. 686.* aut augere dignitates cum injuria aliorum. *Ant. Fab. lib. 6. C. 1. 27. def. 15.*

66. Sed quod secundum supremi Principis officium omnis omnium jurisdictiones velit tueri, non turbare, *secund. Capitulat. §. 2. ibi:* Einem jeden Herrn vnd Standt/ bey jhren Hoheiten/ Würden/ Rechten/ Macht/ Gewalt etc. bleiben lassen: Membra sua non supprimere, nec à se velut à capite avellere *Cothmannus consil. 28. n. 108. vol. 1.* sed unumquemq;

quemq; Imperij statum in ea conditione in qua fuit à sui principio & origine conservare. *Vultej. cons. 35. n. 205. §. at jus tom. 3. Marp.* & ut ordinum familiarumq; dignitas salva sit providere *l. 1. §. sed & si servus ff. de insp. ventr. Coras. 3. miscell. cap. 3. memb. 1.* Pleniorem causarum enumerationem instituere, paginarum, quas paucas esse volui, angustia non patitur, ideoq; B. L. ad Dd. remitto, *imprimis ad Amplis. virum Dn. Zachariam Vietorem in d. dissert. ubi quævis pro lubitu Methodo eleganti tractata reperiet.*

67. Pergo sic breviter ad ipsam revocationem. Antequam autem revocationi Princeps studeat, exquiret diligenter, Anne etiam status revocandus revera sit exemptus, & quas prætendat exemptionis suæ causas.

68. Equidem à varijs variæ referuntur demonstrandæ exemptionis formulæ: A multis tamen non exiguæ autoritatis viris omnes ad duas classes rediguntur, scil. ad Paritionem & Comparationem, atq; ita sufficere si Princeps revocans probare queat, revocandum seu exemptum paruisse & comparuisse.

69. Paritionem quod attinet, omnis qui paret mandatis, præsumitur subditus, atq; per obedientiam acquiritur quasi possessio subjectionis. Cum verò Paritio ex multis cognosci queat, proindèq; varia & multiplex sit, ego cum ipse tempore præclusus omnes ejus species referre nequeam, B. L. ad *Amplissimum virum Dn. Zachariam Vietorem*, hanc materiam pleniſſimè tractantem remitto, ubi *concluſ. 37.* etiam agit de comparitione & de differentia ejusdem inter paritionem, tandem etiam *concluſ. 38.* quibus modis debeat fieri ipsa revocatio, demonstrat.

Disputationum JURIDICO-POLITICARUM TREDECIMA

DE JURE BELLI.

Respondente

PETRO HARTWICH
Hamburgense.

Thesis I.

ABsolutis felicitèr ijs ad militiam togatam & statum tranquillum spectare quæ visa fuêre, lapidem me non loturum puto, si quid etiam de militia armatâ, seu statu bellico producam & exsanguem saltem tentem conflictum.

2. Nec est, ut Pyrrhus Salustianus in scenam prodeat, & aures meas vellicet & dicat: Ne mihi de militia judicet, cujus aures turbarum clangor non circumsonuit. Nec Hannibal aliquis, qui thrasonica arrogantia Phormionem Philosophum de bellicis rebus disserentem, eumq; desipere & delirare dixit, quod de re militari, cum aciem nunquam vidisset, coram Milite & Imperatore præstantissimo ausus esset disputare, *ut est ap. Cic. lib. 2. de Orat.* Quem vulgò milites sequuntur, quibus omnia literatorum consilia de rebus bellicis, febricantium somnia videntur, sed eleganter refutati à *Justo Lipsio lib. 5. Polit. c. 5.*

3. Memorabile ad hanc rem legitur responsum Michaelis Hospitalis Cancellarij Galliæ, dissuadentis bellum contra Hugonotas. Cum enim à Guisianis reprehenderetur, ipsius conditioni togatæ non convenire, de bello gerendo differere, respondit: Arma quidem se tractare manibus non didicisse, sed ex libris de causis & rationibus belli gerendi & omittendi, se satis edoctum esse, *vid. Camerar. cent. 3. hor. succis. cap. 72. in fin.*

4. Et ut mihi nemo negare potest, Medicum, licet ipse non pepererit, consilio tamen parturienti mulieri adesse posse: ita & Medicus Reipublicæ, qui partus bellicos in sinu suo foverit, illi laboranti mederi, consilijsq; bellicis succurrere quodammodo potest.

5. Quamvis illud larga manu concedam, ut Obstetrices, quæ & ipsæ partus oneri fuère implicitæ, melius & dexterius de partus actu & ejus periculis, monere possunt, quam ullus Hippocrates aut Galenus; haud aliter veteranum militem rectius judicare de exercitu, de castris, de agminibus, de signorum collationibus seu pugnis, de oppidorum oppugnationibus, de commeatu, de insidijs faciendis aq; vitandis, & de reliquis actibus bellicis, quam togatum aliquem Consiliarium.

6. His ergò excusationis loco præmissis, propius ad rem accedam, & quidem Belli Originem talem trado: dico Bellum descendere ex jure gentium, juxta *§. jus gentium, Inst. de jur. nat. gent. & civ. l. ex hoc jure. l. manumissiones, ff. de just. & jur.* Cæterùm tradunt communitèr Dd. justum bellum esse jurisgentium dispositivè, sed Bellum injustum, esse jurisgentium occasionaliter. *Bocer. tr. de bello c. 3. n. 14.*

7. Dicitur quibusdam Bellum per antiphrasin, quasi minimè bellum: ita apud Germanos dici posset Kriegen quasi minimè Kriegen. In bello namq; plus impendij quam com-

compendij, plus detrimenti quam emolumenti esse, experientia testis est. Undè illud Silij Italici.

— — *Pax optima rerum,*
Quas homini novisse datum est, pax una triumphis
Innumeris potior.

Itemq; *Virgil. 1. Æneid.*

Nulla salus bello pacem te poscimus omnes.

8. Alij ex eo appellatum volunt, quod sit bellum, id est bonum. Siquidem ad habendam pacem comparatum sit. R. A. zu Nürnberg *de anno 1542. §.* Nach dem aber *in fin. ibi.* In langwirige ruhe vnd sicherheit bringen helffen.

9. Quorum sententia approbatur etiam quadantenus à *Bocer. lib. 1. de bell. c. 3. num. 2.* Ubi bellum diverso respectu & bonum & bellum, & rursus neq; bonum, neq; bellum rectè nominari scribit. Bonum appellat respectu finis, quia pacem & tranquillitatem persequitur, quæsitam conservat *d. Recess. Imper.* & vim ac injurias hominum coërcet. Malum verò vocat propter incommoda & mala, quæ in eo proveniunt. Ubi tamen bellum per se non malum dicit, sed per accidens: quia per se non propter malum, sed bonum suscipitur & geritur: per accidens verò fieri ut multa mala in eo eveniant.

10. Propiùs tamen ad rem accedere videtur *Scaliger lib. 3. Poet. c. 89.* ubi Bellum à voce Duellum oriri asserit, quia scil. initio concertatio saltem fuit inter duos; Nam licet multi sint milites, duæ tamen partes sunt, & inter duos tantum primum bellum fuit, ac quemadmodum δὶς, bis, duonum, donum, bonum, sic duellum bellum. Inde quod nos hodiè hostes appellamus, veteres perduelles vocabant, per eam adjectionem judicantes, cum quibus bellum esset.

11. Definiri potest bellum, quod sit publicorum armorum justè suscepta & ritè denunciata contentio. *Alberic. Gentil.*

Gentil. lib. 1. de jur. Bell. c. 2. Dico publicorum armorum, quia rixa, pugna, inimicitiæ, duella & congressus privatorum, belli nomen jure non merentur, *conf. Alciat. ad l. 234. d. V. S.*

12. Dividitur à Politicis variè, modò ratione subjecti, modò respectu finis, modò consideratione subjecti aut adjuncti, modò contemplatione loci.

13. Ratione objecti bellum aliud est cum vicinis, quod nimis periculosum, aliud cum remotioribus, de quo Politici hunc tradunt Canonem. Quando bellum geritur cum remotioribus, imprimis dandam esse operam, ut vicinos habeamus benevolos, quò tutiùs possimus per eorum ditionem transire, si opus sit, aut ne illi hostem per suam ditionem ad nostram transire patiantur.

14. Ratione finis est, vel defensorium aliud offensivum: ratione subjecti bellum aliud dicitur in causa propria, aliud in aliena; ratione adjuncti bellum est vel continuatum vel interruptum. Continuatum dicitur, cujus actus continuantur, usq; dum finis bello imponatur. Interruptum cujus actus interrumpuntur, quod fit per inducias vel temporis minoris vel majoris.

15. Respectu loci bellum est vel terrestre vel navale. Terrestre quod terra geritur & plerumq; funestiùs est, & magis æyum, quoad vastationes, ruinas, incendia: Navale quod in aquis geritur sive flumine sive mari. Hoc insignem apparatum navium, instrumentorumq; nauticorum requirit.

16. In summa omne bellum est justum vel injustum. Cujus gratiâ Politicorum acerrima exoritur altercatio. Anne bellum ab utraq; parte possit esse justum. Sanè id à quibusdam magni nominis viris asseritur, quam suam sententiam sequentibus firmant rationibus. 1. Quia hostes ab eo dicti,

dicti, quod utraq; pars æquo jure pugnet, & hostimentum secundum Nonium Marcellum æquamentum est, hinc hostimentum beneficij pensatio. 2. Duo coram judice litigantes, ante latam sententiam justè agunt, justè excipiunt. 3. Dicunt bellum justum esse posse ex una parte verè, ex altera per ignorantiam justam, ut ecce Dei voce justè Judæi bellum contra Canonæos moverunt, & justè Cananæi repellebant quoq; Judæos, ignari vocis divinæ & se defendentes.

17. Verum enimverò quod pace tantorum virorum dictum volo, licet illi plus justitiæ ponant in opinione, quam in veritate, attamen plus rectè ponitur in veritate, quam opinione, nam non statim quod videtur esse justum, etiam justum est. Et ubicunq; sunt partes duæ controvertentes de unica unius causæ justitia, res ipsa quæ venit in petitionem unam partem spectat reverà justè, alteram autem injustè. Nec decisio causarum facit, ut causæ sint justæ, sed id agit ut justitia causæ, quæ latebat, magis emineat, unde *l. 1. §. 1. ff. de just. & jur.* JCti ideò Sacerdotes justitiæ appellantur, ut æquum ab iniquo separarent, quomodo autem? non quatenus iniquum apparens, aliàs seipso ab æquo separatum est, sed quia sæpè iniquum, pro æquo venditatur, ideoq; talis requiritur separatio. Quomodo quoq; ignorantia injustæ actionis actionem justam faciat non video. *Joh. 16. v. 2.* dicit Christus ad discipulos: Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo: quæro autem ex eodem illo loco: An justè ille agat, qui arbitratur se justè interficere sanctos?

18. Post divisionem Belli sequitur de Auctoritate bellum suscipientis. Suscipere bellum quivis potest, superiorem non recognoscens *c. quid culpantur 23. q. 1. l. hostes. ff. de captiv & postl. l. 1. C. ut armor. usus.* Unde Augustinus inquit; Ordo naturalis & mortalium paci accommodatus

hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas atq; consilium penes summos Principes sit: Ejusq; *Arnisæ. de jur. Majest. lib. 1. c. 5. n. 11.* hanc dat rationem, quia aliàs nunquam Respubl. à turbis & bellis civilibus quiesceret. Hæc ponderans Plato, legem talem tulit: Si quis pacem vel bellum fecerit, sine scitu publico capitale esto.

19. Hinc adhuc est, quod in jure civili Majestatis reus judicetur, qui arma sine Principis jussu sumit. *l. 3. ff. ad L. Juliam Majest. & l. unic. C ut arm. usus.* Et novissimo jure in alterius pernitiem & invasionem sine permissu summi Principis arma usurpans, violati territorij & pacis fractæ reus agitur, *juxt. Constitut. de anno 1495. & Ordin. Camer. part. 2. tit. 15. ibi.* Auß der Käyserlichen Majestät oder vnserm zu geben.

20. Ratio hujus assignatur *in Recess. Imperij Spirens. de anno 1526. §.* Zum andern/ *in fin. ibi.* sondern wer zu dem andern zu sprechen hat/ sol das mit gebürlichen Rechten thun/ bey Poen vnd Straff des Landfriedens/ R. A. zu Regenspurg *de anno 1541. §.* Wo aber jemandts/ *ibi.* mit Recht vnd dessen Ordentliche execution, *& passim.*

21. Interim non nego potestatem conscribendi exercitum alijs etiam Principibus inferioribus concedi posse, modò forma Imperij constitutionibus expressa observetur, & inprimis *de anno 1555. 1570. 1576. 1582. 1594. 1598.* cum similibus, qua observata possunt militem conscribere, delectum agere, & arma convocare, ita tamen ut etiam id fiat cum scitu Ducis circularis, R. A. zu Wormbs *de anno 1564. §.* Demnach so Declariren etc.

22. Videat autem ante omnia ille cui bellum indicendi potestas concessa est, ut non modo agat quid possit, sed cogitet & ruminet quid justè possit. Nam temerè in acie

versari

versari & manum cum hoste conserere, immane quiddam & beluarum simile est. *Cic. lib. de offic.*

23. Unde solennis mos ille fuit omnium, qui à primis ferè Nini temporibus, de bello sive inferendo sive incipiendo laborarunt, uti ne prius vincendi spem votumq; animo & cogitatione conciperent, quam id egissent, quoad ejus in ipsis esset, ut bellandi causas habere justissimas non modò crederent ipsi, sed exteris quoq; omnibus, adeoq; fieri si posset, hostibus persuaderent: & huc facit illud Poëtæ:

Non vis aut numerus, tandem bona causa triumphat.

24. Causæ verò bellorum licet pro varietate casuum infinitæ constitui queant, ad duo tamen capita omnes sine magno negotio revocari possunt: ut scilicet causa legitimi belli alia sit defensoria, alia vindicatoria, utraq; autem palmariò vergat ad gloriam Dei. R. A. zu Regenspurg *de anno 1532. §.* Vnd damit solcher: *ibi.* Zuforderst Gott dem Allmechtigen zu Ehren / vnd Handhabung vnsers Christlichen Nahmens. Et Reipublicæ Salutem. Reichs Abschied zu Speyr *de anno 1542. §.* Vnd dieweil nun dieser anschlag *ibi.* auch zu Schutz vnd Schirm vnsers gemeinen Vaterlands / Deutscher nation, vnd vnser aller Freyheit.

25. Defensio meritò locum primum sibi vendicat, utpotè juris naturalis est, *l. 3. ff. de just & jur. l. 45. §. qui cum ff. ad L. Aquil.* quæ etiam omni generi animantium naturâ tributa est. *l. 1. §. cum arietes. ff. si quadrup. paup. fecisse dicat.* Unde *Propert. lib. 2. Eleg. ad Cynthiam canit:*

Non solum taurus ferit uncis cornibus hostem,
Verum etiam instanti læsa repugnat ovis.

26. Defensio pro tribus diversis objectis triplex etiam est. Aut enim suscipitur ob Religionem, aut ob Ditionem, aut propter ipsam Personam.

27. Ob

27. Ob religionem defensionem esse licitam, de jure nostro non est dubium, ita enim expresè habetur *in* Reichs Abschied zu Regenspurg *de anno 1532. §.* Vnd damit solcher/ *ibi.* Vnd zu beschirmung vnsers Christlichen Glaubens *etc.* nec refragari etiam jus divinum, constat per ea quæ tradita à nobis sunt *disput. 3. th. 26.* Nam quamvis religio in se tanquam spirituale bonum armis carnalibus conservari non possit: ipsum tamen religionis verum exercitium & cultus liber à vi externâ & insultu impedientium rectè defenditur, *arg. vers. 43. 1. Machab. 1.*

28. Et si defensio Religionis de jure divino improbata esset, qui fit ut mala populis contigerint, ob desertum Dei cultum à Rege. *2. Chron. 28.* Unde hanc defensionem Impp. Sacratissimi Arcadius & Honorius tam sanctam reputarunt, *ut in l. 4. C. de hæret.* rescripserint. Quod in religionem committitur in omnium ferri injuriam.

29. Licitam quoq; esse defensionem Regionis, satis patet ex dicto *c. Nehem. 4. v. 13.* ita ut probationibus longis non indigeat. facit hùc *text. in c. Fortitudo 23. q. 3. ibi.* Fortitudo quæ vel in bello à Barbaris tuetur patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus, plena justitia est. Hinc veteres, defendentibus Rempublicam locum in cœlo destinatum esse dixerunt, atq; eò respicit Poëta, canens,

Dulce & decorum est pro patria mori.

30. Defensionem personæ permissam esse, non est ut probem, siquidem eò collimant textus omnes tam Codicis sacri quam Civilis, qui de defensione necessaria loquuntur. Illud saltem in quæstione est, cum defensio personæ, respiciat vel nostram vel alienam, puta proximi personam, anne posterior etiam sit concessa?

31. Et nullus dubito, quin & ea defendi queat. Siquidem oppressis ut opitulemur, charitas Christiana & commune

mune naturæ vinculum, quod homines ad mutuam sui defensionem, aliaq; officia præstanda copulavit, seu ut loquitur *Florentinus JC. in l. 3. ff. de just. & jur.* quod cognationem quandam inter homines constituit, efflagitat.

32. Hinc Seneca *de virtut.* si justus es, inquit, non nocebis, sed & nocentes prohibebis. Et *Cicero 1. offic.* duo constituit genera injustitiæ, unum eorum, qui inferunt: alterum eorum, qui ab ijs quibus infertur, si commodè possint non propulsant injuriam. *Rursus:* Qui non defendit nec obsistit, si potest, tam est in vitio, quam si parentes, aut patriam aut socios deserat.

33. Tantum de causa Belli defensoria, sequitur vindicatoria, cum injuriæ, Deo & Reipublicæ, illatæ, vindicandæ, vel nostrarum rerum vi ab alijs detentarum & ablatarum, recuparandarum gratia, nec non ob justitiæ denegationem alterius regionem invadimus *c. quod militare, 23. q. 1. Althus. in Polit. c. 7. & 29. Bocer. lib. 1. de bello c. 6. n. 10.*

34. Primam quod attinet nempè vindicationem injuriæ, ipse Deus, Dominus noster altissimus jubet ultionem expeti de Midianitis, quod prostitutione suarum puellarum Israelitas in itinere circumvenissent *Num. 31.* & ob publicum stuprum à Gibeonitis concubinæ Levitæ illatum, adeoq; scelus in Israel perpetratum, reliquæ Tribus Israel bellum moverunt contra Gaboa Benjamin, & totam ferè tribum Benjamin deleverunt. *Jud. c. 19. & 20.*

35. Justam quoq; belli gerandi causam esse, Repetitionem rerum per vim ablatarum, tam ex Codice sacro, *2. Reg. c. 2. & 2. Reg. 13. in fin.* quam nostro civili probari luculentèr potest. Ita enim verbis expressis in R. A. zu Wormbs/ *de anno 1521. §.* Vnd als wir/ *ibi.* Auch das jenige so dem Reich entzogen/ vnd lange zeit in frembden Handen gewesen/ wiederumb zu erobern/ vnd zum Reich zubringen/ cui

proposito Imperatoris operam promptam Imperij status obtulerunt. §. Auch haben vns / *seq. ibid.* Hùc pertinet exemptorum conditio, de qua in *disput. præced.* Qui enim ab imperio deficiunt, veri hostes imperij efficiuntur. *l. 19. §. transfugæ, ff. de captiv. & postlim. reversi. l. 14. ex quib. maj.* Unde etiam *Admodum Reverendus & excellentissimus Theologus Dn. D. Mentzerus in Exegesi Augustan. Confess. art. 16.* Justa dicit ea arma, quæ adversus contumaces, qui se judicio submittere nolunt, & armis contineri possunt, suscipiuntur.

36. Inter causas denegatæ justitiæ, adeoq; belli gerendi vulgò ponunt, si peregrinus populus transitum innoxium per provinciam suam deneget. Quam belli causam Historia etiam sacra narrat, *Numer. c. 21. & seqq. Deuter. cap. 2. & 23. Jud. c. 11. vers. 19. & 20.* quibus in locis filij Israel leguntur pugnasse contra Sehom Regem Amorrhæorum, quod transitum innoxium in terram sibi à Deo promissam, absq; ulla causa probabili permittere noluisset.

37. Hodiè in Imperio nostro Romano-Germanico transitum desiderans, priùs cogitur requirere Duces circulorum, & idoneè cavere de resarciendo damno, quod per transitum fortè accidere posset, aliàs denegatur. R. A. zu Augspurg / *de anno 1559. §.* Den zu begegnen. *junct. §. seq.*

38. Alij etiam ad causas præcedentes referunt violationem Legatorum, multò magis internecionem, & rectè. Sunt enim illi sancti, omniq; jure tam divino quam humano securi & inviolabiles, *quod disput. 11.* manifestum fecimus. Hinc Romani Corinthum, urbem opulentissimam deleverunt, quod Legatos suos parum honorificè tractassent. Ijdem Romani grave quoq; bellum ob Legatos interemptos contra Fidenatos susceperunt *Liv. lib. 4.* Crotoniatæ contra Sibaritas. *Athenæ. lib. 12. cap. 6.* Herodes contra

tra Arabes, *Egesipp. lib. 1. c. 32.* David propter violationem suorum Legatorum contra Ammonitas, *2. Samuel. 10. 1. Paralip. 19.* Tigurini ob nuncium interfectum Galliæ bellum intulerunt. *Guicciardin. lib. 10.*

39. Postquam jam ille, belligerandi cui potestas, belli causas ruminavit, non tamen statim ad arma progreditur, sed initiò convenit uti verbis, hoc est amica tractatione & compositione; deindè herbis, h. e. juris remedijs, si quæ haberi possunt: Tertiò demùm res aliter si componi nequeat, lapidibus, h. e. armis. Hujus doctrinæ praxin videmus in *Jephte Jud. 11. v. 12. & mult. seqq.*

40. Idem si feciſſet Xerxes Persiæ Monarcha potentissimus, Græcis bellum illaturus, & Artabani, patrui Xerxis, unicè pacem suadentis consilium secutus fuisset, piscatoriâ scaphâ vitam redimere coactus non fuisset, & tragicum sequens monumentum posteritati non reliquisset: *In exiguo navigio sedentem vidêre, quem paulò ante vix aquor omne capiebat: eumq; carere servorum ministerio, cujus exercitus antea propter multitudinem orbi graves esse videbantur.*

41. Arma jam assumpturus Princeps, in tempore de præparatorijs erit sollicitus, exemplo Philippi Macedonis, qui debellaturus Persas, totum biennium in apparatu fuit occupatissimus. Imò etiamsi nullum bellum gliscere videat, nihilq; mali futurum speret, nihilominus tamen nunquam se armis vacuum alijsq; præsidijs denudatum patiatur, semper sit cautus & ad omnia mala, quæ ad se incursare possunt depellenda paratissimus: multa enim & potentissima etiam regna, pace & otio constituto, inopinatis ruinis concidisse, vires atq; opes simul amisisse, historiæ undiq; produnt.

42. Prima autem ac potissima cura consistet in comparanda pecunia ad bellum jam gerendum necessaria. Pe-

cuniam enim belli nervum esse Politicorum saniorum, omniumq; ferè Ducum suffragia attestantur. *Warem. ab Erenb. de fad. c. 1. num. 66.* Ita ut non immeritò exclamârit *Mucianus apud Dio: in Vespas.* non belli modò sed & Imperij nervos esse pecunias. Hinc Leo Imperator *Nov. 149. c. 2.* ait, pecuniarum vim Rempubl. stabilire. Inde illud oraculum? Hastis pugna argentis & omnia vinces.

43. Et quamvis libenter fatear, militum virtutem primariam & præcipuam victoriæ causam, atq; adeo cor belli, aut si magis, pedes manusvè, esse: negare tamen non possum, ut quemadmodum sine nervis nec progredi, nec quicquam facere possumus, si nec militares istæ manus hostem corripere, sine his pecuniæ nervis nequeunt. Hanc igitur ut Principes congerere possint, instituendæ sunt collectæ. *l. 1. §. 20. ff. de quæst. Nov. 149. c. 2. Petr. Gregor. de Repub. c. 2.*

44. Cura secunda boni Principis erit, Prospectio de commeatibus. Sine ferro enim vincitur, qui frumentum necessariaq; non comparat, ut *ait Veget. lib. 3. c. 26.* Hoc unum & maximum sit consilium, ut tibi sufficiat victus, hostes frangat inopia. Illud ipsum Consilium Cambyses dedisse fertur Cyro filio in Assyrios cum suo exercitu proficiscenti, testante *Xenophonte lib. 1. in Cyripedia.* Idem etiam Helvetij tempore Julij Cæsaris feciisse scribuntur apud *Julium Cæsarem lib. 1. de Bell. Gallic.*

45. Et quid Electori Mauritio Augustam Vindelicorum Ulmamq; tradidit? quid Antverpiam, Hispanis & alia vice Duci Parmensi? quid Arcem Juliacam? nil nisi annonæ caritas. Quin imò commeatu deficiente, exercitus ad desperationem ductus, augendi in provinciales & vexandi proprios impunitatem, libertatem, & transfugiendi ad hostes, proditis Ducibus, occasionem consequitur, sæpissimè

etiam

etiam annonæ penuriam, ob res victui noxias in necessitate commestas teterrima subsequitur pestilentia, & alia id genus mala. *Gregor. de Republ. lib. 11. c. 3. n. 13. & 14.*

46. Tertia cura ante conflictum boni Principis erit, circa comparationem armorum. Nemo enim sine armis vel repellit hostem, vel resistit invadentibus: & hæc adeò sunt necessaria, ut quemadmodum apis amisso aculeo, apes dente, taurus cornu torpet, ita miles sine armis.

47. Unde solent Principes pacis tempore providentissimè suos habere fabricenses, qui arma, naves, machinas &c. operantur *Nov. 85.* quod sibi maximè curæ fuisse traditur Demetrius, qui ex varijs Regionibus omnis generis fabros convocavit ad gladios, clypeos & machinas fabricandas. *Gregor. d. lib. 11. c. 3.*

48. Summatim sit bonis Principibus armamentarium instructissimum, quale Venetorum Arsenale esse dicitur, abundet galeis, cassidibus, thoracibus seu loricis, gladijs, machæris, romphæis, hastis, jaculis, sagittis, balistis, arietibus, scorpijs, bombardis & similibus, de quarum origine, violentia & impetu, multa ex varijs Historicorum momentis decerpta, & cognitione tum jucunda, tum utilia retulit *Philippus Camerarius operar. succisiv. cent. 2. c. 28.*

49. His curis absolutis Princeps Militem conscribet: Circa quam conscriptionem obiter notanda sequentia, 1. quinam conscribendi, & 2. quomodo conscriptio institui debeat.

50. Conscribi prohibentur Clerici, nemo enim ut inquit Apostolus, militans Deo, implicare se debet negocijs secularibus *ad Timoth. 3 & Tit. 1.* nam malè sonat Psalterium cum bombardis, quinimò opprobriosum est, se causarum secularium peritos ostendere. *arg. l. placet. 17. C. de Episc. &*

Cleric. c. cum ad verum distinct. 96. c. sacerdotib. in fin. X. ne Clerici vel Monachi secul. negot.

51. Quo facit sententia *Divi Ambrosij in c. pila X. de voto & voti redempt.* Christi milites non pila tractant ferrea: sed dolor, fletus, Orationes & lachrymæ sunt arma & munimenta eorum. Lachrymæ igitur sint illorum arma, ne ipsis eveniat, quod Gerholdo Episcopo Mogunt. XV. Is anno 772. in Gratiam Regis Galliæ suâ sponte, contra Saxones, Thuringiam armata manu, occupantis, cum copijs suis profectus est, immemor officij & ovilis sibi commissi, miserè à Saxone quodam ense perfossus est. Hinc posteà Saxones tales fecère versus Germanicos:

Bischoff Gerholt focht mit dem Schwerdt/
Durchs Schwerdt kam er auch ab der Erdt/
Drumb jhm viel nützer gewesen wehr/
Er wer gen Chor gangen/ dann ins Heer.

Joh. Wolffius in lectionib. memorabilibus.

52. Sic nec infames, relegati, adulteri, rei capitalis criminis, vel publicis judicijs damnati, in militum numerum recipiebantur, *l. 2. §. miles ff. de his qui not. infam. l. 4. §. 7. ff. de re milit.* Tam nobilis enim & sancta olim militia fuit, ut non criminosos tantum, sed & criminis reos à se repulerit, ut apparet *ex eod. tit.* Hodiè verò, proh dolor, secùs.

53. Deniq; nec fœminæ eligendæ. Mulierum enim proprium officium est domestica tractare, & domi telam expenso trahere, at viri est publica tractare, & in bello tela tractare. Nec Amazonum & aliarum quarundam fœminarum res præclarè gestæ, mulieribus patrocinantur: quia ut una aut altera hirundo non facit ver: ita nec unum aut alterum exemplum, & quidem heroicum, legem constituit.

54. Modus conscribendi militem fit vel deliberatò vel ex improvisò. Cum deliberatò leguntur milites, conquisito-

quisitores emittuntur, quorum non est leve officium. Hi publico signo dato, ad expeditionem milites alliciunt: allecti nomina sua profitentur, & partem stipendij cupiunt.

55. Ex improvisò facienda est militum electio, sicubi hostis impetum in urbem fecit, incautis civibus oppressis: vel per pulsum campanæ, vel per sonitum fulminalis machinæ, vel per vexillum expansum, vel alio modo: apud Romanos si subitum ingruebat bellum, is qui ducturus erat exercitum, ibat ad Capitolium, & ibi duo vexilla roseum & cæruleum proferens, illo pedites, hoc equites vocabat, his verbis: *Qui vult salvam Rempubl. me sequatur. Guido Pancerollus rerum memorabilium tit. de morib. in bello usitat.*

56. Ita milites conscripti, lustrantur & probantur, hic actus, militum probatorium vocatur. Die Musterung/ quo inepti, pusillanimes, alijq; ejus farinæ homines è societate militum, exterminabantur. *Boçer. lib. 1. de jur. belli c. 9.* quod & hodiè secus.

57. Fiebat autem hæc lustratio, ab ijs qui jus probandi habebant *l. 1. C. qui mil. poss. lib. 12.* veluti erat Imperator *l. 17. C. de re milit. l. 9. C. de diverf. offic.* nonnunquam etiam Magistri militum, spectabilesq; Duces *d. l. pen. C. de re milit.* Hodie hunc actum expediunt Commissarij militares, quos omnia pro sapientia & dignitate oportet præcognoscere, atq; idoneos in militiam adsciscere, ineptos autem rejicere. *Schonb. lib. 6. c. 13.*

58. Post lustrationem solent milites variè distingui, ita ut quidam sint majores, quidam minores *l. ult. §. jubemus C. de loc. conduct. add. Schonb. lib. 6. Pol. c. 15.* qui omnia eorum officia exponit.

59. Distinctione quoq; facta, tenentur milites jusjurandum præstare, quo jurant se omnia strenuè, quæ Imperator seu etiam Dux belli præceperit, facturos, aut si quæ alia arti-

articulis militaribus comprehensa, executuros: hoc antiquitùs militibus erat voluntarium, nam inter sese ex fœdere voluntario jurabant, se fugæ atq; formidinis causa, non abituros neq; ex ordine recessuros, nisi teli sumendi aut hostes feriendi, aut civis servandi causa, posteà milites à tribunis militum à voluntario sacramento ad legitimum jusjurandum avocati sunt.

60. Quibus omnibus peractis, ut non tantum bella justè sed & fortitèr gerantur, solet fieri clarigatio, h.e. futuro hosti bella denunciantur & indicuntur: quod idem etiam lege Divina sancitum invenimus *Deut. 20.* Idcircò olim Feciales, quibus denunciatio sive diffidatio incumbebat constituti sunt. *Worem. ab Eremb. de fœd. c. 3.*

61. Et quemadmodum in lite inermâ, priùs in jus vocamus & petimus id quod nobis debetur, sic pari modò petitio & denunciatio fieri & præcedere debet, quam ut ad matris tribunal pedem moveamus. Ut tandem quæ verbis componi non possunt, armis decernantur. Et hæc indictio tanquam justissima olim sanctè fuit observata. *Polyb. lib. 13.* Et etiamnum hodiè, Præsertim quando bellum inferendum, observanda: Nisi quis illud Schytici legati ad Alexandrum M. audire velit: Tu qui te gloriaris, ad latrones persequendos venire, omnium gentium quas adjisti latro es. Is nimirum pleraq; bella non indicebat priùs, sed dubito milite inferebat. *Rantz. com. bell. lib. 1. c. 5.* Modi autem & ritus clarigationis legi possunt *apud Boc. de jur. bel. lib. 1. c. 3.*

62. Atq; sic locantur castra, excubiæ constituuntur; Tandem subsequitur conflictus, ex quo vel tristis subactio, vel sperata victoria & triumphus, de quibus B. L. videat eos qui ex professo de jure belli scripserunt, & mihi interea faveat; ipse valeat.

SOLI DEO GLORIA.

Errata Typographica quæ in singulis disputationibus occurrent, nullus dubito, quin B. L. pro favore in me suo sit emendaturus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730917185/phys_0348
DFG

versari & manum cum hoste conserere … iddam
& beluarum simile est. *Cic. lib. de offic.*

23. Unde solennis mos ille fuit … i à pri-
mis ferè Nini temporibus, de bello sive … e inci-
piendo laborarunt, uti ne prius vincendi … q; ani-
mo & cogitatione conciperent, quam … quoad
ejus in ipsis esset, ut bellandi causas habe … non
modò crederent ipsi, sed exteris quoq; o … oq; fie-
ri si posset, hostibus persuaderent: & hu … oëtæ:

Non vis aut numerus, tandem bona c… f.

24. Causæ verò bellorum licet p… asuum
infinitæ constitui queant, ad duo tamen … es sine
magno negotio revocari possunt: ut sc… gitimi
belli alia sit defensoria, alia vindicatoria … m pal-
mariò vergat ad gloriam Dei. R. A. zu … *de an-*
no 1532. f. Vnd damit solcher: *ibi.* Zuso… m All-
mechtigen zu Ehren / vnd handhabung … flichen
Nahmens. Et Reipublicæ Salutem. … ied zu
Speyr *de anno 1542. f.* Vnd dieweil nun … ag *ibi.*
auch zu Schutz vnd Schirm vnsers gem… lands /
Deutscher nation, vnd vnser aller Freyhe…

25. Defensio meritò locum prim… idicat,
utpotè juris naturalis est, *l. 3. ff. de just* … *f. qui*
cum ff. ad L. Aquil. quæ etiam omni ge… tium
naturâ tributa est. *l. 1. §. cum arietes. f* … *. paup.*
feciſſe dicat. Unde *Propert. lib. 2. Eleg. a*… *anit:*

Non solum taurum ferit uncis corn…
Verum etiam instanti læsa re…

26. Defensio pro tribus diver… triplex
etiam est. Aut enim suscipitur ob Religio… Ditio-
nem, aut propter ipsam Personam.

27. Ob…

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730917185/phys_0349
DFG